Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani
102569

Operationes et Constitutiones

Synodi dioecesanae Lavantinae,

quam anno Domini 1911

congregavit et tenuit

Dr Michael Napotnik,

Princeps-Episcopus Lavantinorum.

Suae Sanctitatis Praelatus domesticus, Pontificio Solio Assistens, suae caes. ac reg. Apostolicae Maiestatis Consiliarius intimus, Magna cum cruce caesarei austriaci Ordinis Francisci Josephi Ornatus, Praepositus ecclesiae s. Mauritii et s. Magdalenae Frisaci in Carinthia, caes. ac reg. Capellanus palatinus, Domus procerum atque Styriae comitiorum provincialium Membrum, sacrosanctae Theologiae Doctor, Collegii Doctorum theologicae facultatis in caes. reg. Universitate scientiarum Vindobonensi Socius, Litterariae Societatis Leoninae austriacae Sodalis honorarius, Nummo bellico Decoratus nec non Signo memoriae servitii militaris Distinctus, in „Bezina, Konjiška okolica, Tepanje“ civitate Donatus etc.



Marburgi, 1912.

Sumptibus princ. episc. Ordinariatus Lavantini.

Typis typographiae s. Cyrilli.

Ex epistola pastorali

ab Ioanne Iacobo Archiepiscopo Salisburgensi Kalendis Ianuariis anno a Christo nato 1574 data de gravitate Synodi.

Ut maturo consilio ac praeparatione bene meditata aggrederemur negotium reformandae Provinciae nostrae, ferendo opem inclinanti religioni, succurrendo saluti commodisque communibus, intercludendo omnes dissensionum vias, ab animis errorum dispellendo caliginem, vitia extrahendo radicitus, officii disciplinam ac bene beateque vivendi adiumenta et auxilia suppeditando, ad Dei cultum, ad veram pietatem, ad virtutes erudiendo, fidei catholicae dignitatem et decus sustinendo, servando leges ac vetustissimarum caeremoniarum, a maioribus nostris quasi per manus summa cum pietate traditarum, iura praescribendo, nihil nisi populi nobis commissi utilitatem et fructum ferentes hanc Synodum ... non minus necessariam quam salutarem frequenti patrum conventu ... habuimus. (Florianus Dalham, Concilia Salisburgensia provincialia et dioecesana. Augustae apud Vindelicos, 1788. Pag. 572. — Schannat et Hartzheim, Concilia Germaniae. Tom. VII. pag. 746).



102569

FZC 11129/1951

Pars prima.

Operationes praesynodales.

Decretum,

quo acta Synodi dioecesanae Lavantinae, anno salutis 1911 congregatae et habitae, authentica et fide digna declarantur et probantur.

Nos Michael,

Dei grata miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum,

pronunciamus et edicimus: acta Synodi dioecesanae, diebus 28. 29. 30. et 31. mensis Augusti et 1. mensis Septembris congregatae et habitae, ab Antistite et a Notario synodali conscripta, postea vero typis publicata, authentica esse ac fide digna.

Datum ex civitate Marburgensi, festo S. Aegidii Abbatis, Kalendis Septembribus 1911.

✝ **Michael,**
Princeps-Episcopus.

Martinus Matek,
Doctor romanus in iure canonico,
Secretarius Synodi.

Dr. Ioannes Mlakar,
Notarius Synodi.



Operationes praeparatoriae.

Synodum quintam relative sextam, anno salutis 1911 congregandam et tenendam, in meo iam sermone, quem occasione emissionis iurisiurandi contra modernistarum errores ad sacrum Clerum meae civitatis residentialis Marburgensis die 4. mensis Decembris atque 5. eiusdem mensis et anni 1910 ad decanos foraneos habui, praenunciavi et indixi.[1] Idem iteravi et feci in conferentia pastorali, quam die 5. Decembris 1910 in Cancellaria princ. episc. Ordinariatus cum venerabili Capitulo et venerandis decanis constitui. Porro in congressu Cleri urbani aliquorumque sacerdotum externorum Kalendis Ianuariis 1911 momentum et scopum Synodi proximae dilucidavi, id quod est praeprimis concordantia statutorum dioecesanorum stabilienda cum decretis Concilii provincialis, Salisburgi anno 1906 celebrati.

Ulterius in litteris meis homagialibus de die 20. mensis Decembris 1910, quas Sanctae Sedi Apostolicae substravi, ad notitiam sanctissimi Domini nostri Pii PP. X. coetum dioecesanum, mense Sextili 1911 convocandum, retuli, pro cuius felici profectu benedictio apostolica suo tempore reverenter expetetur.[2] Deintus iuxta praeceptum Caeremonialis Episcoporum (lib. I. cap. XXXI. num. 3. Edit. Ratisbonensis 1896. pag. 115) festo Epiphaniae inter sollemnia frequenti populo indicta est Synodus dioecesana mense Augusto anno volvente peragenda.[3] Item die 28. mensis Junii 1911, ergo praecise duobus mensibus ante celebrationem Synodi, summarium edicti invitatorii et

[1] Folium officiale dioecesis Lavantinae de die 10. Decembris 1910. Num. XII. alin. 106. pag. 176—179. Ad calcem huius paragraphi promulgantur varia documenta huc spectantia. — [2] Folium officiale dioecesis Lavantinae de die 28. Aprilis 1911. Num. VI. alin. 56. pag. 138—140. Tenor memoratae relationis ad Sanctam Sedem inferius publicatur. — [3] Textus promulgationis ad finem praesentis articuli reproducitur.

promulgatorii de die 26. Aprilis 1911, quo sexta Synodus Lavantina notificata et convocata est, tenenda a die 28. mensis Augusti usque ad Kalendas Septembres 1911, valvis ecclesiae cathedralis et foribus synodalis sacelli s. Aloysii more solito affixum est.[1]

Futurae porro Synodi mentionem feci in epistola mea pastorali, quam in Purificatione B. M. V. die 2. Februarii 1911 ad Clerum populumque dioecesanum direxi.[2] Insimul plures congregationes antesynodales in Episcopio institutae sunt, in quibus sub praesidio Ordinarii diversae res synodales, uti tempus celebrationis, negotia et officia in congressu, ordo et materia Synodi ventilabantur.

In sessione consistoriali, die 8. Februarii 1911 habita, renovavi firmam meam declarationem, venturo mense Augusto convocandi concilium dioecesanum. Statutum est tempus convocationis et sacellum synodale; consimiliter actum est de materia in Synodo tractanda et de habendis piis exercitiis. In sessione praeparatoria, die 15. Februarii 1911 facta, capita materiae pertractandae praelecta et relatores de materia synodali designati sunt.

Die 22. Februarii 1911 doctores sacrae Theologiae et professores institutionis religiosae in scholis mediis Marburgensibus in curia Episcopali convenerunt atque pensa sua pro Synodo facienda ab Ordinario acceperunt. In congregatione praesynodali de die 5. mensis Aprilis 1911 edictum invitatorium et promulgatorium tenendae Synodi praelectum et peraestimatum est cum resolutione, illud republicandi in separato folio officiali dioecesis Lavantinae.

In congregatione antesynodali, die 10. mensis Maii 1911 habita, rogatio Apostolicae Sedi pro plenariis indulgentiis in favorem Cleri populique dioecesani tempore synodali acquirendis substernenda examinata et dignam in formam redacta est. Consimili modo mensibus Iunio, Iulio et Augusto in consessibus praeambularibus, sub auspiciis Praestitis celebratis, graviores res synodales deliberatae,

[1] Folium officiale dioecesis Lavantinae de die 20. Iulii 1911. Num. IX. alin. 86. pag. 176. — [2] Folium officiale dioecesis Lavantinae de die 10. Februarii 1911. Num. III. alin. 21. pag. 53 sqq.

discussae et praeparatae sunt, ut omnes in Synodo bene procederent. Sic in postrema praesynodali congregatione, die 23. mensis Sextilis convocata, cuncta decreta ad Synodi formam spectantia praelecta atque in ordinem redacta sunt.

Praemissae commentationi addita volo documenta, quae superius commemoravi quaeque haberi possunt ut remota aut proxima praeparatio ad sextam Synodum dioecesanam.

Allocutio

ante professionem fidei ac recitationem formulae iurisiurandi, in motu proprio *Sacrorum Antistitum* die 1. Septembris 1910 praescriptae, ad venerabilem Clerum habita in maioris seminarii ecclesia s. Aloysii, die 4. Decembris 1910.

In Domino pie congregati!

Instaurare omnia in Christo. (Ephes. 1, 10).

Ut praesens actio nostra clarior evadat, dicam aliqua verba introductoria.

Sanctissimus Dominus noster *Pius,* divina providentia PP. X., in magna sua vigilantia et cura pro grege dominico videbat et observabat, quam perniciosum semen indesinenter seminare inimicum hominem non solum in agro huius mundi, qui in maligno positus est, verum etiam in Ecclesia ipsa. Errores namque gravissimi sparguntur, qui longe erunt perniciosiores, si de disciplinis agitur sacris, si de sacra Scriptura interpretanda, si de fidei praecipuis mysteriis, de sacramentis, si de hierarchia divinitus instituta.

Dolendum autem vehementer, inveniri etiam inter catholicos non ita paucos scriptores, qui fines, a ss. Patribus et ab ipsa sancta Ecclesia statutos, transgrediendo sub altioris intelligentiae specie et historicae considerationis nomine eum dogmatum progressum quaerunt, qui reipsa eorum corruptela est.

Ne huius generis errores, qui quotidie inter fideles propagantur, in eorum animis radices figant ac fidei sinceritatem et integritatem corrumpant, Beatissimus Pater Pius X. generali decreto sacrae romanae et universalis Inquisitionis *Lamentabili sane exitu* de die 3. Iulii 1907 sexaginta quinque errores, id est propositiones in syllabum collectas, reprobavit et proscripsit.[1] Damnatae theses sunt praecipui errores reformismi vel modernismi.

Praeterea Summus Pontifex fundamentali epistola encyclica *Pascendi dominici gregis* de die 8. Septembris 1907 falsas modernistarum doctrinas egregie dilucidavit aperteque profligavit.[2] Hae litterae encyclicae de modernistarum falso systemate nomen Papae Pii X. — si quid in mea tenuitate opinor — immortale reddiderunt. De celebri hac enunciatione supremi Doctoris christianitatis, quippe quae Motu proprio *Praestantia Scripturae sacrae* de die 18. Novembris 1907 characterem doctrinae infallibilis — uti ex cathedra definitae — accepit,[3] in congressu Testium synodalium, die 31. mensis Martii 1908 in nostra residentia celebrato, fusius tractavimus. Legatis, quaeso, et perlegatis copiosam et perspicuam relationem, desuper factam![4]

Proh dolor! Pontifex Maximus exantlatis suis laboribus non plene saltem ac perfecte assecutus est finem, quem sibi proposuit. Bonum Pastorem non omnes audierunt oviculae et agni. Quamobrem Motu proprio *Sacrorum Antistitum* de die 1. Septembris 1910 salutares statuit leges ad modernismi periculum propulsandum.

[1] Cfr. Folium officiale dioecesis Lavantinae de die 15. Aug. 1907. Num. IX. alin. 68. pag. 105—107. — [2] Idem de die 25. Octobris 1907. Num. XI. alin. 86. pag. 121—140. — [3] „Ad haec, audentiores quotidie spiritus complurium modernistarum repressuri, qui sophismatis artificiisque omne genus vim efficacitatemque nituntur adimere non decreto solum *Lamentabili sane exitu* . . verum etiam litteris encyclicis Nostris *Pascendi Dominici gregis* . . Auctoritate Nostra Apostolica iteramus confirmamusque tum *Decretum illud* . . tum *Litteras* eas Nostras *encyclicas*, addita excommunicationis poena adversus contradictores". Cfr. Folium officiale dioecesis Lavantinae de die 2. Decembris 1907. Num. XII. alin. 87. pag. 141 sq. — Dr. Anton Michelitsch, Der biblisch-dogmatische „Syllabus" Pius X. samt der Enzyklika gegen den Modernismus und dem Motu proprio vom 18. November 1907. Graz, 1908. Pag. 401 sq. — [4] Folium officiale dioec. Lavant. de die 10. Maii 1908. Num. V. alin. 47. pag. 84 — 96.

In Domino Dilecti!

Vehementer opto et cupio, suadeo et adhortor, ut sedulo legatis et relegatis apostolicas hasce dispositiones et ordinationes!

Relate ad studia theologica vult probeque mandat Summus Pontifex, ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamen ponatur. Philosophia scholastica, quam sequendam praescribit Magister infallibilis, ea intelligitur, quae a sancto Thoma Aquinate est tradita et a Leone XIII. piae memoriae summis laudibus sancita et instaurata. — Hoc ita posito philosophiae christianae fundamento, theologicum aedificium extruatur diligentissime! Tradendae sunt omnes disciplinae theologicae et pro opportunitate etiam profanae.

Verumtamen doctores, qui modo quopiam modernismo imbuti apparent, a docendi munere arceantur, et si eo iam funguntur, removeantur; item qui modernismo clam aperteve favent aut modernistas laudant eorumque culpam excusant; aut ecclesiasticae potestati, in quocumque ea demum sit, obedientiam detractant; item qui in historica re vel archaeologica vel biblica student nova.

Episcoporum officium religiosum est modernistarum scripta prohibendi, quominus legantur. Quem in finem *recensores* librorum destinentur. Tale institutum in nostra dioecesi iam dudum existit. Ad errores iam diffusos repellendos atque ad impediendum, quominus ulterius divulgentur, *consilium a vigilantia* decernendum, cuius sit pervigilare, an et quibus artibus novi errores serpant aut disseminentur, nec non Episcopum docere desuper. Eiusmodi *consilium* pariter in dioecesi nostra iam pridem constitutum est. Umbrorum Episcopi iam iamque 1849 tale Officium pro suis districtibus decreverunt.

Sacerdotum conventus Praestites in posterum haberi non siverint, nisi rarissime. Quod si permittant, nulla rerum tractatio fiat, quae ad Episcopos Sedemve apostolicam pertinent. Omnibus autem sacerdotibus animo ne excidant, quae Leo XIII. gravissime commendavit: »Sancta sit apud

sacerdotes Antistitum suorum auctoritas; pro certo habeant sacerdotale munus, nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque sanctum neque satis utile neque honestum futurum«.[1]

Successor s. Petri porro instruit hortaturque clericos, ut sacris disciplinis et scientiae asceticae omnem navent operam. Ne vero aliis quaestionibus consectandis tempus terant et a studio praecipuo distrahantur, omnino vetat, diaria quaevis aut commentaria, quantumvis optima, ab eisdem legi, onerata moderatorum conscientia, qui, ne id accidat, religiose non caverint.

Visibilis Christi Vicarius deintus salutaria statuit praecepta de sacra praedicatione, commendando potissimum Ordinariis *praeclarum documentum*, quod Leo XIII. felicis recordationis a sacra Congregatione Episcoporum et Regularium die 31. mensis Iulii anno 1894 ad Ordinarios Italiae atque ad religiosarum familiarum congregationumque moderatores mitti iussit. Tollite et legite et lecta observate! Caeterum in Synodo nostra dioecesana anno 1900 celebrata propriam constitutionem de salutari praedicatione verbi Dei publicavimus:[2]

Sic Sanctissimus Dominus noster Pius PP. X. in praeclaro Motu proprio *Sacrorum Antistitum* omni charitate et severitate instruxit Clerum et saecularem et regularem. Istud documentum est velut quoddam luminare, lucem diffundens supernam ad detegendas ambages errorum modernistarum diabolica astutia absconditas, simulque aptissimum ad eas omnino evertendas.

Quo facto, Sanctitas Sua potuit finem facere Motus proprii, sed tamen non fecit, bene humanam noscens fragilitatem, quae nimis facile obliviscitur monitionis et adhortamenti. Hinc media quoque efficacissima et aptissima praebuit ad infernales hostium impetus firmiter propulsandos.

[1] Litterae encycl. *Nobilissima* de die 8. Februarii 1884. — [2] Actiones et constitutiones Synodi dioeces. Lavant. anno 1900 institutae atque peractae. Marburgi, 1901. Cap. XXVIII. pag. 218—230.

Ut suspicio segregetur omnis clanculum se inferentis modernismi, praecepit feliciter et gloriose Ecclesiam Christi gubernans Papa-rex, ut singuli professores s. Theologiae, anno ineunte, Antistitibus textum praelectionum exhibeant et ut deinde per annum ipsum exploretur sua cuiusque magisterii ratio. Insuper praescripsit strenuus fidei vindex, ut quilibet doctor praeter fidei professionem iuxta formulam Tridentino-Vaticanam etiam iusiurandum det Praesuli suo secundum formulam Motui proprio adnexam, et subscripto nomine.

Consimiliter hoc iusiurandum, praemissa fidei professione per formulam a sanctae memoriae decessore Pio IV. decretam, cum adiectis definitionibus Concilii Vaticani, Episcopo suo dare debent clerici, maioribus ordinibus initiandi, porro confessarii, concionatores, parochi, canonici, beneficiarii ante ineundam beneficii possessionem, officiales in curiis episcopalibus, ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis Vicario generali et iudicibus, adlecti concionibus habendis per quadragesimae tempus, religiosarum familiarum congregationumque moderatores et doctores, antequam ineant officium.

Professionis fidei editique iurisiurandi documenta, rite subscripta, peculiaribus in tabulis apud curias episcopales adserventur. Si quis autem, quod Deus avertat, iusiurandum violare ausus fuerit, aut iurisiurandi formulam subscribere renuerit, ad Sancti Officii tribunal illico deferatur.

Ego ergo una cum sacerdotibus pastoratione in hac urbe fungentibus impraesentiarum tum professionem fidei tum *iusiurandum* emittere volo, clara voce respectivas formulas legendo. Professio fidei est actus summae religionis, Deo Teruni bene placens et pro nobis meritorius. Exinde nolumus, et si possumus, omittere adeo salutarem actum. Et iuramentum non est solummodo actus meritorius obsequii debiti erga potestatem ecclesiasticam, sed est sollemnis et publicus actus divini cultus.

Crastino die fidem profitebùntur et iusiurandum Antistiti suo praestabunt reverendi Domini decani, ut ita per

proprium decretum delegari possint ad recipiendam professionem fidei et ad adigendum iuramentum.

Caetera autem, sive ad praedicta mandata sive ad alia novissime edita iussa Pontificia respicientia, *in Synodo disponam, quam iuxta Caeremoniale Episcoporum* (lib. I. cap. XXXI. num. 3. Edit. Ratisbon. 1886. pag. 115) *in festo Epiphaniae anno proxime venturo pronunciaturus ac Deo dante mense Augusto celebraturus sum.*

Venerabiles animarum rectores!

Nos scintilla amoris erga sanctam matrem Ecclesiam inflammati et adusti nec non theologalibus ac moralibus virtutibus armati, unitis et multiplicatis viribus, strenue decertabimus contra insurgentes continuo hostes Ecclesiae, imprimis contra recentiores, qui modernistae vocantur quique callido et serpentino more virus errorum pestiferum disseminantes fundamenta sanctae Ecclesiae subvertere fidemque, pretiosissimum thesaurum, e cordibus fidelium clam eripere conantur. *Subintroierunt enim quidam homines*, ut cum s. apostolo Iuda Thaddaeo lamentemur, *impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam et solum Dominatorem nostrum Iesum Christum negantes.* (Iudae epist. cath. v. 4). De modernismo, quod nos attinet, actum est. Roma locuta, causa finita. Utinam et erroris finis sit omnibus in locis!

Corda nostra pro Beatissimo Patre semper palpitabunt et se movebunt; labia nostra concorditer sanctae matris Ecclesiae eiusque visibilis in terris Capitis iura depraedicabunt, defendent et contra impiorum insultus hominum vindicabunt; omnes nostrae vires pro doctrina Christi Domini sarta tectaque servanda ex integro occupabuntur et impendentur.

Quo vehementiores exurgunt hisce temporibus impetus contra sanctam Ecclesiam catholicam, eius supremum Caput et Pastorem eiusdemque iura, eo ferventiores erunt nostrae orationes ad thronum Altissimi, eo intensior conatus laborque noster pro tuendo in terris regno divino.

Nos numquam modernistarum doctrinae recipiemus ulla capita. Nos libenter sequemur monitionem, a s. Paulo Timotheo datam: *Tu autem, o homo Dei, haec fuge . . . Certa bonum certamen fidei!* (I. Tim. 6, 11. 12). *Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis! Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide!* (II. Tim. 1, 13. 14). Atque etiamsi postuletur a nobis, ut utilium conventionum gratia aut spe convertendae multitudinis ad causam religionis de doctrinis gratificemur aliquid corruptis mundi opinionibus, unusquisque nostrorum sibi dicta putabit, quae gentium Doctor discipulo suo inculcavit: *Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et coram Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem: ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Iesu Christi.* (I. Tim. 6, 13. 14).

»Quando apud homines in pretio esse cessabit incorruptibilis haec doctrina«, sic sermocinatus est Pius X. in audientia PP. Franciscalium die 10. Novembris huius anni 1910, »quando purae et incontaminatae veritatis regnum desierit in mundo, tunc Deus excitabit iterum Filium suum, *quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens Rex regum.* Interim nostrum est, qui eius legatione fungimur, depositum integre inviolateque servare usque ad adventum Domini ultimum, cum Hilario sancto exclamantes: *Melius est mihi in hoc saeculo mori, quam alicuius potentia dominante castam veritatis corrumpere virginitatem.*“

Nos, fratres et filii dilectissimi, vitae sanctitatem cum doctrinae puritate atque integritate coniunctam servabimus, si Deiparae labis nesciae cultum assidui fovebimus. Per ipsam enim, quae est speculum iustitiae et sedes sapientiae, omnia nos habere voluit Omnipotens.

Pergat, quaesumus, coeli Regina et advocata nostra omniumque gratiarum sequestra, semper Virgo Maria, materno nobiscum fungi munere ac serius ocius carne exutis det Iesum intueri, non tremendae maiestatis Regem ac se-

verissimum Iudicem, sed Salvatorem propitium, Amicum serenum, misericordem Fratrem! Amen et ita fiat!

Relatio

Sanctae Sedi Apostolicae mediante Eminentissimo Domino Status Secretario substrata de praestito iuramento Cleri Lavantini contra modernistarum errores in Motu proprio *Sacrorum Antistitum* de die 1. Septembris 1910 praescripto.

Beatissime Pater!

Sacra Nativitatis Domini et Circumcisionis sollemnia quum paucos post dies celebranda sint, humillime subsignato Episcopo Lavantinorum acceptissimam praebent occasionem, Sanctitati Vestrae a Deo O. M. omnia bona, fausta feliciaque adprecandi ac simul supplicandi, ut divino Numini placeat, dies malos, quibus Sponsa Christi ac Sedes Apostolica modo premitur, abbreviare et eius inimicos humiliare.

Antistes enim sacrorum, ut indefessam sollicitudinem Sanctitatis Vestrae in deposito fidei fideliter custodiendo et Christi fidelium salute strenue tutanda grato animo admiratur, ita vehementer condolescit, quod inimici rei christianae in dies audaciores evadant et ordinem moralem ac socialem susque deque vertant et exitialis modernismi lues non evanescat, sed per vastam agri Domini partem diffluat atque doctrinae specie incautos quosque intercipiat.

Utrimque velut ex ubere fonte nefanda mala scaturiunt et ita, nisi ille in tempore obstruatur, horum finis vix indici potest. Neque tamen media, multa et gravia, desunt, quae si rite adhibeantur, illum exsiccare et haec a fidelium salute arcere eorumque pericula imminuere valent, mandata scilicet Sanctae Sedis Apostolicae, quae »profert de thesauro suo nova et vetera.«

Ex illis duo plurimi aestimanda ac gratissima, decretum videlicet S. Congregationis Concilii »Sacra Tridentina«

de die 20. Decembris 1905 de quotidiana ss. Eucharistiae sumptione et S. Congregationis de Sacramentis »Quam singulari« de die 8. Augusti 1910 de aetate primam s. Communionem suscipientium agunt, et quae in priore praecipiuntur, in Synodo dioecesana anno 1906 concita publice exposita sunt, et quae in posteriore declarantur, in Synodo dioecesana, Augusto mense 1911 celebranda, ad cuius felicem profectum benedictio Apostolica suo tempore reverenter petetur, propius explicabuntur.

Impraesentiarum porro de modernismo potissimum agitur et ex Motu proprio »Sacrorum Antistitum« de die 1. Septembris 1910 omnes orbis catholici sacerdotes iusiurandum, quo ea doctrinae catholicae capita, quae modernistae infense adoriuntur, aperte agnoscant et eorum errores, illis oppositos, exsecrentur, mense currente et more sollemni praestare iubentur.

Quod dioecesin Lavantinam attinet, eius Praestes sacerdotes suos, in urbe residentiali commorantes, die Dominica 4. Decembris huius anni in ecclesiam S. Aloysii, sacri Seminarii templum, convocaverat in eoque, ad hunc actum bene ornato, sermonem rei accommodum habuit ac sacerdotum animos fide Christi Vicarii iterum atque iterum devinxit. Tum una cum Clero professionem fidei ad formam Tridentino-Vaticanam emisit et *iusiurandum*, ut in dilaudato Motu proprio praescribitur, clara voce praestitit ac postremo id a sacerdotibus binis atque binis ad sancta Evangelia accepit. Singuli tandem sacerdotes exemplum iurisiurandi manu propria subscripserunt atque in archivo dioecesano deponendum tradiderunt.

Feria secunda, die 5. Decembris anni volventis, Decani rurales in Ecclesia S. Ioannis Baptistae cathedrali, item sollemniter ornata, coram suo Ordinario, eius invitatorio sermone excepto, iusiurandum simili modo praestiterunt et ab Antistite specialem delegationem acceperunt, qua ornati a Clero sui districtus iusiurandum, ad modum supra laudatum, mense currente accipere et exempla iurisiurandi sacerdotum subscripta Curiae episcopali mittere debent.

Caeterum Episcopo non minimo solatio vertitur, quod nullus suae dioecesis sacerdos istud iusiurandum praestare renuerit neque in ullum umquam huiusmodi suspicio ceciderit. Antistes certo etiam persuasum habet, nullum suae dioecesis sacerdotem — perseverantiam in bonis operibus tribuente nobis omnipotenti et misericorde Domino — in castra modernistarum umquam esse transiturum.

Itaque, Beatissime Pater, maxima cum fiducia ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, reverenter precatur, ut Beatissimus Pater ipsi, Clero et populo dioecesis Lavantinae Benedictionem Apostolicam impertire dignetur.

Sanctitati Vestrae
addictissimus, humillimus ac
devotissimus famulus et filius

† **Michael,**
Episcopus Lavantinus.

Marburgi, die 20. Decembris 1910.

»Nr. 5937.

Eminentissime ac Reverendissime Domine Cardinalis!

Dum gratissimum mihi munus contingit, exempli relationis de iureiurando, sacerdotibus toto orbe catholico, anno labente, in causa modernismi praestando, a sacerdotibus dioecesis meae Lavantinae iam ex animo omnium praestito, hisce subiiciendi, Eminentiae Vestrae Colendissimae reverenter supplico, ut illud Sanctissimo Domino Nostro tradere et simul sincerissimum votum meum adiicere dignetur, ut ista relatio Sanctitati Suae vel minimum in hac nimis tristi rerum constellatione solamen afferat.

Vestrae interim Eminentiae Reverendissimae ad proxima Domini nostri Salvatoris festa sollemnia ex intimo corde omnia fausta, omnia felicia a Deo O. M. adprecor et in omnibus Ecclesiae negotiis prosperrimum exitum

exopto ac cum singularis observantiae et venerationis persisto sensis

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
devotissimus ac obsequentissimus servitor

† **Michael,**
Episcopus Lavantinus.

Datum Marburgi, die 20. Decembris 1910.«

Responsum,

die 29. Decembris 1910 clementissime datum.

»Segreteria di Stato
di Sua Santità.

Dal Vaticano die XXIX.
Decembris 1910.

Nr. 48.049.

Illustrissime ac Reverendissime Domine!

Una cum litteris tuis, diei 20. huius mensis, exemplar eisdem adnexum accepi relationis de iureiurando a Sacerdotibus istius Dioeceseos iuxta Decretum »Sacrorum Antistitum« rite praestito.

Hoc autem significare tibi propero, quod supradictum documentum, uti cupiebas, Sanctitati Suae tradere non cunctatus sum. Quae magnum ex eo solacii argumentum haurire potuit, ac deinde Sacrae Congregationi Consistoriali illud transmittendum curavi, cum de re ad ipsam pertinente agatur.

Gratias, interim, Beatissimi Patris nomine, Amplitudini Tuae refero pro filiali votorum ac venerationis obsequio Eidem exhibito, die festo Nativitatis Pueri Iesu recurrente, atque simul Apostolicam Benedictionem libenter tibi communico, quam Augustus Pontifex, dilectionis Suae pignus coelestiumque auspicem bonorum, tibi, Clero populoque Dioecesis Lavantinae ex corde impertitur.

Grates denique meas addo Amplitudini Tuae de omnibus votisque pro me nuper susceptis, quae libenti animo

tibi rependens, ac sensus existimationis maximae in te meae confirmans, sum et permanere gaudeo

Amplitudini Tuae

Addictissimus

R. Card. Merry del Val.

Reverendissimo Domino Michaeli Napotnik, Episcopo Lavantino Lavantum.«

Responsum

Sacrae Congregationis Consistorialis de die 3. Ianuarii 1911 Nr. 17/11.

»Illustrissime ac Reverendissime Domine!

Omina et vota, quae occasione Nativitatis Dominicae proxime celebratae pervenire curasti, Sanctissimo Domino Nostro Papae periucunda fuere: Qui etiam grato animo accepit panditos erga Apostolicam Sedem eiusque nuperrima decreta plenissimae devotionis atque adhaesionis sensus.

Sed illud in primis Sanctitati Suae gratissimum accidit, quod de praestito a Clero tuo contra modernistarum errores iuramento fuse enarras; cui quidem actui haud levem valorem ac decorem auxit et addita externa sollemnitas et unanimis animorum sensus. Quod nedum in tui cleri laudem sed et in tuam gloriam vertitur, cum bona gesta filiorum sollicitudines curasque patris manifestent: unde merito de hisce filiis gloriari potes et etiam de eorum in posterum fidelitate Te sponsorem fidenter exhibere, prout in Tuis litteris testaris. Quod quidem eo maiori laude atque aestimatione est dignum, quo acrius est bellum a fidelibus ac praesertim a sacerdotibus cum antiquo et veternoso inimico hodie gerendum, qui Ecclesiam Dei interiori nequiorique discordia dilacerare conatur. Atque utinam ubique, sicut in hac Tua dioecesi, concordes defensores Ecclesiae non deessent! Abbreviarentur praesentis tentationis dies, et in universa domo Dei fidei puritas secura consisteret.

Interea, dum fausta omnia Tibi a Domino libentissime adprecor, impenso animi obsequio me profiteor

Amplitudinis Tuae uti fratrem

C. Card. **De Lai**, *Secret.*

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino R. D. P. Michaeli Napotnik, Episcopo Lavantino.«

Promulgatio

Synodi dioecesanae, anno 1911 celebrandae, facta in festo Epiphaniae die 6. Ianuarii 1911.

Nr. 6065.

Perreverendo officio parochiali ecclesiae cathedralis Lavantinae ad S. Ioannem Baptistam Marburgi.

Ut Synodus dioecesana, si celebranda sit, plenius divulgetur, iuxta Caeremoniale Episcoporum (Lib. I. cap. XXXI. alin. 3) in die Epiphaniae frequenti populo intra Missarum sollemnia pronuncianda et promulganda est.

Quia ergo futuro anno 1911, Deo favente, Synodum dioecesanam celebrare intendimus, venerabili officio parochiali Ecclesiae cathedralis ad S. Ioannem Baptistam in Domino praecipimus, ut ipsam Synodum dioecesanam proxima die 6. Ianuarii, quae est festum Epiphaniae Domini, ante sollemnem Missam pontificalem, modo pro aliis promulgationibus consueto, ex ambone promulgari curet.

Quae promulgatio hisce verbis fiat: »Ad normam Caeremonialis Episcoporum notum fit omnibus, quod Synodus dioecesana, per Celsissimum ac Reverendissimum Dominum nostrum Episcopum Michaelem hoc anno, Deo adiuvante, celebranda in ecclesia Seminarii clericorum Lavantini ad S. Aloysium Marburgi, die 28. mensis Augusti post meridiem inchoabitur et die 1. Septembris ante meridiem dimittetur.«

(»Gemäß der Bestimmung des Caeremoniale Episcoporum wird hiemit verlautbart, daß die im laufenden Jahre durch Seine Fürstbischöflichen Gnaden, unseren Hochwürdigsten Herrn Fürstbischof Michael, mit Gottes Gnade in der Priesterseminars-Kirche zum hl. Aloysius in Marburg zu feiernde Diözesan-Synode am 28. August nachmittags beginnen und am 1. September vormittags geschlossen werden wird«).

Marburgi, in festo s. Silvestri Pp. C., die 31. Decembris 1910.

† **Michael,**
Princeps-Episcopus.

Edictum invitatorium et promulgatorium,

quo sexta Synodus dioecesana Lavantina notificatur et convocatur, tenenda a die 28. mensis Augusti usque ad diem 1. mensis Septembris anno salutis 1911.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti! Amen.

MICHAEL,

Dei grata miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum, Solio Pontificio Assistens, Suae caes. ac reg. Apostolicae Maiestatis Consiliarius intimus, Magna cum Cruce caesarei austriaci Ordinis Francisci Iosephi Ornatus, Doctor sacrae Theologiae,[1] venerabili Clero pacem et salutem ac benedictionem omneque bonum a Christo Iesu!

[1] Clarissimus sacrae rituum Congregationis consultor *Bartholomaeus Gavantus* in notissima sua „Praxi exactissima dioecesanae Synodi celebrandae" vult, ut Episcopus in publicandis gravioribus decretis de Synodo titulo episcopali „addat alios titulos v. gr. comitis seu principis, si quos habet". Op. cit. edit. Venet. 1726. pag. 250.

In Domino dilecti fratres et filii!

Deo duce et fautore quatuor iam Synodos dioecesanas, non sine proprio populique fructu, concelebravimus, quod aperte probant publico prelo dati libri synodales.[1]

Peropportunum immo et necessarium duco, ut vos, sedulos cooperatores meos in vinea Dominica, ad novam Synodum congregem, quam Deo permittente diebus 28. 29. 30. 31. mensis Augusti et 1. mensis Septembris anni volventis tenere intendo. Permulta enim et sat gravia negotia tractanda veniunt in generali hoc congressu Cleri dioecesani.

[1] Piae memoriae praesul Lavantinus *Iacobus Maximilianus* anno 1883 Synodum habuit atque librum publicavit: Acta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno Domini 1883 celebratae. Marburgi, 1883. 8°. Pagg. 86. — Postea in lucem prodierunt libri synodales cum propriis titulis, ut ab invicem distinguantur et facilius citentur neve fiat de Synodo Synodus: Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 constitutae et celebratae. Marburgi, 1897. 8°. Pagg. 450+VI. — Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno sacro 1900 institutae et peractae. Marburgi, 1901. 8°. Pagg. 601+VI. — Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno Domini 1903 coadunata. Marburgi, 1904. 8°. Pagg. 918+VI. — Denique Synodus dioecesana Lavantina, concita et facta anno salutis 1906. Marburgi, 1907. 8°. Pagg. 654+VIII.

Prouti tres priores libros synodales Summo Pontifici in privatis audientiis humiliter obtuli, consimili modo in audientia, die 18. Maii 1908 mihi benigne concessa, codicem synodalem ex anno 1906 respective 1907 substravi Sanctissimo Patri Pio PP. X., qui eum gratiose excipere dignatus est. — Sacrae Congregationi Concilii tradam istud opus synodale nec non *praesens*, quum iuxta Sixti PP. V. constitutionem *Romanus Pontifex* de die 20. Decembris 1585 et iuxta Sacrae Congregationis Consistorialis decretum *A remotissima* de die 31. mensis Decembris 1909 (can. II. § 4.) limina Apostolorum visitaverim rationemque Summo Pastori de pastoralis officii implemento reddiderim, quod fieri debet anno 1913. (Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. 1910, ann. II. vol. II. pag. 13—34).

Sicuti statuta praecedentium Synodorum Lavantinarum variis in diariis et foliis litterariis memorata sunt, ita de constitutionibus quoque synodalibus ex anno 1906 copiosas retulerunt relationes inter alia quae sequuntur commentaria: Das Vaterland, Zeitung für die österreichische Monarchie. Wien, 6. November 1907. Nr. 305. — Personalstand des Bistums Lavant in Steiermark für das Jahr 1907. Pag. 215—225. — Zeitschrift für katholische Theologie. Innsbruck, 1908. I. Quartalheft. Pag. 206 sq. — Literarischer Anzeiger. Graz, 1908. Nr. 5. col. 145—158. — Stimmen aus Maria Laach. 1908. März-Heft. Miszellen. Haec accurata recensio reproducta est in ephemeride: Die Kirche. Katholische Rundschau. Wochenbeilage zum Vaterland. Zeitung für die österr. Monarchie. 4. April 1908. Nr. 14. pag. 117—119. — Theologisch-praktische Quartalschrift. Linz, 1908. Heft II. pag. 352 sq. — Voditelj v bogoslovnih vedah. V Mariboru, 1908. Leto XI. Zvezek 1. Pag. 121 sq. — Čas. Znanstvena revija. Ljubljana, 1908. Letnik II. Zvezek 3. Pag. 147. — Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese. Marburg, am 1. Juni 1908. Nr. VI. alin. 57. pag. 100—104.

A Sanctissimo Domino nostro Pio PP. X. diebus novissimis recepimus mandata maximi momenti, quae cuncta circumstantiis dioecesis nostrae eiusque indigentiis accommodare et applicare debemus, ut fructus ferant salutares atque uberes. Huc spectat exempli causa egregium decretum *Sacra Tridentina Synodus* de die 20. Decembris 1905, suadens et inculcans quotidianam sanctissimae Eucharistiae sumptionem[1]; porro decretum *Quam singulari* de die 8. Augusti 1910, respiciens aetatem admittendorum ad primam communionem eucharisticam[2]; item decretum de amotione parochorum oeconomica deque vetita administratione bonorum temporalium ex parte Cleri et reliqua.

Supervacaneum esse reor pluribus commemorare, quae sit necessitas, utilitas et gravitas celebrationis comitiorum synodalium. Animarum namque curiones cuncti persuasum habent de bono communi tanti instituti, quod a primordiis sanctae Ecclesiae usque ad nostra tempora in flore ac vigore est. Celeber consultor Sacrae rituum Congregationis *Bartholomaeus Gavantus*, deducit originem dioecesanae Synodi ab Act. ap. 21, 18 anni Domini 58, ubi sub s. Iacobo, Episcopo Hierosolymitano, omnes seniores seu presbyteri fuere collecti in causa s. Pauli.[3]

Sancta mater Ecclesia persuasum semper habuit et habet, synodales conventus permagni esse momenti ad tuendum ac firmandum in quaque regione regnum Dei; conferendo enim inter se consilia sacrorum Antistitem et curiones non modo fit, ut perspiciant melius suorum necessitates fidelium et quae sunt magis opportuna factu statuant, verum etiam ut cohaerescant invicem coniunctius; quae coniunctio magnam addit singulorum contentioni efficacitatem. Nostrorum iniquitas temporum poposcit indesinens studium, ut et disciplinae integritas apud nos in tuto sit et fides moresque probi vigeant in populo et

[1] Folium officiale dioecesis Lavant. 1906. Nr. VI. alin. 39. pag. 76—78. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita et facta. Marburgi, 1907. Cap. CXIX. pag. 355—384. — [2] Acta apostolicae Sedis. Ann. II. vol. II. Num. 15. de die 15. Augusti 1910. Pag. 577—583. — [3] Praxis exactissima dioecesanae Synodi cum theoria celebrandae. In quatuor distributa partes. Venetiis, 1726. Part. prim. Cap. I. num. 3. pag. 231.

ab impugnationibus omne genus, quibus obnoxia est dioecesis, vindicetur.

Iure merito in *novo ordine*, servando in relatione de statu ecclesiarum seu dioeceseon, edito a Sacra Congregatione Consistoriali die 31. mensis Decembris 1909, quaeritur capite III. numero 30: Utrum Ordinarius dioecesanam Synodum congregaverit; et si nullam coëgerit, an et quomodo et quanam potestate suppleverit?

Ob hanc rerum conditionem in nostra aetate crebrius coadunantur Synodi et provinciales et dioecesanae. Inde ab anno 1906, quo in libro synodali recentia ac recentissima enumeravi varia concilia generalia et particularia, sequentium eiusmodi celebrationem congressuum annotavi.

A die 30. Augusti usque ad diem 11. Septembris 1900 in seminario centrali Maynutiae apud Dublinum habita est Synodus plenaria Episcoporum Hiberniae, cuius decreta die 9. Septembris 1904 ab apostolica Sede approbata et Dublini anno 1906 publici iuris facta sunt.[1] — Mense Septembri anno Domini 1906 concitum et peractum est Concilium provinciale Salisburgense, cuius constitutiones a Sancta Sede anno 1909 probatae et festo Paschatis 1910 promulgatae sunt.[2]

A die 8. usque ad diem 29. Decembris 1907 primum Concilium provinciale Manillae, metropoli Philippinarum, sollemniter celebratum est. In ultima sessione, die 29. Decembris habita, Delegatus apostolicus Msgr. *Ambrosius Agius* O. S. B., Archiepiscopus Manillae, peroravit sollemnem dedicationem Philippinarum divino cordi Iesu et immaculatae Virgini Mariae. — Romae mense Maio anno 1908 audivi ex ore reverendissimi Domini *Sebastiani Messmer*, Archiepiscopi Milwaukien., quod mense Augusto dicto anno 1908 Synodum metropoliticam et paulo post dioecesanam constituturus est.

[1] Acta et decreta Synodi Plenariae episcoporum Hiberniae habitae apud Maynutiam an. 1900. Dublini, 1906. 8°. Pagg. VI + 250. Appendix ad acta et decreta Synodi Plenariae. Dublini. 8°. Pagg. IX + 417. — [2] Acta et Constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno Domini MCMVI celebrati. Salisburgi, 1910. 8°. Pagg. 386. (Folium officiale Dioecesis Lavant. Marburgi, 1910. Nr. VII. alin. 55. Pag. 114 sq).

Festis diebus Pentecostes 1909 in urbe Ain Tras initium cepit concilium graeco-catholicum ecclesiae Orientis, id est catholicorum Melchitarum, quorum patriarcha Damasci residet. Papa Pius, divina providentia X., epistolam autographam in lingua latina misit eximio Patriarchae. — In civitate Quebecensi die 19. Septembris 1909 primum plenarium Concilium terrae Canadensis sub auspiciis apostolici delegati Domini *Donati Sbaretti* et in praesentia 8 Archiepiscoporum, 33 Episcoporum multorumque Praelatorum inchoatum est.

Papa Pio PP. X. sic disponente, Romae in ecclesia s. Nicolai de Tolentino die 15. mensis Octobris huius anni 1911 primum nationale Concilium orientalium Archiepiscoporum et Episcoporum Armenorum inchoabitur, praesidente Patriarcha Armenorum, Paulo Petro XIII. Terzian.[1]

Congressus quoque dioecesani plurifariam convocati sunt, ut Segniae mense Iulio anno 1906, ubi per saecula eiusmodi conventus non est factus[2]; porro Argentorati anno 1908; St. Hippolyti eodem anno 1908[3], item Labaci mense Augusto 1908.[4] Subsecuto anno 1909 pariter in diversis dioecesibus factae sunt Synodi episcopales, uti prima Brunae in Moravia[5] et Mazzarae in Sicilia. Omnem gregem christianum persollicite pascens summus Pastor Pius X. vehementer cupit libenterque laudat tale opus synodale. Ita epistolam laudatoriam direxit ad Archiepiscopum Ianuensem *Eduardum Pulciano* de celebratione Synodi dioecesanae die 11. Decembris 1909.[6]

In festo Epiphaniae 1910 inter sollemnia Dominus Cardinalis et Archiepiscopus *Alexander Lualdi* de urbe Pa-

[1] De eius celebratione videsis: Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. Romae, die 15. Octobris 1911. Ann. III. vol. III. Nr. 14. pag. 522 sq. — [2] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno Domini 1906 habitae. Segniae, 1906. 8°. Pagg. 455 + VI. — [3] Constitutiones et acta Synodi dioecesanae Sanhipolitanae primae anno Domini 1908 habitae. St. Hippolyti, 1908. 8°. Pagg. 401. Appendix: pagg. 102. Additamentum: pagg. 23 + XVII. — [4] Synodus dioecesana Labacensis II. anno 1908 habita. Labaci, 1908, 8°. Pagg. LV + 272. — [5] Prima Brunensis Synodus dioecesana anno Domini 1909 celebrata. Brunae, 1909. 8°. Pagg. 614. — [6] Acta apostol. Sedis. Comment. officiale 1910. Ann. II. vol. II. num. 1. pag. 6.

lermo indici iussit Synodum dioecesanam pro die 14. Iunii 1910, qualis contio per sat longum temporis spatium non est concita. — Prima septimana mensis Decembris anni 1910 in ecclesia cathedrali s. Patritii in archidioecesi Neo-Eboracensi (New-York) peracta est Synodus particularis, cui 600 sodales interfuerunt inque qua nuperrima decreta Pontificia de amotione administrativa ab officio et beneficio curato deque aetate neocommunicantium executioni mandata sunt. — Mediolani die 16. Ianuarii 1910 decreta et mense Maio eiusdem anni facta est Synodus, quae est iam undequadragesima post Concilium Tridentinum, quod sess. XXIV. cap. 2. de reform. providentissime sanxit sequens mandatum: »Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, Synodo interesse.« Paenultima Synodus Mediolanensis, anno 1902 congregata, optimos protulit fructus, quod variis in diariis relatum et contestatum legi.

Quid mirum, si eiusmodi conventus salutares in diversis dioecesibus austriacis serio et sedulo praeparentur? Sic Synodus dioecesana Seccoviensis indicta et convocata est litteris, Graecii die 21. Februarii anni dilabentis 1911 datis.[1] — Lincii prima Synodus dioecesana a die 22. usque ad diem 24. Augusti anni decurrentis 1911 celebrabitur.[2] — Veglae Dominica Palmarum anno hoc annunciata est altera Synodus dioecesana, cogenda mense Septembri

[1] Dum liber praesens sub prelo erat, in lucem prodierunt: Acta et constitutiones Synodi dioecesanae Seccoviensis, anno Domini 1911 celebratae. Graecii, 1911. 8°. Pagg. VI + 427. — [2] Commentarium officiale „Linzer Diözesanblatt. Jahrgang LVIII. Nr. 1“ continet statuta huius Synodi sub titulo: Promulgatio actorum et decretorum primae Synodi dioecesanae Linciensis, quam anno Domini 1911 celebravit Rmus et Illmus Dominus Rudolphus, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Linciensis. (4°. Pagg. 52). Postea constitutiones in aequali forma et ambitu sub titulo: Acta et decreta Primae Synodi . . . (ut supra) cum appendicibus *a*) Ehe-Gesetze, *b*) Instruktion über die Kirchenvermögensverwaltung, *c*) Instruktion über die Schulgesetze separatim editae sunt.

1911. — In instructione sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium de die 22. Iulii 1898 circa conventus sacrorum Antistitum in ditionibus austriaci imperii proponitur inter res graves ad deliberandum congressuris etiam Synodorum iuxta Tridentinas leges instauratio.[1] Et Praesules ipsi Vindobonae diebus Octobribus anno 1906 una congregati ad res collatis consiliis discutiendas in litteris suis, venerabili Clero in festo s. Lucae Evangelistae 1906 datis, de Synodis utpote sat efficacibus mediis verae reformationis haecce notarunt:

»Apprime novimus, fratres dilectissimi, vestra quoque consilia, vestram cooperationem Pastoribus in regimine Ecclesiae opportuna esse et perutilia. Hoc consilio mater Ecclesia instituta condidit, *ut sunt Synodi*, quae sensim in usum iterum veniunt, conferentiae decanales et pastorales, quae opportunam sacerdotibus offerunt occasionem negotia pastoralia discutiendi, desideria pastoribus libere aperiendi. Haec genera conventuum, usu Ecclesiae iam sancita, nos venerabili Clero commendamus, utpote quibus honestae libertati satisfit simulque constitutioni ordinis sacerdotalis hierarchicae. *Caeteras vero sacerdotum inter se associationum formas, quae disciplinae ecclesiasticae et spiritui sacerdotali minus conveniunt vel ab eis alienae sunt, profecto commendare non possumus.*«[2]

De historia, theoria et praxi Synodorum recentiori tempore frequentius et prolixius pertractari assolet.[3] Nu-

[1] Geschäfts-Ordnung für die Konferenzen der österr. Bischöfe auf Grund der „Instructio S. Congregationis negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae" vom 22. Juli 1898 entworfen und am 12. November 1901 von der Generalversammlung genehmigt. Brünn, 1902. S. 5. — [2] Dr. Michael Napotnik, Send- und Lehrschreiben. Marburg, 1911. Pag. 878 et 879. — [3] Praeter litteraturam desuper in praecedentibus quatuor libris synodalibus locis opportunis adductam, videsis: Dr. Michael Napotnik, Die Bedeutung der Partikular-Konzilien in der Gegenwart. Gedenkblatt an das vom Heil. Apost. Stuhle zu Rom am 2. September 1909 genehmigte Salzburger Provinzial-Konzil. Salzburg, 1910. 8°. Pagg. 11. — Dr. Karl Hübner, Die Provinzialsynoden im Erzbistum Salzburg bis zum Ende des XV. Jahrhunderts. — Idem, Die Salzburgischen Archidiakonalsynoden. (Deutsche Geschichtsblätter. Gotha, 1910). — Idem, Die Passauer Diözesansynoden. (Programm des n.-ö. Landes-Real- und Ober-Gymnasiums in St. Pölten. 1910/1911). — Victor Steska, Tomaž Hren in gornjegrajska sinoda l. 1604. (Relatio de libro manuscripto, cui titulus: Constitutiones synodales pro Clero et dioecesi Labacensi. Promulgatae ut alias saepius,

perrime celebratum Concilium provinciale Salisburgense de re nostra statuit, ut sequitur: »Synodi dioecesanae ab Episcopo proprio indicantur pro temporum et locorum opportunitate in exercitiorum spiritualium decursu singulis annis.«[1] Doctores volunt, Episcopum teneri post sex menses a Concilio provinciali ad convocandam Synodum dioecesanam, ut legantur inibi decreta istius Concilii.[2] Certe vetus mos est, ut Synodo provinciali succedat dioecesana, in qua statuta illius promulgentur et explanentur. Porro necessarium est, ut constitutiones Synodorum ecclesiae Lavantinae hucusque habitarum concilientur et concordentur cum decretis Concilii metropolitici, ultimo celebrati. Quo de negotio synodali iam sermocinatus sum in edicto de observandis provincialis Concilii Salisburgensis constitutionibus, in festo Paschatis 1910 rite promulgatis, publicato die 24. Iunii 1910.[3]

Egomet omnes boni pastoris partes studiose explere et omnes dioecesanos paterna charitate prosequi et amplecti cupio. Proinde non solum Conciliorum praesertim Tridentini sacris parere canonibus volo, verum etiam ea, quae de Synodis dioecesanis statuit Concilium provinciae Salisburgensis, inviolabiliter custodire et pro viribus observare in animo habeo.

Idcirco quater perlustrata universa dioecesi, peractis porro quatuor episcopatus et septem presbyteratus nostri lustris atque duodecim vitae ac novies visitatis sacris Liminibus, utentes potestate nostra ordinaria et accedente reverendissimo Capitulo cathedrali laudatoque Consistorio Lavantino votis unanimis proposito nostro atque confisi in adiutorio Dei omnipotentis, per os magni Isaiae prophetae nos exhortantis *ini consilium, coge concilium* (Is. 16, 3), nec non innixi suffragiis beatae Mariae Virginis salutis Lavantinorum omniumque dioecesis patronorum ac patro-

sic novissime in Synodo annua Oberburgi habita 6. Feb. 1604 in festo s. Dorotheae Virg. et Mart. — Čas, Znanstvena revija. Ljubljana, 1912. Pag. 49—57).

[1] Op. cit. pag. 215. num. 310. — [2] Io. Ant. Massobrius, Tractatus de Synodo dioecesana. Romae, 1627. Cap. 2. dub. 5. et 6. — Barth. Gavantus, Op. cit. annotatio. § 4. pag. 255. — [3] Folium officiale dioecesis Lavant. 1910. Nr. VII. alin. 55. pag. 114 et 115.

narum: *novam Synodum dioecesanam in sancti Aloysii ecclesia seminarii clericorum Marburgi a vesperis diei 28. Augusti usque ad mane diei 1. Septembris anni decurrentis celebrandam indicimus atque indictam declaramus*, uti primum eam in festo Epiphaniae die 6. Ianuarii dilabentis anni frequenti populo intra Missarum sollemnia promulgari curavimus.

Ad legitime proclamatam et decretam Synodum decenter advoco totum Clerum urbanum et foraneum seu omnes sacerdotes saeculares et regulares, qui vocati fuerunt ad priores quinque congressus synodales. Quoniam in futura Synodo agendum erit de re, universum Clerum Lavantinum concernente, nempe de reformatione morum ac de intimandis decretis Concilii provincialis, iuxta dispositionem iuris canonici omnes de eodem Clero accedere tenentur, ita tamen, ut ecclesiis debita servitia non subtrahantur.[1]

Singulariter eos, qui interesse aut iure obligantur aut merito invitantur, ad indictam Synodum voco, videlicet reverendissimi Capituli nostri cathedralis dignitates, canonicos gremiales et honorarios; porro omnes professores et docentes sacrae Theologiae in dioecesano instituto theologico nec non directores seminarii maioris et rectores seminarii minoris; dein doctores sacrae Theologiae, doctores in iure canonico et doctores philosophiae christianae; item religiosae institutionis professores ac magistros in scholis mediis et in paedagogiis.

Districtim invito plurimum reverendos Dominos: saecularem abbatem Celeiensem, praepositum Petoviensem et archidiaconum Konjicensem. Canonice requiro omnes decanos, parochos, provisores et administratores parochiarum, beneficiatos, catechetas scholarum urbis Marburgensis et omnes sacerdotes huius civitatis ceu sedis meae residentialis. Invito porro, ut decet, praepositos et priores

[1] Sacra Congregatio Concilii die 15. Decembris 1629. (Benedict. XIV., De Synodo dioecesana. Libri tredecim. Lib. III. cap. 6. num. 2. Romae, 1755. Pag. 66). — D. Bouix, Tractatus de Episcopo, ubi et de Synodo dioecesana. Edit. tertia. Tom. II. pag. 360 sq.

conventuales regularium, qui curam animarum agunt aut quorum monasteriis et domibus beneficia curata incorporata sunt; dein superiores provinciales ordinum, quorum conventus in nostra dioecesi consistunt, nec non rectores et superiores horum conventuum et domuum religiosarum.

Comiter invito ad plenam Synodum perillustrem Dominum Placidum Epalle, abbatem Trappistarum beatae Mariae de Liberatione Reichenburgi, qui Dominica die 18. Decembris 1910 ab Ordinario Lavantino benedictus est in Praelatum monasterii, in qua festivitate iuramentum emisit iuxta formam in Pontificali romano »de benedictione Abbatis auctoritate apostolica« praescriptam declarando: *Vocatus ad Synodum, veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione.* Insimul est coenobii Praestes patronus parochiae sanctorum apostolorum Petri et Pauli Reichenburgi atque plebaniae beatae Mariae Virginis Koprivnicae nec non iurisdictione pro excipiendis confessionibus poenitentium, ab extra monasterium visitantium, dotatus.

Denique accieo ad Synodum, in qua graves res Cleri agentur, etiam sic dictos pensionistas seu quiescentes, iurisdictione confessiones audiendi gaudentes, quibus vires corporis et animi ad comparendum in coetu non desunt. Ultimo accio cooperatores in cura animarum, de quibus decanus iudicaverit, illos absque spirituali damno fidelium per dies synodales absentes esse posse. Caeterum debent animarum rectores ante iter ad Synodum ineundum inquirere, si qui sint aegroti in parochia, ut illos visitent, etiam non requisiti, et eos commendent vicinis sacerdotibus. — Praeter nominatos nemini Synodo interesse licebit. Item prohibeo, quominus sacerdotes ex aliena dioecesi sine expressa licentia nostra consessui dioecesano intersint. Synodum namque ut conventum familiae habemus, ubi pater cum filiis et filii cum patre de negotiis sibi communibus tractant. In hoc foedere domestico licet Ordinarius unicus sit iudex atque legislator, nihilominus libentisime audiet maximique aestimabit vota et consilia omnium sodalium, probe sciens, ad prudentiam christianam pertinere docili-

tatem, et persuasus, talem docilitatem Deo valde gratam ac beneplacitam esse.

Domini decani nomina eorum, qui ad Synodum accedent, denuncient usque ad decimam diem mensis Augusti huius anni reverendissimo princ. episc. Consistorio. Pro synoditis habitacula praeparabuntur in ambobus seminariis, in monasterio patrum Franciscanorum, in aedibus Capituli cathedralis, in domo Parochi ecclesiae cathedralis nec non in Episcopio. Omnes synodales foranei nanciscentur hospitia gratuita, uti in Synodo ultima et paenultima practicatum est. Si quis specialia hac in re habeat desideria, ea communicet cum Praefecto hospitiorum eiusque comministris.

Si quis honestam ob causam putaverit, se non posse ad sacram Synodum venire, indicabit hoc princ. episc. Consistorio cum accurata causae designatione. Si causa fuerit infirmitas, medici testimonium apponat. Quamvis iuxta sanctiones iuris canonici Episcopus in illegitime absentes censuris ecclesiasticis animadvertere potest[1], verumtamen quoad vos, in Christo carissimi consacerdotes, certo certior sum, quod hilari et laeto animo benevolae nostrae invitationi obtemperabitis et ad canonice indictum congressum dioecesanum lubenter approperabitis.

Venerabiles in Christo fratres!

Vos bene nostis verba Domini, dicentis *sine me nihil potestis facere* (Ioan. 15, 5), et ex altera parte optime vobis nota sunt verba s. apostoli Pauli, affirmantis *omnia possum in eo, qui me confortat.* (Philipp. 4, 13). Ideo vos hortor et obsecro, ut fervidas preces et orationes ad Deum in misericordia divitem fundatis, ut Sextae Synodo nostrae incrementum suum det. Hunc in finem praecipio, ut incipiendo a festo Pentecostes unaquaque die, rubricis permittentibus, ab omnibus sacerdotibus *collecta de Spiritu Sancto* in Missa sumatur, in ecclesia vero cathedrali s.

[1] Bened. XIV. op. cit. lib. III. cap. 12; Concil. Trid. sess. XXIV. cap. 2. de reform.

Ioannis Bapt. et in cunctis ecclesiis decanalibus tamquam eminentioribus qualibet feria V. celebretur *Missa votiva de Spiritu Sancto.*

Secundum Caeremoniale Episcoporum conveniens est, si inchoanda Synodus »tam in ipsa ecclesia cathedrali per concionatorem quam in singulis parochialibus per parochos iterum atque iterum denuncietur populusque fidelis ad devotionem, orationes, ieiunia, sacramentum poenitentiae, sanctissimae Eucharistiae sumptionem aliaque pia opera adhortetur; ut actio huiusmodi, Deo opitulante, dignum sortiatur exordium felicemque et fructuosum progressum et exitum habeat.«[1] Hoc spiritu et sensu statuo ac fieri mando, ut Dominica XII. post Pentecosten et V. Augusti, immediate praecedente Synodum, *coram exposito Sanctissimo* recitetur *rosarium gloriosum* et persolvantur *litaniae Lauretanae*, quibus terminatis detur benedictio sacramentalis. Vespere huius Dominicae, in quam simul incidit festum purissimi cordis beatae Mariae Virginis, in omnibus ecclesiis parochialibus extra urbem Marburgensium per totam dioecesim omnes campanae post »salutationem angelicam« per duos horae quadrantes sollemniter pulsentur.

Ego vero vi indulti sacrae Congregationis, die 28. Augusti 1903 obtenti, indulgentiam *quinquaginta dierum*, singulis vicibus lucrandam, concedo omnibus dioecesanis Christicolis, qui a die promulgationis huius edicti ad dimissam usque Synodum quamlibet ecclesiam seu quodlibet oratorium publicum visitaverint ibique pie ac devote ter *Pater noster* cum *Ave Maria* et semel *Credo* cum *Gloria Patri* recitaverint pro Synodi felici principio, pro prospero eius processu et fine salutifero. Qua de concessione simulac de momento et emolumento concilii dioecesani omni studio instruendi sunt fideles. Si fecerimus omnia, quae debuimus et potuimus, indubie gratia divina non deerit operationi sacrae et salutari, qualis praedicatur et est Synodus dioecesana.

[1] Lib. I. cap. XXXI. num. 4. Edit. cit. pag. 115 sq.

Certe commodius numquam potest moneri ac moveri totus Clerus quam in Synodo dioecesana. Propterea cum sermonibus, ab Episcopo in Synodo habendis, coniungentur exercitia spiritualia, per virum pium ac peritum, zelo disciplinae clericalis illustrem et exemplo potentem dirigenda, una cum communione generali in sessione ultima. Insuper summum Ecclesiae Pontificem, sanctissimum Dominum nostrum Pium X., instanter orabo, ut indulgentiis plenariis cum Synodi sodales tum caeteros fideles ditare dignetur, quas durante Synodo in ecclesiis Marburgi erectis et iusto tempore accuratius designandis lucrari poterunt. Hunc nostrum communem rogitum Suae Sanctitati iam die 20. Decembris evoluti anni 1910 proponendum praenunciavi.

Statuta, publicanda in Synodo ventura, omni quidem diligentia et circumspectione elaborantur nec non in quatuor *Consiliis* ad hoc deputandis acriter examinantur, exopto tamen animitus et volo, ut inde a die 5. Augusti per quatuordecim dies in cancellaria princ. episc. Ordinariatus prostent eum in finem, ut animarum pastores Lavantini ea legere, considerare et in plagulis adnexis adnotare queant, quaecunque eis digna esse videntur animadversione. Praeterea dictis curatis do potestatem, ut ad diem usque primam mensis Augusti huius anni — cum dignitate et honestate — manifestent sua vota, ferant suas sententias relate ad proxime celebrandam Synodum. Immo omnes Synodi participes in Domino rogito, ut mihi suggerant et suadeant, quidquid in salutem animarum inque bonum peramplae et almae dioecesis statuendum desiderent.

Summarium praesentis edicti invitatorii et promulgatorii sextae Synodi Lavantinae, valvis ecclesiae cathedralis et foribus sacelli s Aloysii more solito[1] affixum, eamdem vim habere volo, ac si ipsis singulis, quorum interest, decretum istud allatum et denunciatum sit. In quem scopum litteras has decretales propria manu signatas confici ac

[1] Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 constitutae et celebratae. Marburgi, 1897. Pag. 15. nota 2.

sigillo episcopali muniri et publicari iussi. — Regula et norma agendorum in sexta Synodo dioecesana Lavantina, canonice modo indicta, typis iam descripta est[1] et synodalibus recto tempore extradetur. Exemplar *manualis*, quod curatis transmittetur, quisque synodalium secum habebit.

Vespere diei 28. mensis Augusti, quo sacer consessus incipit, ab hora sexta per duos quadrantes campanae omnium ecclesiarum Marburgensium sollemni pulsentur sonitu. Ecclesia conciliaris s. Aloysii apparatu festivo decoretur ad augendam sacram sollemnitatem.[2] In altari maiore ardeant indesinenter sex candelae, durante *sessione* synodali. — Episcopus potest in qualibet suae dioecesis parte Synodum cogere, ex necessitate etiam extra dioecesim, modo tamen consentiat loci Ordinarius; expedit tamen, ut illam congreget in civitate sua residentiali apud suam cathedralem. Est universalis consuetudo, ut *sessiones* synodales fiant in ecclesia, nisi gravis aliqua ratio exposcat, ut extra ecclesiam habeantur. Inter ecclesias, si fieri potest, eligenda est cathedralis; urgente rationabili et honesta causa non prohibetur Episcopus Synodum facere in alia ecclesia.[3] Ita apud nos seminarii ecclesia iam sexta vice ad Synodi celebrationem anteponitur. Et merito. Quum enim synoditae, qui episcopalem civitatem non incolunt, in seminario clericali plerumque recipiantur hospitio, ne eos per vias et plateas circumcursare necesse sit, non in cathedrali neque in basilica Matris misericordiae, sed in ipsa seminarii ecclesia Synodus celebratur.

Sub finem denuo omnes et singulos, quorum interest et eos potissimum, qui ab ultima Synodo abfuerunt, in virtute sanctae obedientiae invito ad contionem synodalem. Praeparate vos igitur, in Domino dilecti fratres et filii, omni industria ad magnum convivium, quod fors ultimo vobis facere potero! Et dein parandis paratis venite hilares

[1] In lucem prodiit sub titulo: Manuale agendorum in Synodo dioecesana Lavantina a die 28. mensis Augusti usque ad diem 1. mensis Septembris anni 1911 tenenda. Edendum curavit celsissimus et excellentissimus ac reverendissimus Dominus Michael, Princeps-Episcopus Lavantinorum. Marburgi, 1911. Pagg. 64. — [2] Caerem. Episc. lib. I. cap. 12. de ornatu ecclesiae; cap. 31. num. 6. — [3] Bened. XIV. op. cit. lib. I. cap. 5. num. 6.

et alacres et concoenate mecum! Expansis manibus vos excipiam et ducam in domum Dei, ut gaudeamus suavi praesentia Iesu secundum ipsius promissionem: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (Matth. 18, 20) et ut Pater coelestis *abundantes divitias gratiae suae in bonitate ostendat super nos in Christo Iesu!* (Ephes. 2, 7).

In dulci hac spe finem facio epistolae meae invitatoriae cum epiphonemate divi Pauli apostoli, acclamantis: *Gratia vobis et misericordia et pax a Deo Patre et Christo Iesu Domino nostro!* (I. Tim. 1, 2).

Dabantur Marburgi in aedibus nostris, festo beatae Mariae Virginis *de bono consilio,* die 26. mense Aprili anno reparatae salutis 1911.

L. S.

† **Michael,**
Princeps-Episcopus.

Rogatio

Apostolicae Sedi pro plenariis indulgentiis in favorem Cleri populique dioecesani tempore synodali acquirendis substrata.

1. Epistola precatoria, missa Eminentissimo Domino Principi Cardinali Status Secretario Romam.

Eminentissime Domine Cardinalis!

Dum pro quolibet opere charitativo, ab Eminentia Vestra Reverendissima hucusque mihi praestito, grates reddo intimas ac sinceras, novam praestolor gratiam, ut nempe Eminentissima Amplitudo Vestra adnexum libellum supplicem pro impetrandis indulgentiis, uti moris est in cogendis Synodis dioecesanis, nec non collectionem pastoralium mearum epistolarum typis modo editarum Sanctitati Suae porrigere dignetur, apposita commendatione gravi et intercessione potenti.

Insimul suppliciter rogo, ut Eminentissima Dominatio Vestra alterum exemplar dictarum litterarum pastoralium

una cum manuali agendorum in proxima Synodo Lavantina benigne accipere velit.

Pro quo officio excipiat, quaeso, Eminentia Vestra debitas gratias nec non singularis existimationis ac venerationis sensa, quibus sum et ero

Reverendissimi Domini Cardinalis Status Secretarii

devotissimus ac studiosissimus servitor

† **Michael,**
Episcopus Lavantin.

Marburgi, Dominica Iubilate,
die 7. mensis Maii 1911.

Eminentissimo Domino Domino Raphaeli Card. Merry del Val, Status Secretario Romae. Vaticano.

2. Litterae supplices Sanctae Sedi substratae.

Beatissime Pater!

Divina favente clementia praeteritis annis 1896, 1900, 1903 et 1906 institui ego, humillime subscriptus Episcopus Lavantinorum, et concelebravi cum Clero Synodos dioecesanas, pro quibus Sancta Sedes numquam non misericorditer concessit indulgentiam plenariam quarumque acta et statuta typis descripta in audientiis die 6. Aprilis 1905 et die 18. Maii 1908 benigne mihi concessis reverenter et obedienter obtuli Sanctitati Tuae.

Temporum indigentiarum ratione habita iterum mihi in votis est et Clero populoque curae meae commisso salutare ac necessarium esse reor, ut a vesperis diei 28. mensis Augusti usque ad diem 1. Septembris anno hoc sextam Synodum in ecclesia maioris clericorum seminarii, in quo synodales invitati gratuito recipientur hospitio, ut in Synodis annorum 1903 et 1906 factitatum est, canonice celebrem in commune bonum dioecesis meae Lavantinae.

Caeterum Sanctitati Tuae iam litteris, homagia mea fidelia die 20. Decembris anno evoluto 1910 exhibentibus, decenter praenunciavi firmum meum propositum, anno dilabente novam tenendi Synodum dioecesanam, in qua novissima pergravia decreta Pontificia in salutem almae

et peramplae dioecesis explanari eiusque exigentiis adaptari debeant.

Quo autem efficacius grave piumque opus evadat pro Dei gloria et fructuosius pro animarum salute peragatur, de genu precor Sanctitatem Tuam, ut indigno servo Tuo clementissime praestare dignetur facultatem, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, uti moris est in habendis comitiis synodalibus, concedendi omnibus Christifidelibus, qui rite perceptis Poenitentiae et Eucharistiae sacramentis ecclesiam s. Ioannis Bapt. cathedralem vel basilicam Matris misericordiae vel vero alias in civitate mea residentiali exstantes ecclesias, Synodo durante, visitabunt ibique more usitato pias Deo effundent preces.

Sacrum Synodi opus Tibi, sanctissime Pater, uti par est, maxima animi devinctione subiicio Tibique in omnibus et singulis plenissimam obedientiam promitto nec non cum pastoribus et oviculis in Domino spondeo, futurum esse, ut nos omnes indivulse adhaereamus et virili animo obtemperemus Pastori agnos et oves Christi pascenti, Magistro verba vitae habenti et summo in terris Pontifici.

Insimul permittas, quaeso, Beatissime Pater, ut exemplar litterarum mearum pastoralium hocce anno publico prelo datarum in venerabiles Tuas manus tradam, prouti in audientia, auspicato die 18. mensis Maii 1908 benevole mihi concessa, librum epistolarum pastoralium in altero sermone indigena anno 1906 editarum, Sanctitati Tuae offerre ausus sum.

Adeo ergo cum fiducia ad thronum Tuum, ut misericordiam consequar et gratiam inveniam in auxilio opportuno, et ad pedes Tuos prostratus pro me Cleroque populoque benedictionem Apostolicam ardenter et audacter imploro

Sanctitati Tuae humillimus, devotissimus
et obedientissimus famulus et filius

† **Michael,**
Episcopus Lavantinorum.

Marburgi, in Patrocinio s. Ioseph sponsi
B. M. V., die 7. mensis Maii 1911.

Summo Pontifici Pio PP. X. Romam. Vaticano.

3. Responsum

ad praecedentes litteras petitorias datum a sacra Secretaria Status.

Segreteria di Stato
di Sua Santità.

Dal Vaticano, die
30. Maii 1911.

Nr. 50.921.

Illustrissime ac Reverendissime Domine!

Beatissimus Pater benigne annuit precibus quas Eidem porrigebas in epistola cui dies inscripta erat 7. Maii c. m.: et hisce meis litteris adnexum ·/. mitto ad te Rescriptum a S. C. S. Officii ea de re editum.

Tibi vero novam dioecesanam Synodum auspicaturo Sanctitas Sua egregiam gratulatur navitatem eamdemque laetissimorum ubertatem fructuum allaturam, Deo adiuvante, confidit. Macte igitur animo divinoque fretus auxilio, quod numquam deest certantibus bonum fidei certamen, concreditos tibi fideles ita vigilanter regere perge, ut *profectus sanctarum ovium fiant gaudia aeterna pastoris.* Ad extremum Augustus Pontifex memorem tibi profitetur animum ob missum exemplar tuarum litterarum pastoralium, et fausta quaeque adprecatus, amantissime tibi tuisque omnibus benedicit.

Pergratum et ipse habui alterum litterarum earumdem exemplar mihi perhumaniter oblatum, tibique gratias agens, ea qua par est existimatione, me Amplitudini Tuae profiteor libentissime

Addictissimum

R. Card. **Merry del Val,** m. p.

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Michaeli Napotnik, Lavantinorum Episcopo Lavantum.

(cum adnexo Rescripto).

4. Rescriptum,

quo sacra Congregatio S. Officii pro tempore Synodi semel plenariam Indulgentiam defunctis quoque applicabilem concedit.

Nr. 2027/11.

Beatissime Pater!

Episcopus Lavantinus, cum in eo sit ut celebret Synodum dioecesanam, diebus nimirum a 28. Augusti ad primam Septembris decurrentis anni 1911, ad pedes S. V. provolutus humillime petit, ut christifideles, qui, confessi ac s. Communione refecti, aliquam civitatis Marburgensis ecclesiam praefato tempore visitaverint ibique ad mentem S. V. oraverint, semel plenariam Indulgentiam defunctis quoque applicabilem lucrari valeant.

Et Deus.

Die 29. Maii 1911.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. X. per facultates R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertitas benigne annuit pro gratia iuxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. S.

Aloisius Giambene, m. p.
Substitutus pro Indulgentiis.

Summarium

edicti indictionis et convocationis sextae Synodi dioecesanae, quod in lingua latina et slovenica et theodisca exaratum ad valvas ecclesiae cathedralis et ad seras sacelli s. Aloysii appendebat a die 28. Iunii usque ad 28. Augusti 1911.

Synodus dioecesana per Reverendissimum Dominum Nostrum Principem-Episcopum Michaelem indicta hoc anno 1911 mense Augusto die 28. Deo adiuvante in ecclesia s. Aloysii Marburgi inchoabitur.

Die von unserem Hochwürdigsten Herrn Fürstbischofe Michael angekündigte Diözesansynode wird in diesem Jahre 1911 mit dem Beistande Gottes in der Kirche des hl. Aloysius zu Marburg am 28. August beginnen.

Während der Feier der hl. Diözesansynode können die Gläubigen des von Sr. Heiligkeit Papst Pius X. für die Dauer der Synode mit Reskript der hl. Kongregation S. Officii vom 29. Mai 1911 Z. 2027/11 gewährten vollkommenen Ablasses einmal teilhaftig werden, wenn sie nach würdigem Empfange der hl. Sakramente der Buße und des Altares die Dom- und Stadtpfarrkirche zum heil. Johannes Bapt. oder die Basilika der hl. Maria, der Mutter der Barmherzigkeit, oder auch eine andere Kirche der Residenzstadt Marburg besuchen und in der besuchten Kirche für die Einheit der christlichen Fürsten, Ausrottung des Irrglaubens, Bekehrung der Sünder und Erhöhung unserer Mutter der heil. katholischen Kirche andächtig zu Gott beten. Der Ablaß kann fürbittweise auch den Verstorbenen zugewendet werden.

Carolus Hribovšek, m. p.
Pr.-Ep. Cancellariae Director.

Cerkveni zbor za Lavantinsko škofijo, katerega so napovedali naš milostljivi gospod knezoškof Mihael, se bo z božjo pomočjo pričel dne 28. meseca avgusta tekočega leta v cerkvi sv. Alojzija v Mariboru.

V dnevih cerkvenega zbora ali škofijske sinode morejo verniki enkrat za se ali za verne duše zadobiti popolni odpustek, podeljen za čas sinode od sv. Očeta Pija X. s pismom svete kongregacije S. Officii z dne 29. maja 1911 štev. 2027/11, če vredno prejmejo zakramenta sv. pokore in presv. rešnjega Telesa, obiščejo stolno in mestno-župnijsko cerkev sv. Janeza Krstnika ali baziliko Marije, matere milosti, ali tudi katero drugo cerkev stolnega mesta Mariborskega ter v obiskani cerkvi pobožno molijo za edinost krščanskih poglavarjev, za uničenje

krivih ver, za izpreobrnjenje grešnikov in za povišanje matere sv. katoliške Cerkve.

Karol Hribovšek,
ravnatelj kn.-šk. pisarne.

Circulare,

quo denuo invitantur animarum pastores ad interveniendum Synodo.

Kn.-šk. Lavantinski konsistorij.

Št. 3458.

Maribor, dne 1. avgusta 1911.

Okrožnica.

Veseli, pa tudi truda in, kakor je gotovo upati, blagoslova polni dnevi šeste škofijske sinode se že bližajo. Papež Pij X. so pozdravili z očetovsko radostjo sinodo, k njej iz srca čestitali, njeno delovanje blagoslovili ter podelili v posebnem pismu kongregacije S. Officii z dne 29. maja 1911 za čas cerkvenega zbora popolni odpustek vsem vernikom Lavantinske škofije, ki bodo vredno prejeli zakramenta sv. pokore in presv. rešnjega Telesa ter obiskali stolno in mestno-župnijsko cerkev sv. Janeza ali baziliko Matere milosti ali tudi katero drugo cerkev stolnega mesta Maribora in tamkaj pobožno molili po namenu svetega očeta Pija X. (Cerkv. zaukaznik za Lav. škofijo, 1911, štev. IX. odst. 86). Odpustek se lahko obrne tudi dušam v vicah v prid.

Z ozirom na vse to se opomnijo čč. gg. dušni pastirji, da *brž ko mogoče — vsaj do 10. avgusta t. l.* — potom kn.-šk. dekanijskega urada semkaj prijavijo svoj prihod k tej bržčas poslednji sinodi, da za dom vse potrebno pravočasno oskrbijo, verno ljudstvo pa prijazno povabijo, da pride XII. nedeljo po binkoštih, na praznik prečist. srca Marijinega, v obilnem številu v cerkev k predpisanim molitvam ter še isti dan po večni luči, ko bodo slovesno

zapeli cerkveni zvonovi, posebno moli k Bogu in Mariji za srečen začetek in uspešen izid škofijske sinode. (Cerkv. zaukaznik, 1911, št. VI. odst. 55).

K. Hribovšek,
ravnatelj pisarne.

Expetitio

consilii seu consensus Capituli cathedralis pro congreganda Synodo dioecesana proque promulgandis constitutionibus synodalibus.

Nr. 16/Praes.

Venerandi fratres!

Concilium dioecesanum Episcopus propria sua et ordinaria auctoritate convocat, praeparat ac legislativa qua pollet potestate decernit decernenda. At vero secundum normam a iure stabilitam Praesul ad habendam Synodum eiusque decisiones promulgandas *consilium* Capituli requirit, ut eo maior vis decretis condendis accrescat.

Quamvis vos, venerabiles fratres, qui ad comitia synodalia de iure pertinetis ideoque expresse ad instantem Synodum Nostram invitati estis, in cunctis actionibus praeparatoriis examinaveritis et probaveritis ea, quae futurum congressum dioecesanum respiciunt, videlicet indictionem, tempus, processum, materiam Synodi venturae, muneri tamen et officio Nostro, sacris canonibus sancito, rite satisfacere cupimus ac volumus.

Proinde per scriptum hoc de eis, quae ad maiorem Dei gloriam et in spirituale Cleri populique commodum ordinaturi sumus, *vestrum consilium* in omnibus et *consensum* in casibus a iure recensitis[1] expetimus, prout de iure ac iuris est.

[1] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita et facta. Marburgi, 1907. Pag. 25. nota 1.

Valde expedit, quod expetitio et obtentio consilii capitularis, facta Capitulo congregato, registretur in actibus synodalibus, id quod Synodus, anno 1906 celebrata, iuste observavit.

Interim ex toto animo cuncta bona faustaque vobis exoramus a Domino Deo, qui *ipse habet consilium et intelligentiam* (Iob 12, 13) quique vos elegit et posuit, ut senatus sitis constans Antistitis ecclesiae Lavantinae.

Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo! (Rom. 1, 7).

Dabamus ex aedibus Nostris Marburgi, in festo s. Ioannis Nepom. Canonici et Martyris, die 16. Maii 1911.

† **Michael,**
Princeps-Episcopus.

Reverendissimo Capitulo
ecclesiae cathedralis
Lavantinae. Marburgi.

Obtentio

consilii seu consensus capitularis aut canonicalis pro habenda Synodo dioecesana eiusque statutis promulgandis.

Ad Nr. 16/Praes.

Celsissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine Princeps et Episcope!

Synodi dioecesanae ad eas institutiones Ecclesiae pertinent, quas in ordine ad disciplinam Cleri populique servandam vel redintegrandam creavit; eae scilicet maxime idoneae disciplinae ordinandae ideoque ab Ecclesia saepe numero praeceptae sunt.

Quamvis porro Episcopi in suis quisque dioecesibus ordinaria sua auctoritate praecepta ac mandata, quibus disciplinam Cleri sui et populi moderentur, edere valeant eaque illis stricte observanda sint, abs re tamen non est,

immo ingenio Ecclesiae valde consonat, ut in illis condendis Synodo episcopali utantur. Haec namque hominis natura est, ut id, in quo constituendo ipse cooperatur, promptiore animo exequatur. Ordinationem enim in Synodo, cui intererat, factam Clerus quasi suam, licet Episcopi utpote solius in Synodo iudicis sit, considerat et ideo pro virili parte operam navat, ut ea suum effectum obtineat.

Episcopus vero, quae ipse in sua dioecesi circa praedicationem verbi Dei, institutionem iuventutis ac actionem cultus divini necessaria vel opportuna statuenda duxerit, ea a Clero synodali probari experitur et ita synoditas dimittens verbis divi Pauli uti potest: *Adiuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* (II. Cor. 6, 1).

Quae quum ita sint, Paternitati Vestrae clementissimae gratulatur, quod modo ad quintam Synodum celebrandam arma cingat et quae in ea tractanda sunt, circumspecte praeparet ac simul ad salutares fructus quattuor praecedentium cum spirituali gaudio respiciat, vocationi quoque aestimantissimae de die 16. Maii 1911 Nr. 16/Praes. hisce gremialiter obsequitur, Synodo instanti assentitur ac in ea celebranda operam suam et consilium se praestare velle sollemniter pollicetur

Celsitudini Vestrae Reverendissimae

Marburgi, in festo B. M. V. sub titulo auxilii Christianorum, die 24. Maii 1911.

obedientissimum Capitulum cathedrale:

Carolus Hribovšek, praepositus. — **Dr. Joannes Mlakar,** decanus. — **Josephus Majcen,** can. sen. — **Bartholomaeus Voh,** can. capit. — **Martinus Matek,** can. capit. — **Franciscus Moravec,** can. capit. — **Jacobus Kavčič,** canonicus.

Regula et norma

agendorum in sexta Synodo dioecesana Lavantina.

Praenotiones.

Sollemnitates rituales, a iure praescriptae, in congreganda ac tenenda Synodo dioecesana servandae sunt et absque indulto petito et concesso omitti nequeunt, ita sacra Congregatione Concilii etiam nuperrime et quidem die 29. Iulii 1905 declarante.[1]

Norma ad celebrandam Synodum episcopalem fusius descripta reperitur in libro de Synodo dioecesana, anno Domini 1896 habita, in opere de Synodo, anno iubilaeo 1900 facta, in volumine de Synodo, anno salutis 1903 coadunata et in codice de Synodo, anno 1906 concita. Ideo regula et norma gerendorum in Synodo hoc anno tenenda parcius delineantur. Exemplar huius *manualis* extraditur initio Synodi cuilibet synoditarum. Actiones Synodi dioecesanae, cuius faciendae *norma* iuxta rubricas *Caeremonialis Episcoporum* (lib. I. cap. 31) nec non *Pontificalis romani* (part. III. ordo ad Synodum) hisce obiter explicatur, auxilio divino expedientur in *Congregationibus* et *Sessionibus* omnium ad Synodum convenientium.

Congregationes habebuntur:

a) particulares sive Consilia Consultorum, praesentibus scilicet illis synoditis, qui pro singulis Consiliis Consultores constituentur;

b) generales, quibus cuncti Synodi *Sodales et Officiales* interesse tenentur.

---

[1] Rescriptum s. Congr. Concil. ad preces Episcopi Mariannensis in Brasilia de die 29. Iulii 1905. (Acta Sanctae Sedis. Romae, 1905. Vol. XXXVIII. fasc. 5. pag. 276 sq).

Sessiones publicae illi nominantur omnium synoditarum *sollemnes* consessus, in quibus ritu sacro per *Caeremoniale* et *Pontificale* praescripto, quae ad Synodum pertinent, peraguntur, et quae in Synodo decreta sunt, sollemniter promulgantur.

Expedientur vero actiones synodales tribus *Sessionibus publicis*, quibus quinque *Congregationes generales* praemittentur, pridie cuiuslibet Sessionis publicae habendae. *Congregationes particulares* seu consultationes *quattuor Consiliorum* locum habebunt tempore libero.

Sessiones publicae et *Congregationes generales* celebrabuntur in sanctuario s. Aloysii. *Congregationes particulares* habebuntur partim in seminario clericorum, partim in convictu epheborum vel vero aliis in locis congruentibus.

De prima Congregatione generali.

Ad rite constituendas actiones *primae Sessionis publicae* pridie *hora quarta pomeridiana* habebitur *prima Congregatio generalis.*

1. Omnes ad Synodum vocati in eaque comparentes — de saeculari Clero veste talari et chorali cum bireto, de regulari vero habitu sui ordinis et superpelliceis induti et cum decenti tonsura — congregantur in ecclesia cathedrali s. Ioannis Baptistae. Exinde procedent cruce ecclesiae cathedralis praelata in *Episcopium*, unde erit sollemnis supplicatio seu processio in synodale templum s. Aloysii, campanis ecclesiae cathedralis indesinenter pulsandis.
2. In processione servatur ordo, ut sequitur:
   Praecedet inter duos clericos ceroferarios *crux* ecclesiae cathedralis, gestata ab iuniore e Clero. Hanc sequetur *Clerus* iuxta dignitatem et ordinationis prioritatem.
   Praeibunt *sacerdotes* (regulares et saeculares), *qui non sunt beneficiati* cum cura animarum. Subsequentur *administratores* et *superiores* ordinum; dein *parochi* et *decani*, stolis rubri coloris ornati.

Succedent *doctores* philosophiae christianae, *doctores* romani in iure canonico, dein sacrae Theologiae *doctores*, porro studii theologici dioecesani *professores*, instituti puerorum *rectores* et seminarii clericorum *directores*.

Porro *Archidiaconus* Konjicensis, *Praepositus* Petoviensis et *Abbas* saecularis Celeiensis.

Perillustris *Abbas* Trappistarum (vel eius Procurator) cum suo comite.

Clerus ecclesiae cathedralis. *Magistri caeremoniarum*, acolythi et ministri pro assistentia.

Capitulum cathedrale in corpore procedet.

Reverendissimus sacrorum *Antistes* cum suo comitatu.

3. Bini gravi et lento decoroque passu procedent cum reverentia et religiosa devotione, ut externo iam exemplo populus ad pietatem excitetur.
4. Pie ac religiose sacrae supplicationi interessentibus et infra allegatos *hymnos* et *psalmos* alternatim recitantibus 50 dies de vera indulgentia in consueta Ecclesiae forma vigore indulti de die 28. Augusti 1903 conceduntur.

Hymni.

In adorationem sanctissimae Trinitatis.

Iam sol recedit igneus:
Tu lux perennis Unitas,
Nostris, beata Trinitas,
Infunde lumen cordibus.

Te mane laudum carmine,
Te deprecamur vespere;
Digneris, ut te supplices
Laudemus inter coelites.

Patri simulque Filio,
Tibique Sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit iugiter
Saeclum per omne gloria. Amen.

In gloriam beatae Mariae Virginis.

O gloriosa virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.

Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra flebiles,
Coeli recludis cardines.

Tu regis alti ianua,
Et aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptae plaudite.

Iesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

In honorem sanctorum Angelorum.

Christe, sanctorum decus Angelorum,
Gentis humanae sator et redemptor,
Coelitum nobis tribuas beatas
Scandere sedes.

Angelus pacis Michael in aedes
Coelitus nostras veniat, serenae
Auctor ut pacis lacrimosa in orcum
Bella releget.

Angelus fortis Gabriel, ut hostes
Pellat antiquos et amica coelo,
Quae triumphator statuit per orbem,
Templa revisat.

Angelus nostrae medicus salutis,
Adsit e coelo Raphael, ut omnes
Sanet aegrotos, dubiosque vitae
Dirigat actus.

Virgo dux pacis Genitrixque lucis,
Et sacer nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul et micantis
Regia coeli.

Praestet hoc nobis Deitas beata
Patris ac Nati pariterque Sancti
Spiritus, cuius resonat per omnem
Gloria mundum. Amen.

In laudes Omnium Sanctorum.

Salutis aeternae dator,
Iesu, redemptis subveni:
Virgo parens clementiae
Dona salutem servulis.

Vos angelorum millia,
Patrumque coetus, agmina
Canora Vatum: vos reis
Precamini indulgentiam.

Baptista Christi praevius,
Summique coeli Claviger,
Cum caeteris Apostolis
Nexus resolvant criminum.

Cohors triumphans Martyrum,
Almus Sacerdotum chorus,
Et virginalis castitas
Nostros reatus abluant.

Quicumque in alta siderum
Regnatis aula principes,
Favete votis supplicum,
Qui dona coeli flagitant.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

Psalmi.

Psalmus 22.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: * in loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas iustitiae, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: * quoniam tu mecum es.

Virga tua et baculus tuus: * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, * adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: * et calix meus inebrians quam praeclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me * omnibus diebus vitae meae:

Et ut inhabitem in domo Domini * in longitudinem dierum.

Gloria Patri . . .

Psalmus 26.

Dominus illuminatio mea et salus mea, * quem timebo?

Dominus protector vitae meae, * a quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas:

Qui tribulant me inimici mei, * ipsi infirmati sunt et ceciderunt.

Si consistant adversum me castra, * non timebit cor meum.

Si exsurgat adversum me proelium, * in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram, * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae:

Ut videam voluptatem Domini * et visitem templum eius.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me: * et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis: * cantabo et psalmum dicam Domino.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: * miserere mei et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: * faciem tuam Domine requiram.

Ne avertas faciem tuam a me: * ne declines in ira a servo tuo.

Adiutor meus esto: * ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: * Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi Domine in via tua: * et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini * in terra viventium.

Exspecta Dominum, viriliter age: * et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Gloria Patri . . .

Psalmus 66.

Deus misereatur nostri et benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: * in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: * confiteantur tibi populi omnes.

Laetentur et exsultent gentes: * quoniam iudicas populos in aequitate, et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes:* terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * et metuant eum omnes fines terrae.

Gloria Patri . . .

Psalmus 94.

Venite, exsultemus Domino: * iubilemus Deo salutari nostro.

Praeoccupemus faciem eius in confessione: * et in psalmis iubilemus ei.

Quoniam Deus magnus Dominus: * et Rex magnus super omnes deos.

Quia in manu eius sunt omnes fines terrae: * et altitudines montium ipsius sunt.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud: * et siccam manus eius formaverunt.

Venite adoremus et procidamus: * et ploremus ante Dominum, qui fecit nos.

Quia ipse est Dominus Deus noster: * et nos populus pascuae eius et oves manus eius.

Hodie si vocem eius audieritis: * nolite obdurare corda vestra.

Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto: * ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me et viderunt opera mea.

Quadraginta annis offensus fui generationi illi * et dixi: Semper hi errant corde.

Et isti non cognoverunt vias meas, ut iuravi in ira mea: * si introibunt in requiem meam.

Gloria Patri . . .

Psalmus 120.

Levavi oculos meos in montes, * unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, * qui fecit coelum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum: * neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit neque dormiet, * qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: * custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum: * ex hoc nunc et usque in saeculum.

Gloria Patri . . .

Psalmus 132.

Ecce quam bonum et quam iucundum * habitare fratres in unum!

Sicut unguentum in capite, * quod descendit in barbam, barbam Aaron:

Quod descendit in oram vestimenti eius: * sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem * et vitam usque in saeculum.

Gloria Patri . . .

Sub finem dicitur Antiphona:

Salve Regina, mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus, exsules filii Hevae. Ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte! Et Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium ostende! O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante, praeparasti: da, ut cuius commemoratione laetamur, eius

pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

5. In ingressu synodalis ecclesiae s. Aloysii omnes passum sistent, et reverendissimus Praesul *accepto aspergillo* de more asperget aqua lustrali et medium inter synoditas, comitatus a Capitulo cathedrali, accedet ad altare maius.

6. Dum Ipse, peracta sanctissimi Sacramenti adoratione, assumit in throno paramenta sacra, idem facientibus, qui Ei assistent, in sacristia, synoditae quiete occupabunt sedilia, quae in ecclesiae navi a dextris et a sinistris parata sunt, prout eis loca Magister caeremoniarum assignabit. Haec loca, durante Synodo, singuli tenebunt; attamen hic ordo, toto Synodi tempore stricte observandus, nullum honori vel dignitati fert praeiudicium.

7. In *sessionibus publicis* omnes synodales superpelliceis et biretis induti erunt. In *congregationibus* saeculares synoditae veste talari cum bireto, regulares habitu sui ordinis, *Officiales* autem superpelliceo seu cotta super vestem talarem vestiti comparebunt.

8. Ad Missas synodales et alias sacras functiones, quae peragentur, assistent et inservient synodales ex ordine, qui a Magistro caeremoniarum, annuente reverendissimo Ordinario, designabuntur.

Chorus Capituli cathedralis pro tempore Synodi, exceptis eis, quae in communi cum synoditis fient, suspenditur.

9. Omnibus paratis, Antistes accipit paramenta sacra et coram exposito augustissimo Sacramento intonat sequentiam: *Veni, Sancte Spiritus*, qua a choro absoluta, cantat relativum *versiculum* et respectivam *collectam* de Spiritu Sancto.[1]

10. Data benedictione et Sanctissimo reposito, Episcopus deponit sacras vestes et reassumit mozzettam. Sequitur *sacra dictio* salutatoria et introductoria.

[1] Pag. 68.

Post sermonem auguralem legitur de pulpito amovibili *decretum de Officialibus Synodi.* Quo praelecto Synodi *Promotores, Secretarius, Notarius* et *Procuratores* Cleri loca designata occupabunt, officio ac munere sibi commisso functuri.

11. Actutum accedens ad sedem Episcopi *Promotor*[1] instabit, ut *actiones synodales* indicantur et praeparentur; *Secretarius* vero, accepto Praesulis mandato, leget *summarium* istarum actionum.

12. Sequitur *Promotoris* instantia de constituendis *quattuor Congregationibus* pro deliberanda et examinanda Synodi materia. Exposita per reverendissimum Synodi Praesidem methodo, qua consultationes in *Congregationibus particularibus* expediendae erunt, praelegentur nomina eorum, quos sacrorum Antistes *quattuor Congregationum* Praesides, Consultores, Referentes et Notarios elegerit: quibus confestim extraditur materia deliberanda.

13. Sequitur *Promotoris* instantia de constituendis et respective approbandis in Synodo *Examinatoribus Cleri.* Praelectis per *Secretarium* nominibus eorum, quos reverendissimus Ordinarius constituit *Examinatores ordinandorum,* proponuntur per celsissimum Principem-Episcopum *Examinatores promovendorum ad beneficia curata,* in Synodo approbandi. Consimili modo commendantur *Parochi consultores. Facto* dein per *diribitores scrutinio,* publicantur data occasione nomina eorum, quos Synodus approbavit.

14. Homagium a synoditis per telegraphum significandum Sanctissimo Patri Pio X., eminentissimo Domino Ioanni Bapt. Cardinali Katschthaler, Principi-Archiepiscopo et Metropolitae Salisburgensi, itemque eminentissimo Domino Cardinali Status Secretario et excellentissimo Nuntio apostolico Vindobonensi, denique Suae caesareae ac regiae Apostolicae Maiestati, augustissimo Imperatori Francisco Iosepho I.

[1] Si fuerint duo Promotores, in formula dicatur: Nos N. et N. huius Synodi Promotores . .

Peropportunum esse videtur tempus, ut Synodus consolatoriam dirigat ad Lusitaniae Episcopos epistolam.

15. Posthac decretum de *Iudicibus querelarum et excusationum* vulgatur. — Indicta dein ad Promotoris instantiam *prima Sessione publica*, finis imponitur Congregationi primae *gratiarum actione.*[1] Qua peracta Episcopus discedit, comitante Ipsum Capitulo usque ad valvas ecclesiae.

Quo facto Congregatio dimittitur. In discessu post actiones synodales, ut servetur ordo et vitetur confusio, digniores priori loco abscedant.

16. Eodem vespere ab hora sexta per duos quadrantes campanae ecclesiae cathedralis s. Ioannis Baptistae, ecclesiae parochialis beatae Virginis Mariae seu basilicae Matris misericordiae, ecclesiae filialis s. Barbarae, ecclesiae synodalis s. Aloysii, ecclesiae beatae Virginis Mariae apud scholares sorores tertii ordinis s. Francisci Assisinensis, porro ecclesiae parochialis s. Magdalenae et ecclesiae s. Ioseph apud sacerdotes missionarios s. Vincentii a Paulo sollemni ritu pulsentur.

Affulsit enim dies optatissima sextae Synodi dioecesanae!

De prima Sessione sollemni.

Hora *septima matutina* omnes Synodi *Officiales* et *Sodales* congrediuntur in domo sacra s. Aloysii, occupant sua subsellia et exspectant adventum celsissimi ac reverendissimi Principis-Episcopi.

Eum cappa indutum et curru advectum excipit Capitulum cathedrale ad atrium ecclesiae Ipsumque ad altare maius deducit.

Mox quum illustrissimus Antistes sedem suam occupaverit, persolvitur *Tertia.* Qua finita et rite paratis omnibus, quae ad Sacrum requiruntur, procedit Episcopus

[1] Pag. 69. num. 2.

ad *altare* et celebrat *Missam de Spiritu Sancto.* (Gloria, unica Oratio, Credo, Praefatio de Spiritu Sancto et ultimum Evangelium s. Ioannis). Incensatur Clerus.

Finita Missa Pontifex depositis paramentis, Missae propriis, usque ad stolam exclusive accipit *pluviale* rubrum cum mitra pretiosa, accedit ad altare et genuflexus sine mitra incipit Antiphonam: *Exaudi*, deinde omnes surgunt et persolvunt *preces*, quas Pontificale romanum *pro prima Sessione* praecipit.[1]

Recedentibus Acolythis, deponit Episcopus paramenta, induit vestes pro Synodo et exorditur *Sessionem sollemnem*, si tempus permiserit, *sermone synodali.*

Quo audito, *Promotor* more in Synodis usitato instabit pro publicatione *decretorum*, formam Synodi respicientium, videlicet *de aperienda Synodo, de emittenda professione fidei* et *de iureiurando contra modernistas, de Ministris synodalibus, qui post Synodum munere fungantur, de servando secreto* et *de non discedendo.*

Singula decreta *Secretarius*, accepta de manu Episcopi, praeleget de pulpito amovibili.

Ad lectionem *decreti de emittenda fidei professione* et *de iuramento contra modernismum* surgit Episcopus et mitra deposita, conversus *ad altare* genuflectit et manu dextera libro sanctorum Evangeliorum admota, alta voce *professionem fidei* emittit, id est recitat, caeteris synodalibus una cum Eo recitantibus, formulam fidei Tridentino-Vaticanam et formulam iurisiurandi in Motu proprio »Sacrorum Antistitum« die 1. Septembris 1910 praescriptam. Primus actus est actus summae religionis et alter est sollemnis et publicus actus divini cultus.

Forma professionis fidei Tridentino-Vaticana.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium

[1] Pag. 70—78. num. 1.

omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam umquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum sollemni administratione recipio et admitto; omnia et singula, quae de peccato originali et de iusti-

ficatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo, Purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper virginis nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Caetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis Conciliis ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita et declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam, usque

ad extremum vitae spiritum constantissime Deo adiuvante retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum: ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia!

Formula iurisiurandi
in Motu proprio „Sacrorum Antistitum" praescripta.

Ego N. firmiter amplector ac recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae huius temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea, quae facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci adeoque demonstrari etiam posse, profiteor. Secundo: Externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christianae Religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intelligentiae esse maxime accommodata. Tertio: Firma pariter fide credo, Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, quum apud nos degeret, proxime ac directo institutam, eandemque super Petrum, apostolicae hierarchiae principem eiusque in aevum successores aedificatam. Quarto: Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio; ideoque prorsus reiicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia: pariterque damno errorem omnem, quo, divino deposito, Christi Sponsae tradito ab Eâque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefinito pro-

gressu perficiendae. Quinto: Certissime teneo ac sincere profiteor, fidem non esse coecum sensum religionis e latebris *subconscientiae* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, Creatore ac Domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

Me etiam, qua par est, reverentia, subiicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris »*Pascendi*« et in Decreto »*Lamentabili*«[1] continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant. — Item reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianae religionis originibus componi non posse. — Damno quoque ac reiicio eorum sententiam, qui dicunt, christianum hominem eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere, quae credentis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo haec directo non denegentur. — Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia fidei et Apostolicae Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur.

Sententiam praeterea illorum reiicio, qui tenent, doctori disciplinae historicae theologicae tradendae, aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate se-

[1] 8. Septembris 1907. — 3. Iulii 1907.

clusa, eâque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari. — In universum denique me alienissimum ab errore profiteor, quo *modernistae* tenent in sacra traditione nihil inesse divini; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum; hominum nempe sua industria, sollertia, ingenio scholam a Christo eiusque apostolis inchoatam per subsequentes aetates continuantium. Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de charismate *veritatis certo*, quod est, fuit eritque semper in *episcopatus ab Apostolis successione*[1]; non ut id teneatur, quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut *numquam aliter credatur, numquam aliter intelligatur* absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata[2].

Haec omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia!

Facta recitatione, Antistes in genua provolutus et dextera sacrosanctis Evangeliis imposita *iuramentum* emittit in hanc formam: *Ego Michael, Princeps-Episcopus Lavantinorum, promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo et iuro iuxta professionis fidei formulam a Pio IV. et Pio IX. praescriptam, singula singulis referendo.* — Item *spondeo me omnia fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo, quae in formula iurisiurandi, in Motu proprio »Sacrorum Antistitum« die 1. Septembris 1910 praescripta, proponuntur. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia!*

Postea sedens accipit mitram et Evangeliarium sustinens apertum super genua excipit iuramentum omnium

[1] Iren. 4, c. 26. — [2] Praescr. c. 28.

in Synodo congregatorum, qui *trini* ac *trini* mox accedunt et flexis genibus tres digitos manus dexterae, in sollemni iureiurando elevari solitos, nudos ponunt super Initium *sancti Evangelii secundum Ioannem* (in tertia Missa *de Nativitate* Domini) atque formulam iuramenti finalem pronunciant: *Ego idem N. N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia!* Quibus dictis, *osculantur* textum Evangelii,[1] et sessum redeunt.

Ad instantiam *Promotoris*, annuente Praestite promulgatur per *Secretarium* decretum de approbatis in Synodo *Examinatoribus promovendorum ad beneficia curata* et de *Parochis consultoribus*, qui, si praesentes fuerint, protinus accedunt ad Ordinarium, sollemni iuramento devinciendi.

Promulgatis dein, quae reverendissimus Synodi Praeses in hac prima Sessione sollemni promulganda decrevit, instabit *Promotor*, ut proxima *Sessio publica* indigitetur atque de peractis in Sessione praesenti et de aliis actionibus synodalibus conficiatur *mnemosynon authenticum.*

Quibus absolutis et praelecto decreto de *secunda sessione sollemni celebranda*, Episcopus *sollemnem benedictionem pastoralem* impertitur. Qua data, deponit vestes, et ordinato per mediam navim ecclesiae recessu Clerum in ianua ecclesiae dimittit et rheda in Aedes episcopales redit.

De Congregationibus particularibus.

Actiones *Congregationum particularium* expediuntur per quattuor *Consilia*, quibus singulis reverendissimus Praesul peculiarem materiae synodalis partem committet deliberandam.

Sessiones istorum *Consiliorum* habebuntur tempore libero et opportuno. Pro quolibet *Consilio* parabitur in aedibus seminarii clericorum et viridarii adolescentium

[1] Collectio rituum dioecesis Lavantinae. Marburgi, 1896. Pag. 437—441.

peculiare *conclave*, in quo eiusdem *Consilii consultores* hora accurate determinanda ad faciendam actionem synodalem convenient.

Actioni praemittuntur *preces*[1], per Consultores dicendae. Designati *Praesidis* erit, consultationes optimo quo poterit modo dirigere et curare, ut vota, desideria, mutationes aliaque huius generis scriptis mandentur, seu ut de actione Sessionis per *Notarium* conficiatur *Protocollum*, finita congregatione praelegendum et reverendissimo Episcopo, cum *eodem die ad faciendam Congregationem generalem* venerit, proponendum.

Ad *Praesides* horum *Consiliorum* pertinebit quoque, ut *Procuratoribus* Cleri in scriptis tribuant *consilia* singulorum Consultorum, quatenus isti petierint, ut de his suis consiliis et sententiis in Congregationibus generalibus, annuente Ordinario, publice disseratur.

In fine Sessionum persolvenda est *gratiarum actio*.[2]

De secunda Congregatione generali.

Quo die prima Sessio sollemnis celebrata est, post meridiem *hora quarta* instituetur *secunda* Synodi *Congregatio generalis*.

Praefixa hora convenient synodales in fano s. Aloysii. Antistite more solito adveniente, persolventur *Vesperae cum Completorio*. Quibus finitis pro consuetudine Synodorum incipit *actio synodalis* precibus, ante actionem synodalem persolvendis.[3]

Habebitur *prima meditatio*. Eius fine facto, Episcopus, prout opportunum duxerit, dilucidabit singulas propositae materiae synodalis partes.

Quibus actis instabit *Promotor*, ut vota et petita Cleri per illius *Procuratores* dilucidentur.

Quibus auditis et pro posse exauditis, reverendissimus Praelatus instruit Clerum de *Iudicibus in partibus*, et si Ei placuerit, Clero renunciat, quos huic obeundo muneri devinciendos statuerit.

---

[1] Pag. 69. num. 1. — [2] Pag. 69. num. 2. — [3] Pag. 69. num. 1.

Pari modo, si Ei in Domino consultum videbitur, eligit ac nominat viros, quos *Iudicii sui dioecesani* pro causis criminalibus et civilibus nec non *Tribunalis ecclesiastici* pro causis matrimonialibus constituerit *Consiliarios.*

Quibus peractis ad *Promotoris* instantiam et Ordinarii concessionem praelegetur per *Secretarium* summarium proximae *Sessionis sollemnis,* qua indicta, *preces pro gratiarum actione* absolvuntur.[1]

Hisce Congregatione generali rite conclusa, Episcopus comitante Capitulo cathedrali, ut de more, discedit.

De altera Sessione sollemni.

Die sequenti (feria IV.) celebrabitur *secunda sollemnis Sessio publica.*

Hora septima convenient omnes Synodi *Sodales et Officiales* in ecclesia conciliari ad s. Aloysium, ibidemque paratis parandis exspectant Pastorem dioeceseos. Qui quum post horam septimam *Cappa* indutus venerit modo, quo dictum est pro prima Sessione sollemni, Clero in locis designatis disposito, persolvitur *Tertia.*

Sequitur Missa *Requiem* pro defunctis ab ultima Synodo, verum etiam pro omnibus mortuis *Episcopis et sacerdotibus* dioecesis Lavantinae, per Dignitarium e Capitulo cathedralis ecclesiae celebranda (cum unica Collecta: *Deus, qui inter apostolicos,* Epistola et Evangelio, quae in Missali habentur in prima Missa pro defunctis).

Oblato Missae sacrificio, induitur illustrissimus Episcopus *paramentis nigris* pro facienda *Absolutione* ad tumulum.

Qua peracta, depositis nigris, assumit Episcopus paramenta Synodi, et inchoata ab Eo Antiphona *Propitius esto,*[2] fiunt ex ordine ea, quae pro *secunda die* in Pontificali romano adnotantur. Hisce precibus initium sumit *secunda sollemnis Sessio publica.*

[1] Pag. 69. num. 2. — [2] Pag. 78—81. num. 2.

Si tempus permiserit, praedicabitur *oratio synodalis*, quam sequetur *lectio* constitutionum, quas Ordinarius promulgandas decrevit.

Si sacrorum Antistiti placuerit, advocantur constituti *Iudices in partibus* et *Iudicii* ac *Tribunalis dioecesani Consiliarii* nec non *Parochi consultores* ad praestandum iuramentum in manus Episcopi *per tactum libri Evangeliorum*.

Indicta *Sessione sollemni proxima*, celsissimus Princeps-Episcopus *benedictionem pontificalem* elargitur. Dein depositis vestibus factoque recessu Clerum in ostio sacelli synodalis dimittit, et in Palatium suum curru vehitur.

De tertia, quarta et quinta Congregatione generali.

1. A meridie eiusdem diei seu feriae quartae *hora quarta* perficitur *tertia Congregatio generalis* ritu et modo, quo superius dictum est de secunda Congregatione.

   Habebitur *secunda meditatio qua consideratio.* Caetera evolvuntur uti in altera Congregatione generali.

   Eodem iam vespere et mane proximae diei praebetur synoditis occasio sacramentaliter confitendi.

2. Die sequenti peragetur *quarta Congregatio generalis*, ad quam Clerus synodalis eadem hora et eodem modo conveniet, prouti describitur in secunda Sessione publica.

   Quum in ecclesiam more solito venerit celsissimus Praesul, recitabitur *Tertia*, qua persoluta, celebratur per Canonicum Capituli cathedralis *Missa de die festo*, cui Episcopus assistet, *pluviali coloris albi* indutus. Synoditae recitabunt sacratissimum Rosarium gloriosum.

   Finita Missa, datur initium *Congregationi* precibus, ad hoc praescriptis. Deinceps habebitur *meditatio tertia.* Qua audita pertractabitur materia synodalis, prout in Domino illustrissimus Nauclerus iudicaverit et decreverit.

Quibus actis, fiunt preces *pro gratiarum actione*. Datis Deo gratiis, comitabitur Episcopum Capitulum cathedrale usque ad seras ecclesiae, et synoditae discedent.

Dein est tempus liberum *pro facienda confessione sacramentali.*

3. Hora *quarta* instituetur *quinta et ultima Congregatio generalis* modo superius descripto.

In hac *Congregatione* pertractabitur omnis materia synodalis, quae adhuc superfuerit.

De tertia et ultima Sessione publica.

Die sequenti celebrabitur *Sessio publica finalis*, ad quam Clerus synodalis hora *sexta* — vel vero alia iuxta circumstantias temporis et adiuncta personarum adhuc statuenda — et eodem modo, ut superius notatum est, congregabitur.

Absoluta, quum Synodi Praesul advenerit, *Tertia*, cantatur per Ipsum *Missa de sanctissima Trinitate* (addita sub distincta conclusione *Collecta* pro gratiarum actione). *Incensatur* Clerus. Post Pontificis communionem Sacerdotes, assumptis stolis, accedunt *ad sacram communionem*, qua accepta sumunt *ablutionem*.

Finita Missa pontificali, inchoatur *Sessio postrema* precibus, quae in Pontificali romano *pro tertia die Synodi* ponuntur.[1]

Deintus leguntur et publicantur, quae Ordinarius decreverit. Post haec vocabuntur nominatim omnes, qui huic Synodo dioecesanae interesse debuerint, et respondebit ad suum quisque nomen: *Adsum.* Absentes notentur aliquo signo v. gr. lineola. Contra sine iusta causa absentes animadverti potest censuris, etiam excommunicatione aliisve poenis, atque etiam mulctis pecuniariis.

Sequitur *allocutio finalis* celsissimi ac reverendissimi Principis-Episcopi, in qua Clerum potissimum de libenti ac simplici, de hilari ac virili deque humili, integra et

[1] Pag. 81. a.

constante observantia *constitutionum synodalium* monebit.

Postea ad instantiam Promotoris legitur *decretum* cum *de Synodo finienda* tum *de proxime habenda.* Episcopus, unicus in Synodo iudex, *subscribit* statutis.

Tandem ad altare maius exponetur sanctissimum Sacramentum. Quo incensato, intonat Antistes hymnum: *Te Deum laudamus,* quem chorus et Clerus alta voce prosequuntur. Hymno dicto et relativae orationi subnectitur oratio finalis: *Nulla est, Domine.*[1]

Immediate renovabitur *dedicatio et consecratio* dioecesis sacratissimo Cordi Iesu[2], uti id factum est in Synodis annis 1896, 1900, 1903 et 1906 coactis. Accedit *synoditarum commendatio et oblatio* purissimo Cordi beatae Mariae Virginis, prout in Synodo anni 1906 cum magna cordium laetitia peractum est.[3]

Quo facto cantatur ter *Sanctus* et datur *Benedictio sacramentalis.*

Reposito Venerabili, *aperiuntur portae* ecclesiae synodalis. Deinde *publicantur Indulgentiae concessae,* porro praelegitur *decretum de Synodo dimittenda.*

Post haec persolvuntur *Orationes*[4] et impertitur Clero et praesentibus laicis *benedictio sollemnis.*

Denique Archidiaconus, stans iuxta Pontificem, dicet voce elevata: *Recedamus in pace,* et acclamabunt omnes: *In nomine Christi!*

Omnibus rite peractis, excellentissimus Praesul deponit sacras vestes et ordinato recessu Clerum in foribus ecclesiae in nomine Domini dimittit atque in Aulam suam se recipit.

[1] Pag. 84. b. — [2] Pag. 84. 1. — [3] Pag. 85. 2. — [4] Pag. 86—88.

Preces in Synodo persolvendae.

a) Invocatio Spiritus Sancti ad initiationem et apertionem Synodi in prima Congregatione generali.

Reverendissimus Officiator intonat *sequentiam: Veni, Sancte Spiritus,* quam chorus et Clerus cantando prosequuntur:

Et emitte coelitus * Lucis tuae radium.

Veni, Pater pauperum, * Veni, dator munerum, * Veni, lumen cordium.

Consolator optime, * Dulcis hospes animae, * Dulce refrigerium.

In labore requies, * In aestu temperies, * In fletu solatium.

O lux beatissima, * Reple cordis intima * Tuorum fidelium.

Sine tuo numine * Nihil est in homine, * Nihil est innoxium.

Lava, quod est sordidum, * Riga, quod est aridum, * Sana, quod est saucium.

Flecte, quod est rigidum, * Fove, quod est frigidum, * Rege, quod est devium.

Da tuis fidelibus * In te confidentibus * Sacrum septenarium.

Da virtutis meritum, * Da salutis exitum, * Da perenne gaudium. Amen.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus. Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

b) In Congregationibus quattuor generalibus et cunctis particularibus.

1. Ante actionem synodalem.

Antiphona: Veni, Sancte Spiritus, quam synoditae prosequuntur: Reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende, qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

2. Post actionem synodalem.

Antiphona: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Oremus. Deus, apud quem pro perceptis donis gratitudo secura est alterius beneficii impetratio, da nobis dignas tibi pro collatis beneficiis gratias rependere, ut misericordiam tuam ad impertienda nobis nova bona provocemus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Sequitur oratio, ab omnibus recitanda:

Sub tuum praesidium confugimus — sancta Dei Genitrix — nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris — sed a periculis cunctis — libera nos semper — Virgo gloriosa et benedicta — domina nostra — mediatrix nostra — advocata nostra — tuo Filio nos reconcilia — tuo Filio nos commenda — tuo Filio nos repraesenta.

℣. Vultum tuum deprecabuntur.

℟. Omnes divites plebis.

Oremus. Defende, quaesumus, Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, nostram ab omni adversitate familiam et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

c) In Sessionibus publicis.[1]

1. In Sessione primae diei.

Pontifex ante faldistorium sibi paratum genuflexus, deposita mitra, incipit schola prosequente Antiphonam:

Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine.

Incepto Psalmo, sedet Pontifex, accepta mitra, et sic manet, quousque finiatur Psalmus et Antiphona repetatur.

Psalmus 68. Salvum me fac Deus: * quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi: * et non est substantia.

Veni in altitudinem maris, * et tempestas demersit me.

Laboravi clamans, raucae factae sunt fauces meae: * defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, * qui oderunt me gratis.

Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: * quae non rapui, tunc exsolvebam.

Deus tu scis insipientiam meam * et delicta mea a te non sunt abscondita.

Non erubescant in me, qui exspectant te, Domine, * Domine virtutum.

---

[1] Cfr. Pontific. rom. Part. tertia. *Ordo ad Synodum.*

Non confundantur super me: * qui quaerunt te, Deus Israel.

Quoniam propter te sustinui opprobrium: * operuit confusio faciem meam.

Extraneus factus sum fratribus meis, * et peregrinus filiis matris meae.

Quoniam zelus domus tuae comedit me: * et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in ieiunio animam meam; * et factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum cilicium: * et factus sum illis in parabolam.

Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta: * et in me psallebant, qui bibebant vinum.

Ego vero orationem meam ad te Domine: * tempus beneplaciti Deus.

In multitudine misericordiae tuae exaudi me, * in veritate salutis tuae.

Eripe me de luto, ut non infigar, * libera me ab eis, qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum: * neque urgeat super me puteus os suum.

Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: * et secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: * quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Intende animae meae et libera eam: * propter inimicos meos eripe me.

Tu scis improperium meum et confusionem meam, * et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me: * improperium exspectavit cor meum et miseriam.

Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: * et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel: * et in siti mea potaverunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum * et in retributiones et in scandalum.

Obscurentur oculi eorum, ne videant: * et dorsum eorum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam: * et furor irae tuae comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta: * et in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: * et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: * et non intrent in iustitiam tuam.

Deleantur de libro viventium: * et cum iustis non scribantur.

Ego sum pauper et dolens: * salus tua Deus suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico: * et magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo super vitulum novellum, * cornua producentem et ungulas.

Videant pauperes et laetentur: * quaerite Deum, et vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus: * et vinctos suos non despexit.

Laudent illum coeli et terra, * mare et omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus salvam faciet Sion: * et aedificabuntur civitates Iuda.

Et inhabitabunt ibi * et hereditate acquirent eam.

Et semen servorum eius possidebit eam: * et qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Finito Psalmo et repetita Antiphona, Pontifex surgit, et deposita mitra, versus ad altare dicit:

Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati: veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris: doce nos, quid agamus; quo

gradiamur, ostende; quid efficiamus, operare. Esto solus et suggestor et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre et eius Filio nomen possides gloriosum: non nos patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summe diligis aequitatem; ut sinistrum nos non ignorantiae trahat; non favor inflectat; non acceptio muneris vel personae corrumpat: sed iunge nos tibi efficaciter solius tuae gratiae dono, ut simus in te unum et in nullo deviemus a vero; quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur praemia sempiterna.

Respondetur ab omnibus: Amen.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui misericordia tua nos incolumes in hoc loco specialiter aggregasti; mentes nostras, quaesumus, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem; cunctosque in tua fide et charitate corroboret; ut excitati a temporali Synodo, proficiamus ad aeternae felicitatis augmentum. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Finita oratione, Pontifex, accepta mitra, procumbit supra faldistorium praedictum, aliis omnibus genuflectentibus, et dicuntur Litaniae:

Kyrie, eleison. Christe, eleison.
Kyrie, eleison. Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
} ora pro nobis.

Sancte Raphael, ora pro nobis.
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate pro nobis.
Sancte Ioannes Baptista, ora pro nobis.
Sancte Ioseph, ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, orate pro nobis.

Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Iacobe,
Sancte Ioannes,
Sancte Thoma,
Sancte Iacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,
Sancte Matthaee,
Sancte Simon,
Sancte Thaddaee,
Sancte Matthia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
} ora pro nobis.

Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate pro nobis.

Omnes sancti Discipuli Domini,
Omnes sancti Innocentes,
} orate pro nobis.

Sancte Stephane,
Sancte Laurenti,
Sancte Vincenti,
} ora pro nobis.

Sancti Fabiane et Sebastiane,
Sancti Ioannes et Paule,
Sancti Cosma et Damiane,
Sancti Gervasi et Protasi,
Omnes Sancti Martyres,
} orate pro nobis.

Sancte Silvester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
} ora pro nobis.

Sancte Martine,
Sancte Nicolae, } ora pro nobis.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti Doctores, orate pro nobis.
Sancte Antoni,
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde } ora pro nobis.
Sancte Dominice,
Sancte Francisce,
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae, orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi et Eremitae, orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes, } ora pro nobis.
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A flagello terraemotus,
A peste, fame et bello,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae Incarnationis tuae,
Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Baptismum et sanctum Ieiunium tuum,
Per Crucem et Passionem tuam, } libera nos Domine.

Per Mortem et Sepulturam tuam,
Per sanctam Resurrectionem tuam,
Per admirabilem Ascensionem tuam,
Per Adventum Spiritus Sancti Paracliti,
In die iudicii,
} libera nos Domine.

Peccatores,
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut domnum Apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris,
Ut Imperatorem nostrum custodire digneris,[1]
Ut Regibus et Principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,
Ut fructus terrae dare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
} te rogamus, audi nos.

Pontifex surgit, et baculum pastoralem in sinistra tenens, stans versus ad Synodum, dicit:

Ut hanc praesentem Synodum visitare, disponere et bene † dicere digneris.

℟. Te rogamus, audi nos.

[1] Ad normam decreti S. R. C. *Fulget* de die 10. Februarii 1860. (Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Cap. XXII. pag. 389).

Producens signum crucis pariter super omnes, quo facto, iterum occumbit, Litaniis perficiendis.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.
Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Quibus dictis, surgunt omnes, et Pontifex deposita mitra dicit stans versus ad altare: Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Da, quaesumus, Ecclesiae tuae, misericors Deus, ut Spiritu Sancto congregata, secura tibi devotione servire mereatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex, accepta mitra, ascendit ad sedem sibi paratam in plano altaris, ita ut in ea sedens dorsum suum vertat ad altare. Et imponit incensum in thuribulum, et benedicit more solito. Diaconus dalmatica indutus, praecedentibus thuriferario et duobus Ceroferariis et Subdiacono tunicella induto, paramentis rubeis, benedictione accepta a Pontifice, cantat in loco convenienti:

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore convocatis Iesus duodecim Apostolis dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent. Et misit illos, praedicare regnum Dei et sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. Egressi autem circuibant per castella evangelizantes et curantes ubique.

Quo finito, liber Evangeliorum apertus per Subdiaconum portatur Pontifici per eum osculandus, qui et deinde incensatur. Quo facto Pontifex ipse ante sedem suam praedictam, deposita mitra, versus ad altare, atque alii omnes in locis suis genuflectunt. Tum Pontifex sic genuflexus incipit cantando, schola prosequente, hymnum:

Veni, creator Spiritus, mentes tuorum visita: * imple superna gratia, quae tu creasti pectora.

Finito primo versu, Pontifex surgit, stans versus ad altare, sine mitra, usque ad finem hymni: similiter omnes alii cum Pontifice surgunt.

Qui diceris Paraclitus, altissimi donum Dei: * fons vivus, ignis, charitas et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere, digitus Paternae dexterae: * Tu rite promissum Patris, sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus, * infirma nostri corporis virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius, pacemque dones protinus; * ductore sic te praevio vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem, noscamus atque Filium: * teque utriusque Spiritum credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria et Filio, qui a mortuis * surrexit, ac Paraclito, in saeculorum saecula.[1] Amen.

2. In Sessione secundae diei:

Pontifex, paratus ut supra, procedit coram altari, Diacono et Subdiacono, paratis ut supra, ipsum associantibus, et ibi in faldistorio ante medium altaris iuxta inferiorem gradum sibi parato genuflexus, deposita mitra, inchoat, schola prosequente, Antiphonam:

Propitius esto peccatis nostris, Domine ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?

[1] In Pontificali romano „Ordo ad Synodum" praescribit doxologiam extra tempus paschale. Sed Sacra rituum Congregatio die 20. Iunii 1899 declaravit: Doxologiam: *Deo Patri sit gloria et Filio, qui a mortuis . . .* ita esse censendam praefati hymni propriam, ut eadem semper sit retinenda ac numquam, quovis anni tempore vel quocumque occurrente festo, in aliam mutanda. (Folium officiale dioec. Lavantinae. 1900. Num. IV. alin. 29. pag. 63 sq).

Finita Antiphona et incepto Psalmo, sedet Pontifex, reassumpta mitra, usque ad finem Psalmi.

Psalmus 78. Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: * posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus coeli: * carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.

Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Ierusalem: * et non erat, qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: * subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Usquequo Domine irasceris in finem: * accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt: * et in regna, quae nomen tuum non invocaverunt.

Quia comederunt Iacob: * et locum eius desolaverunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiae tuae: * quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuva nos Deus salutaris noster et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos: * et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum? * et innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est: * introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui * posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: * improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.

Nos autem populus tuus et oves pascuae tuae: * confitebimur tibi in saeculum.

In generationem et generationem: * annunciabimus laudem tuam.

Gloria Patri et Filio etc. Sicut erat in principio etc.

Deinde finito Psalmo et repetita Antiphona, Pontifex deposita mitra surgit, et stans versus ad altare dicit:

Oremus. Nostrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quaesumus, ut bonum, quod in nobis a te requiritur, exequamur: scilicet, ut prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis arduae subtile iudicium faciamus: ac misericordiam diligentes, clareamus studiis tibi placitae actionis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Mentibus nostris, quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum benignus infunde, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat voluntas nostra, sed semper rationabilia meditantes, quae tibi sunt placita, et dictis exequamur et factis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Et ministri dicunt: Flectamus genua.

℟. Levate.

Deus, qui nos iustitiam loqui, et quae recta sunt, praecipis iudicare: tribue nobis, ut neque iniquitas in ore, nec pravitas inveniatur in mente: ut puro cordi purior sermo consentiat, ostendatur in opere iustitia, neque appareat dolus in lingua, sed ex corde veritas proferatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Post haec Pontifex, accepta mitra, ascendit ad planum altaris et sedet in sede seu faldistorio ibidem sibi parato.

Tum accedit Diaconus cum thuriferario, et Pontifex imponit incensum; deinde benedicit Diacono, qui procedens ad locum consuetum signat, incensat et cantat Evangelium, ut heri, Pontifice ante sedem praedictam sine mitra, verso ad Diaconum, stante.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos; et misit illos binos ante faciem suam in

omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quae apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate, quae apponuntur vobis: et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

Quo finito, et per Pontificem libro osculato, et ipso incensato, Pontifex sine mitra ante sedem praedictam versus ad altare, ac aliis omnibus in suis locis genuflexis, incipit schola prosequente hymnum: **Veni, creator Spiritus.** *Et dicitur totus ut supra pag. 78, quem schola prosequitur, ut in primo die. Finito primo versu, Pontifex surgit, stans versus ad altare, detecto capite usque ad finem hymni. Simili modo faciunt omnes alii.*

3. In Sessione tertiae diei:

a) Ante Sessionem.

Pontifex paratus, ut heri, assistentibus sibi Diacono et Subdiacono paratis, genuflexus in faldistorio, iuxta inferiorem gradum ante medium altaris sibi parato, deposita mitra, incipit, schola prosequente, Antiphonam:

Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua: et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine.

Psalmus: Salvum me fac Deus: * quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. *Et dicitur totus, prout habetur supra in primo die pag. 70—72. Deinde repetitur Antiphona. Incepto Psalmo, Pontifex sedet et accipit mi-*

tram sic manens, quousque Psalmus finiatur et Antiphona repetatur; qua repetita, deposita mitra, surgit, et stans versus ad altare, dicit:

Oremus. Ad te, Domine, interni clamoris vocibus proclamantes, unanimiter postulamus, ut respectu tuae gratiae solidati, praecones veritatis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, qui sacro verbi tui oraculo promisisti: Ubi duo vel tres in nomine tuo congregati essent, te medium fore; adesto coetui nostro propitius et cor nostrum illumina misericors, ut a bono misericordiae tuae nullatenus aberremus, sed rectum iustitiae tuae tramitem in omnibus teneamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Et ministri dicunt: Flectamus genua.

℟. Levate.

Deus, qui populis tuis et indulgentia consulis et amore dominaris; da Spiritum sapientiae tuae, quibus dedisti regimen disciplinae; ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia aeterna pastorum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Post haec Pontifex, accepta mitra, ascendit ad planum altaris, sedens in sede seu faldistorio ibidem sibi parato. Tum accedit Diaconus cum thuriferario, et Pontifex imponit incensum; deinde benedicit Diacono, qui procedens ad locum consuetum signat, incensat et cantat Evangelium, ut heri, Pontifice ante sedem praedictam sine mitra, verso ad Diaconum, stante.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. Iterum dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomino meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi usque septies: sed usque septuagies septies.

Quo finito, et per Pontificem libro osculato, et ipso incensato, Pontifex sine mitra ante sedem praedictam versus ad altare, atque aliis omnibus in locis suis genuflexis, incipit schola prosequente hymnum: **Veni, creator, Spiritus.** *Et dicitur totus, ut supra pag. 78. — Finito primo versu, Pontifex surgens, stat versus ad altare, detecto capite usque ad finem hymni. Simili modo faciunt omnes alii. Expleto hymno omnes sedent. Pontifex sedens cum mitra Synodum his verbis alloquitur, si velit:*

Venerabiles et dilectissimi fratres! Convenit, ut ea, quae ecclesiasticis officiis et sacerdotalibus gradibus, vel etiam canonicis sanctionibus propter diversas occupationes, aut (quod negare non possumus) propter nostram aliorumque desidiam, non tam plene, ut oportet, executa sunt: omnium nostrum unanimi consensu et voluntate requirantur, et humiliter coram charitate vestra recitentur: ut quae digna sunt emendatione, ad meliorem statum, auxiliante Domino, perducantur. Et cui fortasse aliquid, quod digestum est, displicet, charitati vestrae cum benignitate et modestia intimare non differat; qua-

tenus totum, quod synodali conventione nostra statutum fuerit vel renovatum, absque omni contrarietate, concordia sanctae pacis ab omnibus aeque custodiatur ac teneatur, ad augmentum aeternae beatitudinis omnium nostrum.

b) Post Sessionem finalem.

Oremus. Nulla est, Domine, humanae conscientiae virtus, quae inoffense possit tuae voluntatis iudicia experiri, et ideo, quia imperfectum nostrum vident oculi tui, perfectioni deputa misericors Deus, quod perfecto aequitatis fine concludere peroptamus; te in nostris principiis occursorem poposcimus, te in hoc fine iudiciorum nostrorum indultorem nostris excessibus speramus, scilicet ut ignorantiae parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris: et quia conscientia remordente, tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut praeceps forsitan voluntas impulerit, iustitiam declinare; hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac Synodi celebritate contraximus, te miserante, indulgentiam sentiamus: ut in eo, quod soluturi sumus aggregatam Synodum, a cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum; qualiter transgressores venia et confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

1. Ad sacratissimum Cor Iesu formula consecrationis recitanda.

Iesu dulcissime, redemptor humani generis, respice nos ad altare tuum humillime provolutos. Tui sumus, tui esse volumus; quo autem tibi coniuncti firmius esse possimus, en, hodie sacratissimo Cordi tuo se quisque nostrum sponte dedicat.

Te quidem multi novere numquam. Te spretis mandatis tuis multi repudiarunt. Miserere utrorumque, benignissime Iesu, atque ad sanctum Cor tuum rape

universos. Rex esto, Domine, nec fidelium tantum, qui nullo tempore discessere a te, sed etiam prodigorum filiorum, qui te reliquerunt: fac hos, ut domum paternam cito repetant, ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet, aut discordia separatos, eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor.

Rex esto denique eorum omnium, qui in vetere gentium superstitione versantur, eosque e tenebris vindicare ne renuas in Dei lumen et regnum. Largire, Domine, Ecclesiae tuae securam cum incolumitate libertatem; largire cunctis gentibus tranquillitatem ordinis: perfice, ut ab utroque terrae vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus, ipsi gloria et honor in saecula! Amen.[1]

℣. Iesu, mitis et humilis Corde.

℟. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit, eisque misericordiam tuam petentibus Tu veniam concede placatus, in nomine eiusdem Filii tui Iesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

2. Ad purissimum Cor B. M. V. formula dedicationis recitanda.

O Cor Mariae, matris Dei et matris nostrae; Cor amabilissimum, in quo sibi adoranda Trinitas bene complacuit; Cor dignum omni veneratione et amore angelorum et hominum; Cor simillimum sacrosancto Iesu Cordi, cuius es imago perfectissima; Cor bonitate ple-

[1] Ex encyclica *Annum sacrum*, data die 25. Maii 1899, de hominibus sacratissimo Cordi Iesu devovendis.

num et tantopere compatiens nostris miseriis: dignare resolvere glaciem cordium nostrorum; fac, ut se prorsus tradant Cordi divini Salvatoris.

Infunde cordibus nostris amorem tuarum virtutum et in eis flammam indesinentis tuae charitatis accende. Ecclesiam Lavantinam tuo amore amplectere; tuere illam. Sis illi semper dulce refugium et turris inexpugnabilis contra omnes hostium incursus. Per te accessum habeamus ad Iesum; per te gratias obtineamus necessarias ad aeternam salutem. Sis nobis in necessitatibus auxilium, in afflictionibus solatium, in tentationibus robur, in persecutionibus refugium, in omnibus periculis praesidium.

Sed praesertim in hora mortis, in ultimo vitae agone, quum infernae potestates in nos irruent, ut animam rapiant; in illo terribili momento, in illa tremenda hora, a qua pendet nostra aeternitas: tunc, o tunc, Virgo clementissima, fac nos sentire teneritudinem materni Cordis tui, et magnitudinem potentiae tuae in Cor Iesu, aperiendo in ipso misericordiae fonte tutum refugium, ut pervenire possimus in coelum illumque tecum laudare mereamur per omnia saecula saeculorum! ℟. Amen.

℣. Cor Mariae doloris gladio transfixum.

℟. Amore Iesu, quo ardes, accende cor nostrum.

Oremus.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut, qui in sacro beatissimae Virginis Mariae corde gloriantes summae eius in te charitatis et maternae in nos dilectionis commemorationem recolimus, eiusdem amantissimae matris et charitatem imitemur et patrocinia sentiamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Orationes sub finem Synodi persolvendae.

Ex instructione Caeremonialis romani acclamationes in Synodis dioecesanis parcius sunt adhibendae. Propterea

in Synodo prima anno 1883 peracta et secunda anno 1896 coacta: sic dicta suffragia in Sessione Synodi finali persoluta sunt. Acclamationes solum in tertia Synodo, anno iubilaeo 1900 celebrata et Christo Deo-homini viventi, regnanti et imperanti sacra decantatae sunt. In quarta Synodo Lavantina anno 1903 coadunata Orationes et in quinta anno 1906 facta persoluta sunt Vota cum Oratione. In sexta praesenti recitantur Orationes.

Publicatis Indulgentiis concessis, Secretarius Synodi protinus procedit ad altare maius et conversus ad synodales, Episcopo stante in throno, alta et sonora voce intonat singulas Orationes et adsistentes simili concentu eas continuant.

Orationes sub finem Synodi persolvendae.

Oremus intimo dolore, fratres charissimi, toto corde conversi ad Dominum et corporibus prostrati, invocatis sanctis patronis dioecesis nostrae, ut Dominus peccatorum nostrorum veniam nobis concedat, negligentiis indulgeat, ignorantiae parcat, errata omnia condonet, quae in clericali statu, in officiis nostris multiplici errore commisimus.

Perseveremus unanimes in oratione et *petamus* a Patre misericordiarum et Deo totius consolationis, quem credimus esse in medio huius sacri coetus, ut posthac digne omnes ambulemus vocatione, qua vocati sumus; ut sacramenta rite ministremus, verbum Dei cum fructu praedicemus, animas sollicite curemus, religiose et caste vivamus, ut in patientia possideamus animas nostras.

Oremus, fratres dilectissimi, pro Sanctissimo Domino nostro Papa Pio X., Christi Vicario, ut sanctam Ecclesiam sancte gubernet, adiutus a sacro Cardinalium collegio! Omnipotens et misericors Deus sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam romanam conservet, defendat, augeat, exaltet ad honorem et gloriam suam!

Oremus intimo charitatis affectu pro vigilantissimo Metropolita Salisburgensi et pro cunctis provinciae Epi-

scopis, ut divina sapientia assistrice munera praesulatus sui pie obeant in Dei gloriam animarumque bonum!

Oremus pro religiosissimo Episcopo nostro *Michaele*, ut divino Spiritu illustratus et roboratus, una cum devoto ecclesiae cathedralis Capitulo, omni Clero et cum universo grege suo consequatur vitam aeternam! Dominus Deus det viris saecularibus spiritum obedientiae et regularibus una cum monialibus spiritum observantiae ad suam salutem et in aedificationem aliorum!

Oremus unanimes Christum, Dominum messis, ut operarios mittat in messem suam ac tribuat omnibus huius vineae Lavantinae operariis Spiritus Sancti ignem ac lumen demumque mercedem!

Oremus toto cordis affectu, fratres charissimi, pro gloriosissimo Imperatore nostro *Francisco Josepho I.*, semper Augusto, et pro rectoribus temporalibus Imperii nostri, ut cum pace et salute communi munus suum obeant, recta semper sentiant et exequantur, Ecclesiae defensores se praestent et vitam sempiternam mereantur!

Oremus unanimes pro cuncto populo dioecesano, ut Deus conservet sanctam fidem catholicam, peccata eliminet, augeat devotionem, concedat abundantiam fructuum terrae ad eius felicitatem!

Oremus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu, ut, sicut in nomine Sanctissimae Trinitatis congregati novimus, quam sit iucundum habitare fratres in unum, ita in vinculo pacis et amoris iugiter permanentes, aeterna in coelis societate perfruamur! Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Cunctis, qui huic Synodo operam contulerunt quique eius *decisiones* fideliter servabunt, et omnibus praesentibus et absentibus: sit pax et gaudium a Deo Patre per Iesum Christum in Spiritu Sancto! ℟. Amen.

℣. Benedicamus Domino!

℟. Deo gratias! Semper et ubique Deo gratias!

Orationibus persolutis et praelecto decreto de Synodo dimittenda, datur ab illustrissimo Domino Episcopo benedictio sollemnis. Qua impertita Archidiaconus, stans iuxta

Pontificem, dicet alta voce: ***Recedamus in pace!*** *Et respondebunt omnes:* ***In nomine Christi!***

Tunc omnes pariter surgentes, Pontificem ad ostium ecclesiae synodalis reducunt, inde reverendissimus Praesul redit in suum Palatium.

Sic omnia negotia Synodi expediuntur, et conventio synodalis concluditur in nomine Domini.

Sylloge,

recensens nomina omnium et singulorum, qui Synodo affuerunt, quam celsissimus, excellentissimus ac reverendissimus Dominus

MICHAEL,

Praesul Lavantinorum,

anno 1911 congregavit et tenuit.

1. Capitulum cathedrale.

Dignitarii:

Plur. rev. Msgr. Carolus Hribovšek, Suae Sanctitatis Praelatus domesticus, Praepositus Capituli cathedralis, Consiliarius consistorialis, Canonicus poenitentiarius, Director Princ.-Episc. Cancellariae.

» » Dom. Ioannes Mlakar, Decanus Capituli cathedralis, Consiliarius consistorialis, Doctor s. Theologiae, Procurator fiscalis, Prodirector Instituti theologici dioecesani.

Canonici actuales:

Plur. rev. Dom. Iosephus Majcen, Canonicus sen., Consiliarius consistorialis.

Plur. rev. Dom. Bartholomaeus Voh, Consiliarius consistorialis, Canonicus theologalis.
» » » Martinus Matek, Consiliarius consistorialis, Doctor romanus in iure canonico, Advocatus fiscalis, Director seminarii clericorum episcopalis.
» » » Franciscus Moravec, Consiliarius consistorialis, Parochus ecclesiae cathedralis et Decanus.
» » » Iacobus Kavčič, Consiliarius consistorialis.

Canonici honorarii.

Plur. rev. Dom. Antonius Šlander, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Pancratii in Staritrg.
» » » Simon Gaberc, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Magdalenae Marburgi.
» » » Antonius Suhač, Doctor s. Theologiae, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Annae in Kremberg.

Adm. rev. Dom. Ioannes Tomažič, Doctor s. Theologiae, Consiliarius episcopalis, Secretarius consistorialis et Capellanus aulicus episcopalis.

2. Praepositi cum usu Pontificalium.

Revmus. Dom. P. Placidus Epalle, Patronus ecclesiae ss. Petri et Pauli in Reichenburg et beatae Mariae Virginis de assumptione in Koprivnica, Abbas infulatus Abbatiae B. M. de Liberatione, Ord. Cisterciens. ref. Reichenburgi, cum comite:
Rev. P. Roberto Kukovičič, sacerdote Trapp.

Plur. rev. Dom. Franciscus Ogradi, Sacerdos iubilaris, Abbas infulatus saecularis, Consiliarius consistorialis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Danielis Celeiae.

» » » Iosephus Fleck, Sacerdos iubilaris, Praepositus infulatus, Consiliarius consistorialis, Archiparochus et Decanus ecclesiae s. Georgii Petovii.

» » » Franciscus Hrastelj, Archidiaconus infulatus, Consiliarius episcopalis, Archiparochus et Decanus ecclesiae s. Georgii in Konjice.

3. Directores utriusque seminarii dioecesani clericorum et puerorum.

Adm. rev. Dom. Rudolphus Janežič, Consiliarius episcopalis, Director spiritualis seminarii clericorum episcopalis.

» » Iosephus Somrek, Doctor et Professor s. Theologiae, Prodirector seminarii clericorum episcopalis.

» » » Iosephus Zidanšek, Consiliarius episcopalis, Professor s. Theologiae et Regens seminarii puerorum episcopalis.

» » Ioannes Ev. Kociper, Magister institutionis religiosae in c. r. gymnasio Marburgi, Vice-Regens et Director spiritualis seminarii puerorum episcopalis.

» » Slavič Matthias, Doctor et Professor s. Theologiae, studiorum Praefectus in seminario puerorum episcopali.

4. Professores et Doctores s. Theologiae.

Adm. rev. Dom. Franciscus Feuš, Consiliarius episcopalis, Doctor et Professor s. Theologiae,

Praeses societatis opificum catholicorum.

Rev. Dom. Iosephus Hohnjec, Doctor et Professor s. Theologiae.

» » Franciscus Kovačič, Doctor Philosophiae et Professor s. Theologiae.

» » Franciscus Lukman, Doctor Philosophiae et s. Theologiae, Professor s. Theologiae.

» » Augustinus Stegenšek, Doctor Philosophiae et Professor s. Theologiae.

Rev. Dom. Jančič Joannes, Doctor s. Theologiae, Parochus ecclesiae s. Petri apostoli ad fluvium Savinja.

» » Jehart Antonius, Doctor s. Theologiae, Concionator in lingua theodisca et Catecheta scholarum civicarum Celeiae.

» » Jerovšek Antonius, Doctor romanus in iure canonico, Professor institutionis religiosae in c. r. schola reali pensione donatus Marburgi.

» » Korošec Antonius, Doctor s. Theologiae, Deputatus ad comitia imperii et Ducatus Styriae.

» » Vraber Maximilianus, Doctor romanus in iure canonico, Director lycei privati puellarum apud sorores scholares III. ord. s. Francisci Assis. Tergesti.

5. Decani.

Adm. rev. Dom. Bohak Franciscus, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Bartholomaei in Slovenska Bistrica.

Adm. rev. dom. Bohanec Ioannes, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae B. M. V. Samariae.

» » » Caf Iacobus, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Thomae prope Velikanedelja.

» » » Čižek Iosephus, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae B. M. V. in Jarenina.

» » » Dovnik Franciscus, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae ss. Hermagorae et Fortunati in Gornjigrad.

» » » Gregorec Leopoldus, Doctor s. Theologiae, Consiliarius episcopalis, Canonicus capituli collegiati Strassburgensis in Carinthia, Vicarius perpetuus et Decanus ecclesiae s. Leonardi in Novacerkev.

» » » Grušovnik Adamus, Consiliarius episcopalis, Archiparochus et Decanus ecclesiae s. Georgii in Hoče.

» » » Hecl Augustinus, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Michaelis in Mahrenberg.

» » » Hribernik Iacobus, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae B. M. V. in Braslovče.

» » » Jurčič Iosephus, Consiliarius episcopalis, Archiparochus et Decanus ecclesiae s. Nicolai in Vuzenica.

» » » Jurkovič Martinus, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Ioannis Bapt. in Ljutomer.

» » » Kralj Iosephus, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Nicolai in Zavrče.

Adm. rev. Dom. Kruljc Franciscus, Doctor s. Theologiae, Consiliarius episcopalis, Archiparochus et Decanus ecclesiae s. Martini Tiberii.

» » Mešiček Iosephus, Parochus ecclesiae s. Laurentii in Brežice, Administrator decanatus Videmensis.

» » » Rotner Ioannes, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Georgii in Škale.

» » » Šalamon Franciscus, Consiliarius episcopalis, Archiparochus et Decanus ecclesiae s. Bartholomaei in Rogatec.

» » » Tomažič Marcus, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae B. M. V. in Kozje.

6. Magistri sacrae religionis in scholis mediis.

Rev. Dom. Cestnik Antonius, Professor institutionis religiosae in c. r. gymnasio Celeiae.

» » Kardinar Iosephus, Professor institutionis religiosae in c. r. gymnasio Celeiae.

» » Kolarič Antonius, Professor institutionis religiosae in gymnasio Ducatus Styriae Petovii.

» » Markošek Ioannes, Magister institutionis religiosae in c. r. schola reali Marburgi.

Adm. » » Medved Antonius, Doctor s. Theologiae et Philosophiae, Consiliarius episcopalis, Professor institutionis religiosae in c. r. gymnasio Marburgi.

» » » Vreže Ioannes Bapt., Consiliarius episcopalis, Professor institutionis religiosae in c. r. paedagogio Marburgi.

7. Parochi.

Rev. Dom. Adlasnik Franciscus, Parochus ecclesiae s. Iacobi in Sopota.

Adm. » » Arzenšek Aloysius, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae ss. Petri et Pauli apostolorum in Vitanje.

» » » Atteneder Iosephus, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae s. Margaritae in Polzela.

» » Msgr. Bezenšek Georgius, Suae Sanctitatis Camerarius secretus supranumerarius, Consiliarius consistorialis, Parochus ecclesiae s. Ioannis Bapt. in Čadram.

Rev. Dom. Bolkovič Antonius, Parochus ecclesiae S. Spiritus in Artiče.

» » Bračič Andreas, Parochus ecclesiae s. Iacobi in Lembach.

» » Bratkovič Franciscus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Negova.

» » Bratušek Franciscus, Parochus ecclesiae Omnium Sanctorum in Svetinje.

Adm. » » Cerjak Iosephus, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae ss. Petri et Pauli apostolorum in Reichenburg.

» » Cilenšek Aloysius, Parochus ecclesiae s. Crucis in Poličane.

» » Cizej Franciscus, Parochus ecclesiae s. Martini prope a Šalek.

» » Časl Franciscus, Parochus ecclesiae s. Leonardi supra Tiberium.

» » Čede Iosephus, Parochus ecclesiae ss. Trium Regum in Studenice.

» » Čemažar Ioannes, Parochus ecclesiae s. Martini in Teharje.

» » Čepin Vincentius, Parochus ecclesiae s. Ioannis Bapt. in Razbor.

» » Čižek Aloysius, Parochus ecclesiae s. Elisabethae in Slovenjgradec.

Rev. Dom. Dekorti Iosephus, Parochus ecclesiae s. Elisabethae in Ljubno.
» » Doberšek Ioannes, Parochus ecclesiae s. Nicolai in Sevnica.
» » Drofenik Antonius, Parochus ecclesiae s. Nicolai in Polje.
» » Eferl Matthias, Parochus ecclesiae s. Chunegundis superioris.
» » Erker Iosephus, Parochus ecclesiae s. Martini in Rožna dolina.
» » Ferme Gothardus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Novaštifta prope a Gornjigrad.
» » Fischer Andreas, Parochus ecclesiae s. Bartholomaei apostoli in Ribnica.
» » Fischer Antonius, Parochus ecclesiae s. Georgii in Mozirje.
» » Florjančič Iosephus, Parochus ecclesiae s. Martini in monte Pohorje.
» » Frangež Bartholomaeus, Parochus ecclesiae s. Margaritae ad fluvium Pesnica.
» » Gajšek Ioannes, Parochus ecclesiae s. Viti penes Grobelno.
» » Gartner Franciscus, Parochus ecclesiae s. Margaritae in Planina.
» » Gašparič Iacobus, Parochus ecclesiae s. Ruperti supra Tiberium.
» » Gomilšek Franciscus, Parochus ecclesiae s. Petri apostoli in Medvedovo selo.
» » Goričan Ioannes, Parochus ecclesiae B. M. V. in Špitalič.
» » Gosak Franciscus, Parochus ecclesiae s. Ioannis Bapt. in Vinetis.
» » Gregorc Pancratius, Parochus ecclesiae s. Wenceslai.
» » Grobelšek Ioannes, Parochus ecclesiae s. Stephani in Gomilsko.
» » Gunčer Iosephus, Parochus ecclesiae s. Michaelis archangeli supra Mozirje.

Rev. Dom. Hauptmann Ioannes, Parochus ecclesiae ss. Simonis et Iudae apostolorum in Pernice.

» » Heber Franciscus, Parochus ecclesiae s. Stephani in Spodnja Polskava.

Adm. » » Hirti Franciscus, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae B. M. V. in Slivnica.

» » Hlastec Franciscus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Zagorje.

» » Horvat Fridericus, Parochus ecclesiae s. Laurentii supra Marburgum.

» » Hrastel Gregorius, Parochus ecclesiae s. Margaritae in Selnica.

» » Hrašovec Henricus, Parochus ecclesiae s. Laurentii in Vuhred.

» » Hurt Franciscus, Parochus ecclesiae s. Margaritae in Muta.

» » Irgl Franciscus, Parochus ecclesiae s. Michaelis archangeli in Vransko.

» » Ivanc Ioannes, Parochus ecclesiae s. Bartholomaei apostoli in Radvanje.

» » Janžekovič Iosephus, Parochus ecclesiae s. Leonardi in Collibus slovenicis.

» » Janžekovič Laurentius, Parochus ecclesiae s. Michaelis archangeli in Veržeje.

» » Janžekovič Vitus, Parochus ecclesiae s. Andreae apostoli in Svečina.

» » Jodl Ioannes, Parochus ecclesiae s. Andreae apostoli prope a Polzela.

» » Jurko Ioannes, Parochus ecclesiae s. Iacobi apostoli in Pameče.

» » Kapler Ioannes, Parochus ecclesiae s. Iacobi apost. in Collibus slovenicis.

» » » Karba Matthias, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae s. Aegidii in Zreče.

» » Keček Andreas, Parochus ecclesiae s. Antonii in Stoperce.

Rev. Dom. Kitak Iacobus, Parochus ecclesiae s. Martini prope a Gornjigrad.
» » Kocbek Antonius, Parochus ecclesiae s. Crucis supra Marburgum.
» » Kociper Antonius, Parochus ecclesiae s. Chunegundis inferioris.
» » Kociper Rudolphus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Črešnjice.
» » Kokelj Aloysius, Parochus ecclesiae B. M. V. in Vurberg.
» » Kolar Antonius, Parochus ecclesiae s. Aegidii prope a Velenje.
» » Kolarič Iosephus, Parochus ecclesiae s. Martini ad fluvium Paka.
» » Kolarič Iosephus, Parochus ecclesiae ss. Trinitatis in Malanedelja.
» » Končan Fortunatus, Parochus ecclesiae s. Pauli apostoli prope a Prebold.
» » Korošec Franciscus, Archiparochus ecclesiae s. Crucis in Acidulis.
» » Kosar Iacobus, Parochus ecclesiae s. Petri apostoli in Žiče.
» » Kosél Franciscus, Parochus ecclesiae S. Spiritus in Loče.
» » Kostanjevec Iosephus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Kalobje.
» » Kozinc Ioannes, Parochus ecclesiae s. Magdalenae in Slivnica.
» » Kozoderc Ioannes, Parochus ecclesiae s. Lamberti in Skomarje.
» » Krajnc Iacobus, Parochus ecclesiae s. Petri apostoli in Buče.
» » Krajnc Iosephus, Parochus ecclesiae s. Bartholomaei apostoli in Zibika.
» » Krajnc Martinus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Sladkagora.
» » Krančič Ioannes, Parochus ecclesiae s. Pancratii in Griže.

Rev. Dom. Kreft Aloysius, Parochus ecclesiae s. Martini in Ponikva.

» » Krohne Iosephus, Parochus ecclesiae s. Ioannis Bapt. in Podsreda.

» » Kukovič Fridericus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Doberna.

» » Kumer Carolus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Prihova.

Adm. » » Kunce Ioannes, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae s. Georgii ad fluvium Ščavnica.

» » Kunej Iosephus, Parochus ecclesiae s. Pancratii in Gornja Ponikva.

» » Lah Martinus, Parochus ecclesiae B. M. V. ad Nives na Velki.

» » Lajnšic Antonius, Parochus ecclesiae s. Martini prope a Vurberg.

» » Lasbacher Iosephus, Parochus ecclesiae s. Andreae apostoli in Belevode.

» » Lekše Franciscus, Parochus ecclesiae s. Laurentii in Luče.

Adm. » » Lenart Ioannes, Consiliarius episcopalis, Archiparochus ecclesiae s. Martini prope a Slovenjgradec.

» » » Lendovšek Michael, Consiliarius consistorialis, Parochus ecclesiae s. Andreae apostoli in Makole.

» » Lom Franciscus, Parochus ecclesiae s. Petri apostoli in Kronskagora.

» » Lorbek Ioannes, Parochus ecclesiae s. Primi in monte Pohorje.

» » Lovrenko Franciscus, Parochus ecclesiae s. Danielis in Razbor.

» » Marinič Iacobus, Parochus ecclesiae s. Nicolai in Majšberg.

» » Medved Martinus, Parochus ecclesiae ss. Philippi et Iacobi apostolorum in Laporje.

Rev. Dom. Medvešek Ioannes, Parochus ecclesiae ss. Petri et Pauli apostolorum in Tinje.
» » Merkuš Antonius, Parochus ecclesiae s. Michaelis archangeli in Žitale.
Adm. » » Meško Martinus, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae s. Magdalenae in Kápela.
» » Mihalič Iosephus, Parochus ecclesiae s. Barbarae prope a Vurberg.
» » Mikuš Valentinus, Parochus ecclesiae s. Georgii prope a Rifnik.
» » Mojžiček Antonius, Parochus ecclesiae s. Ioannis Bapt. prope a Spodnji Dravograd.
» » Muršič Franciscus, Parochus ecclesiae s. Annae in Fram.
» » Novak Antonius, Parochus ecclesiae s. Martini in Kamnica.
» » Ogrizek Franciscus, Parochus ecclesiae s. Magdalenae in Dramlje.
» » Osenjak Martinus, Parochus ecclesiae s. Petri apostoli prope a Radgona.
» » Ozmec Iosephus, Parochus ecclesiae s. Laurentii in Dravsko polje.
» » Pajtler Ioannes, Parochus ecclesiae s. Ruperti in Collibus slovenicis.
» » Panič Iosephus, Parochus ecclesiae s. Antonii in monte Pohorje.
» » Pečnik Franciscus, Parochus ecclesiae s. Udalrici in Podgorje.
» » Pernat Antonius, Parochus ecclesiae B. M. V. in Dobova.
» » Pivec Stephanus, Parochus ecclesiae s. Laurentii in Podčetrtek.
» » Plepelec Iosephus, Parochus ecclesiae b. Hemmae.
» » Podhostnik Andreas, Parochus ecclesiae s. Cantii in Rečica.

Rev. Dom. Podvinski Antonius, Parochus ecclesiae s. Georgii in Remšnik.
» » Poplatnik Iosephus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Polenšak.
» » Potokar Gregorius, Parochus ecclesiae s. Petri apostoli in Bočna.
» » Potovšek Iosephus, Parochus ecclesiae s. Bartholomaei apost. in Vojnik.
» » Požar Alphonsus, Parochus ecclesiae s. Ioseph in Frankolovo.
» » Preglej Victor, Parochus ecclesiae s. Laurentii in Stranice.
» » Presker Carolus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Kapele.
» » Prešern Ioannes, Parochus ecclesiae B. M. V. in Koprivnica.
» » Raktelj Rudolphus, Parochus ecclesiae s. Laurentii prope a Bizeljsko in Krajina.
» » Rath Paulus, Parochus ecclesiae s. Aegidii prope a Turjak.
» » Ravšl Antonius, Parochus ecclesiae B. M. V. in Cirkovce.
» » Rauter Iacobus, Parochus ecclesiae s. Michaelis archangeli in Pilštanj.
» » Repolusk Fridericus, Parochus ecclesiae s. Viti supra Valdek.
Adm. » » Ribar Antonius, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae s. Viti prope a Planina.
» » Roškar Martinus, Parochus ecclesiae s. Floriani sub monte Boč.
» » Rožman Ioannes, Parochus ecclesiae s. Petri apostoli in Zavodnje.
» » Sigl Iosephus, Parochus ecclesiae s. Crucis in Trbonje.
» » » Sinko Iosephus, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae s. Laurentii in Collibus slovenicis.

Rev. Dom. Skerbs Romanus, Parochus ecclesiae s. Annae in Prevorje.

» » Skuhersky Leopoldus, Parochus ecclesiae s. Marci prope Petovium.

» » Slavec Albinus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Reka.

» » Srabočan Antonius, Parochus ecclesiae s. Michaelis archangeli in Pišece.

» » Šebat Antonius, Parochus ecclesiae s. Valentini in Žusem.

» » Šegula Franciscus, Parochus ecclesiae s. Rochi ad fluvium Sotla.

» » Šelih Georgius, Parochus ecclesiae s. Chunegundis in monte Pohorje.

Adm. » » Šijanec Antonius, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae s. Georgii in Collibus slovenicis.

» » Škamlec Ignatius, Parochus ecclesiae s. Andreae apostoli in Leskovec.

» » Šket Michael, Parochus ecclesiae s. Helenae in Loka.

» » Škorjanc Matthias, Parochus ecclesiae s. Ioannis Bapt. in Dravsko polje.

» » Šoba Aloysius, Parochus ecclesiae s. Georgii in Zdole.

» » Štrakl Matthaeus, Parochus ecclesiae s. Petri apostoli prope Marburgum.

» » Šuta Aloysius, Parochus ecclesiae s. Margaritae prope Petovium.

» » Schmid Michael, Parochus ecclesiae B. M. V. ad Nives in Solčava.

» » Tertinek Matthaeus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Črnagora prope Petovium.

» » Toman Ioannes, Parochus ecclesiae s. Martini in Hajdinja.

» » Tomanič Ioannes, Parochus ecclesiae s. Urbani prope Petovium.

Rev. Dom. Tribnik Carolus, Parochus ecclesiae s. Mauritii in Jurklošter.

» » Turkuš Stephanus, Parochus ecclesiae s. Martini in Sromlje.

» » Ulčnik Martinus, Parochus ecclesiae s. Floriani in Dolič.

» » Vaclavik Robertus, Parochus ecclesiae s. Gertrudis supra Tiberium.

Adm. » » Verk Henricus, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae s. Ruperti in Videm.

» » » Veternik Antonius, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae s. Iacobi apostoli in Dol.

» » Vidmaier Franciscus, Parochus ecclesiae ss. Trinitatis in Gornja Polskava.

» » Višnar Franciscus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Kostrivnica.

» » Vodošek Iosephus, Parochus ecclesiae s. Wolfgangi prope a Biš et Trnovec.

» » Vogrin Ioannes, Parochus ecclesiae s. Barbarae in Haloze.

» » Volčič Fridericus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Brezno.

» » Vračko Ewaldus, Parochus ecclesiae s. Aegidii in Collibus slovenicis.

» » Vračun Franciscus, Parochus ecclesiae s. Nicolai prope a Wiederdries.

» » Vraz Antonius, Parochus ecclesiae s. Antonii in Collibus slovenicis.

» » Vurkelc Bartholomaeus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Dobje.

» » Weixl Iosephus, Parochus ecclesiae s. Crucis prope a Ljutomer.

» » Zadravec Ioannes, Parochus ecclesiae s. Wolfgangi in monte Kog.

» » Zadravec Petrus, Parochus ecclesiae s. Leonardi prope a Velikanedelja.

Rev. Dom. Zakošek Ioannes, Parochus ecclesiae s. Nicolai supra Tiberium.
» » Zamuda Aloysius, Parochus ecclesiae s. Michaelis archangeli in Črešnjevec.
» » Zdolšek Andreas, Parochus ecclesiae s. Stephani prope a Žusem.
Adm. » » Zdolšek Franciscus, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae s. Georgii sub Tabor.
» » Zemljič Matthias, Parochus ecclesiae s. Georgii ad fluvium Pesnica.
» » Zernko Casparus, Parochus ecclesiae B. M. V. in Puščava.
» » » Zmazek Franciscus, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae s. Benedicti in Collibus slovenicis.
» » Zupanič Iacobus, Parochus ecclesiae s. Georgii in Gotovlje.
» » Žičkar Marcus, Parochus ecclesiae s. Bartholomaei apostoli prope a Loče.

8. Catechetae scholarum urbanarum et Provisores parochiarum.

Ven. Dom. Bogovič Ioannes, Vicarius Chori ecclesiae cathedralis et Catecheta scholarum elementarium.
» P. Landergott Valerianus, Presbyter O. F. M., Capellanus et Catecheta scholarum elementarium.
» Dom. Menhart Iacobus, Provisor ecclesiae ss. Trinitatis in Velikanedelja.
» » Meško Iosephus, Administrator ecclesiae s. Nicolai prope ab Ormož.
» P. Perc Philippus Benitius, Presbyter O. F. M. et Catecheta scholarum elementarium.

Ven. Dom. Petelinšek Martinus, Magister institutionis religiosae in scholis civicis Marburgi.
» » Stergar Antonius, Capellanus et Catecheta in suburbio s. Magdalenae Marburgi.
» » Šegula Franciscus, Capellanus et Catecheta in suburbio s. Magdalenae Marburgi.
» » Tkavc Antonius, Capellanus ecclesiae cathedralis et Catecheta scholarum elementarium.
» » Trop Franciscus, Vicarius chori et Regenschori ecclesiae cathedralis et Catecheta scholarum elementarium.
» » Žolgar Vincentius, Capellanus et Catecheta in suburbio s. Magdalenae Marburgi.

9. Cooperatores ad Synodum a Decanis speciatim designati.

Ven. Dom. Cerjak Franciscus, Capellanus ecclesiae archiparochialis s. Crucis in Acidulis.
» » Jurhar Martinus, Capellanus ecclesiae archiparochialis s. Georgii in Konjice.
» » Kos Michael, Capellanus ecclesiae s. Ioannis Bapt. in Ljutomer.
» » Krošelj Franciscus, Capellanus ecclesiae s. Michaelis archangeli prope a Šoštanj.
» » Ozvatič Franciscus, Capellanus ecclesiae s. Bartholomaei apostoli in Slovenska Bistrica.
» » Pšunder Ferdinandus, Vicarius ecclesiae archiparochialis s. Georgii Petovii.
» » Ratej Fridericus, Capellanus ecclesiae s. Georgii ad fluvium Ščavnica.
» » Sinko Franciscus, Capellanus ecclesiae B. M. V. Samariae.

10. Clerus regularis.

Superiores conventuum.

Rev. P. Hazemali Ladislaus, Presbyter O. Cap., Guardianus P.P. Capucinorum Celeiae.

Adm. rev. Dom. Javšovec Franciscus, Consiliarius episcopalis, Superior domus missionis sacerdotum s. Vincentii a Paulo ad s. Ioseph Celeiae.

Rev. P. Knoblehar Hieronymus, Presbyter O. F. M., Guardianus P. P. Franciscanorum in Brežice.

» » Korošec Severinus, Presbyter O. F. M., Guardianus P. P. Franciscanorum Marburgi.

» » Povoden Norbertus, O. M. Conv., Guardianus, Vicarius ecclesiae parochialis ss. Petri et Pauli apostolorum Petovii.

» » Tušek Cherubinus, Presbyter O. F. M., Guardianus P. P. Franciscanorum et Administrator ecclesiae B. M. V. in Nazarje.

» » Zemljak Cassianus, Presbyter O. F. M., Guardianus P. P. Franciscanorum et Administrator ecclesiae parochialis ss. Trinitatis in Collibus slovenicis.

Adm. » » Zupančič Donatus, Presbyter O. Cap., Provincialis P. P. Capucinorum, Celeiae.

Administratores religiosi beneficiorum parochialium.

Rev. Dom. Cajnkar Iacobus, Presbyter ordinis equitum Teutonicorum, Administrator ecclesiae S. Spiritus prope a Središče.

» » Gliebe Andreas, Presbyter ordinis equitum Teutonicorum, Administrator ecclesiae s. Iacobi apost. in Ormož.

Adm. rev. P. Heric Callistus, Consiliarius consistorialis, Presbyter O. F. M. et Administrator basilicae Matris misericordiae Marburgi.

» » Svet Alphonsus, O. M. Conv., Administrator ecclesiae parochialis s. Viti prope Petovium.

» » Vaupotič Leonardus, O. M. Conv., Administrator ecclesiae parochialis ss. Trinitatis prope a Lichteneck.

II. Speciatim invitati:

Rev. Dom. Fink Iacobus, Curatus in c. r. Domo detent. virorum Marburgi.

Adm. » » Haubenreich Aloysius, Consiliarius episcopalis, Expeditor consistorialis Marburgi.

» » Mlakar Ioannes, Parochus pens. in Hajdinja.

» » Trafenik Iosephus, Princ.-Episc. Cancellista Marburgi.

Si quis numerum sacerdotum, qui in hac Synodo interfuerunt et in praecedente Sylloge nominantur, introspexerit et eum cum numeris eorum, qui Synodis ab anno 1883 celebratis astiterunt, vel obiter comparaverit, facile reperiet, hunc ab illis non parum differre.

Neque tamen haec differentia explicatu adeo difficilis est, ut cui forte videbitur. Etenim Synodi dioecesanae, licet ab Ecclesia laudentur, immo praecipiantur (Conc. Trid. sess. XXIV. cap. 2. de reform.), nihilo minus per se tam necessariae non sunt, ut Ecclesiarum etiam particularium conditio detrimentum notabile capiat, si tempora eorumque circumstantiae Episcopos impediant, quominus sacerdotes suos in Synodum cogant.

Eis scilicet alia media, nec pauca nec minus salutaria, praesto sunt, ut ea quae in Synodo constitui solent, extra Synodum promulgent vel instituant. Historia

quoque docemur, per plura saecula, nominatim 17. et 18., Synodos non esse celebratas easque, quae celebratae sunt, male audire.[1]

Inde factum est, ut Episcopi, salva Synodi dioecesanae natura et utilitate[2], saeculo 19. ab ea celebranda abstinere mallent, quam ut eius occasione inquieti hominum animi falsas ideas de Synodi indole vel auctoritate circumferrent. Circa medium namque illius saeculi sacerdotes haud pauci, praesertim in Germania, urgere coeperant, ut Synodi, nostris diebus, ut aiunt, opportunissimae, celebrarentur. Hoc tamen non semper bona voluntate, sed saepe natura Synodi male intellecta contigit, et ideo ipse Pius PP. IX. Episcopis provinciae Herbipolensis *ob peculiaria illorum temporum* (1848) *adiuncta* die 17. Maii 1849 suasit, ut pro tempore a celebrandis Synodis abstinerent atque Concilia provincialia illis praemitterent.[3] Isti tamen erorres[4], de Synodi scilicet natura et auctoritate, brevi remoti sunt et sub finem saeculi lapsi penitus evanuerunt.[5]

In dioecesi Lavantina iam anno 1883 Synodus dioecesana coacta est. Huic Synodo sacerdotes 120 astiterunt, in Synodo anno 1896 celebrata vero iam 184, in Synodo anno 1900 instituta 220, in Synodo 1903 coadunata 222 et in Synodo 1906 facta 235 sacerdotes interfuerunt, donec Sylloge 261 synoditas ostendit. Quo plures igitur Synodi celebratae sunt, eo plures ei intererant, quasi sua praesentia demonstrarent, uberiores in dies fructus ex Synodis maturescere.

Praeter sacerdotes, modo recensitos, alii, in Synodum vocati, ei tamen interesse non potuerunt, quum vel provectiore aetate vel sinistra valetudine vel officiis pastoralibus, quae differre non possent, impediti essent

[1] Henr. Denzinger - Clem. Bannwart S. I., Enchiridion Symbolorum . . . Edit. X. Friburgi Brisg., 1908. Num. 1501 sqq. — [2] De utilitate Synodi vide litteras decretales in opere: Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pag. 13 sq. — [3] Cfr. Coll. Lac. V, 979, 995. — [4] Dr. Jos. Fessler, Über die Provinzialkonzilien und Dioezesansynoden. Innsbruck, 1849. Pagg. 2 sqq. — [5] De hac re vide Rudolf Ritter v. Scherer, Handbuch des Kirchenrechtes. Graz, 1886. B. 1. § 98. — Dr. Joh. Haring, Grundzüge des Katholischen Kirchenrechtes. Graz, 1906. I. Abt. § 104.

et ideo ex his undecim a reverendissimo Pr.-Ep. Ordinariatu ante Synodum licentiam absentiae libello supplici exoraverunt, octo vero intra Synodum a consilio iudicum excusationum et querelarum causis canonicis allatis absentiae suae veniam petierunt ab eoque causis rite probatis illam obtinuerunt.

Undeviginti porro congressores sub finem Synodi ab illo consilio licentiam discedendi eo exoraverunt, quod in suis parochiis devotio Sacratissimi Cordis in feria VI., curr. mensis Septembris prima, maiore fidelium concursu celebraretur eorumque confessiones sacramentales audire deberent.

Tandem sacerdotes, pensione donati ac quiescentes, qui iurisdictione confessiones sacramentales audiendi gaudent, »edicto invitatorio et promulgatorio« ad hanc Synodum specialiter vocati erant et, quia ex eis nonnulli in Synodo non interfuerunt, decreto reverendissimi Pr.-Ep. Consistorii de die 22. Novembris 1911 Nr. 5324 quattuordecim ex eis invitati sunt, ut rationem suae absentiae scripto proponerent.

Omnes praeter unum dicto obedierunt et rationes suas obtulerunt eaeque strenue probatae illorum absentiam sufficienter excusaverunt. Illius autem agendi et scribendi ratio decreto Princ.-Episc. Consistorii de die 27. Decembris 1911 Nr. 5511 strictim et modo paterno improbata est et quum non resipuisset, ei impositum est decreto de die 17. Ianuarii 1912 Nr. 192, ut pro expiatione suae culpae unum Sacrum de Requie pro sacerdotibus 59 post ultimam Synodum denatis litaret, (pro horum enim requie in Synodo a reverendissimo Ordinario Absolutio ad tumbam facta est), vel vero totum rosarium Mariale semel recitaret et de poena data reverendissimo Pr.-Ep. Consistorio referret.

In frequentiore sacerdotum conventu, cuiusmodi Synodus dioecesana est, non minima cura eorum est, ad quos pertinet, ubi eis habitacula idonea parentur et victus necessarius praestetur. Haec tamen quaestio in casu optime soluta et de habitatione et victu circum-

specte provisum erat. Plerique enim in Seminariis maiore vel minore, utrumque acceperunt, caeteri vero in coenobio PP. Franciscanorum, in domo parochiali ecclesiae cathedralis, apud Canonicos ecclesiae cathedralis, immo in Episcopio liberali hospitio frui potuerunt. Praeterea congressistas eximia celsissimi Ordinarii munificentia omnibus paene expensis liberavit, quippe qui non minus quam in Synodis 1903 et 1906 peractis totam pro victu summam 1606 K 56 h transgressam, ex propriis solveret.

Non est igitur mirum, quod sacerdotes reverendissimi Ordinarii sui vocem ad Synodum invitantem cum gaudio excipiant ad eamque quisquis a domo sua abesse potest, sine mora convolet, et Procuratores Cleri in Congregatione generali quinta die 31. Augusti ex omnium voto haec verba protulerint:

»Nos Procuratores Cleri vehementer moti de magnifica liberalitate Tuae reverendissimae Amplitudinis, qua Clerum Lavantinum in hac Synodo congregatum verbo salutari, monitis paternis, insuper et refectione corporali tempore Synodi aluisti, omnem benedictionem a Deo omnipotenti adprecantes, gratias humillimas in nomine Cleri hic congregati agimus. Deus ter optimus, cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, multiplicata benedictione reverendissimam Amplitudinem adimpleat!«

Ecce Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua, in libro tuo omnes scribentur. (Ps. 138, 5. 16). *In tempore . . . consurget Michael, princeps magnus, qui stat pro filiis populi. Et in tempore illo salvabitur . . . omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro.* (Dan. 12, 1). *Et liber apertus est, qui est vitae. Non intrabunt in novam civitatem Jerusalem, nisi qui sunt in libro vitae Agni.* (Apoc. 20, 12; 21, 27).

Nota. Ut praeiacentium „Operationum et Constitutionum“ emptoribus lectoribusque benevolis liber praesto sit in se completus, in ipso sicut in prioribus libris synodalibus typis procusus est integer in Synodo procedendi modus.

Pars secunda.

Operationes synodales.

Mnemosynon authenticum

de processu sextae Synodi dioecesanae, anno Domini 1911 in ecclesia s. Aloysii congregatae et celebratae.

Congregatio generalis prima.

In multorum hominum concursu plurimum refert, ut singuli ordinem praescriptum strictim servent. Quod ut in Synodo VI. Lavantina fieret, in tempore *manuale agendorum* promulgatum et ante initium Synodi singulis, qui iure vel indulgentia reverendissimi Ordinarii in Synodo intersunt, traditum est. In eo regula et norma in Synodo agendorum accurate descripta est.

Huic circumspectae celsissimi Episcopi ordinationi in acceptum referimus, quod ordo in die 28. Augusti 1911 per omnia servari potuerit. Hora enim quarta post meridiem sollemnis processio synoditarum ex ecclesia s. Ioannis Baptistae cathedrali in Episcopium et inde in sacellum synodale, ecclesiam scilicet s. Aloysii, dirigebatur. Inter eam campanae cathedralis ecclesiae festive pulsabantur, populo fideli annunciantes grande opus Synodi modo initium capere.

Synoditae plerique omnes, vestes pro Synodo praescriptas induti, dum ab Episcopio in ecclesiam s. Aloysii vultu serio, gravi gressu incederent, hymnos et psalmos, in illo *manuali* indicatos, alternatim recitabant et sacellum synodale ingressi benedictionem aqua lustrali ab Episcopo reverendissimo expetierunt. Deinde a dextera et sinistra stantes celsissimum Antistitem reverenter salutaverunt. Hic quum comitatu Capituli cathedralis ad altare maius aedis, sollemniter ornatae, progressus esset,

sacras vestes induit, et festivo hymno: *Veni, Sancte Spiritus* Congregationem generalem primam, ut praescribitur, aperuit. Hymno a choro Musicorum absoluto reverendissimus Praesul post *versum* et *responsorium orationem* dixit et congressistis sacramentalem benedictionem dedit.

His ita peractis celsissimus sacrorum Antistes sacras vestes deposuit et vestibus consuetis indutus, orationem inauguralem, paterni amoris plenam ex ambone, in navi sacelli ex parte Evangelii posito, ut sequitur, clara voce dixit.

Allocutio auguralis,

habita in prima Congregatione generali in festo s. Augustini Ep. Conf. Eccl. Doctoris, die 28. mensis Augusti 1911 ad animarum rectores, qui ad Synodum sextam convenerunt.

Laudetur Iesus Christus!
In saecula saeculorum.

Ini consilium, coge
concilium! (Is. 16, 3).

Venerandi fratres et filii!

Dei mandato, per os magni Isaiae prophetae annunciato *ineundi consilium cogendique concilium*, pie obsecundans, coëgi concilium, quod hodierno die exordior, dum laeto ac libenti animo vos, venerabiles consacerdotes, qui in tanto numero tantaque navitate ad hornotinam Synodum dioecesanam concelebrandam convolastis, ex intimis saluto praecordiis. Nihil opportunius mihique iucundius existimo, quam ut vos universos, hoc instante iuxta mea hic desideria congregatos, alloqui valeam ac paternam caritatem, quam intimo corde alo, vobis aperire possim.

Magister divinus misit suos apostolos, s. Marco referente, ad praedicandum, ut homines poenitentiam

agerent, eoquod regnum Dei appropinquasset. Evangelizatione peracta, »convenientes apostoli ad Iesum renunciaverunt ei omnia, quae egerant et docuerant. Et ait illis Iesus: Venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum! Erant enim, qui veniebant et redibant, multi: *et nec spatium manducandi habebant.* Et accedentes in *navim* abierunt in desertum locum seorsum.« (Marc. 6, 7. 12. 30. 31. 32).

Apostoli ergo irremisso studio et indefesso fervore propagabant verbo et opere regnum Dei, ita ut prae multitudine turbarum ac laborum nec spatium manducandi habuissent. Quod Christi discipulis contigit, fors et vobis, perdilecti collaboratores in vinea Lavantina, haud raro accidit, ut nempe nec spatium manducandi neque tempus dormiendi habeatis.

Hinc vere dignum et iustum est, aequum et salutare, ut vos quoque abeatis in locum desertum seorsum et requiescatis pusillum a laboribus, sudoribus et angoribus quotidianis. Et iste felix locus sit *haecce navis ecclesiae s. Aloysii,* in qua convenimus ad refocillandas vires per sacram coenam, quam vobis sextae Synodi convocatione praeparavi, sicuti episcopalis religio officii me monuit mihique suasit pastoralis sollicitudo.

Quinque iam anni mox praeterituri sunt, ex quo quinta Synodus Lavantina, Numine divino favente, in sacra hac ecclesia congregata est. Ex illo iam tempore multa in nobis mutata sunt. Novae rerum rationes novas quoque necessitates creant, quibus apte consulendum est, ut pastorum et ovicularum fidelium vita christiana in dies magis augescat et altius evoletur.

Idcirco in animum induxi, anno dilabente, quo lustrum Synodi quintae completur, sextum concilium dioecesanum in idem templum sacrum cogere. *Sentiendi cum Ecclesia* meum ac vestrum principium est, de quo uberius in Synodo, anno 1900 concita, sermocinatus sum. Dictum adagium nostris diebus eo religiosius observandum est, quo vehementius inimici homines dimicant contra *Ecclesiam Dei vivi, columnam et firmamentum veritatis*

(I. Tim. 3, 15), quumque sanctissimus Dominus noster Pius, divina providentia Papa decimus, permulta satque gravia decreta in salutem reipublicae, christianae et civilis, edidit.

Inter ista pontificia decisa eminent sancita de frequenti sumptione sanctissimae Eucharistiae deque aetate neocommunicantium. In suis litteris, die 5. mensis Iunii anno 1911 dimissis ad Gregorium Cardinalem Aguirre y Garcia, Archiepiscopum Toletanum et suum Legatum ad congressum internationalem eucharisticum Matriti celebrandum, Papa Pius X. desuper scripsit, ut sequitur: »Ita rem vobis evenire cupimus, ut non solum coëuntium frequentia aut caeremoniarum splendore, sed etiam et maxime ubertate fructuum iste conventus nobilitetur. Etenim huc omnino spectare vestra debent consilia, quo potissimum curae cogitationesque Nostrae sunt conversae, ut homines ad maiorem adducantur et cognitionem et amorem et consuetudinem Iesu Christi. Intelligitis autem ipsi, in pia religiosaque communicatione Sacramenti vivifici esse omnia; ob eamque causam in primis oportere apud christianos, non tantum, qui adulta aetate, sed quicumque rationis sunt compotes, usus Eucharistiae frequens atque adeo quotidianus invalescat. Primum omnium igitur ea, quae sunt in hoc genere praecipua ex recentioribus actis Sedis Apostolicae, id est decessoris Nostri illustris encyclicas litteras *Mirae caritatis* et utrumque decretum Nostrum *Sacra Tridentina Synodus* et *Quam singulari*, proposita animis vestris habebitis nempe ad considerandum, quibus viis possint toto orbe catholico plenius ac felicius ad effectum pervenire. Nos illud magnopere probamus, quod multis locis fieri consuevit, ut nullus sit Dominicus festusque dies, quin ad universa templa et sacella publica utriusque Cleri ostensione Sacramenti benedicatur adstantibus: idque ut inducatur in morem caeterarum dioecesium, scitote, optabile admodum Nobis esse. Pergratum etiam Nobis feceritis, si crebras salutationes, si adorationes perpetuas, si sollemnes supplicationes delitescentis Dei, vobis curae fuerit, omni ope provehere.«

Huc porro spectant pontificia decreta de iureiurando contra modernismi errores, de legibus circa lectionem foliorum ac diariorum in seminariis, de amotione parochorum a beneficiis oeconomica, de vetita administratione temporalium ex parte Cleri. Cuncta haec aliaque praecepta pontificia nostrae dioecesis adiunctis atque indigentiis applicanda et adoptanda sunt. His in Synodo agendis subiungendae veniunt diversae res dioecesanae, quae in ordinem redigendae et componendae sunt. Necessarias has res vobis conspectus materiae, in Synodo praesenti dilucidandae et elaborandae, indigitabit.

Venerabiles synoditae! Nonne nos omnes Pii PP. X. programma Paulinum *omnia instaurandi in Christo* effectui propinare et omnia deformata reformare, reformata conformare, conformata confirmare intendimus? Quare in Synodo hac convenimus, ut faciamus, quod possumus et valemus. Itaque Christi nomine invocato cordeque Deiparae immaculatae salutato patronisque ecclesiarum dioecesanarum pro auxilio rogatis exordior et inchoo sextam Synodum episcopalem in ter sancti Dei gloriam et ad virgineae matris Mariae laudem omniumque Sanctorum honorem nostrorumque bonum aeviternum.

Agite igitur, synoditae humanissimi! *Sanctificati in veritate* (Ioan. 17, 19) docete mecum et discite viam, veritatem et vitam; date mecum operam, ut clericis disciplina, ecclesiis ordo, Deo populus acceptabilis restitui possit! Stat Deus in loco sancto suo, nostris interest consiliis et actionibus, suos ipsos ministros et adiutores in oeconomia salutis adlegit, atque huic ministerio ita nos inservire oportet, ut illi unice tempore hoc mentes, corda, vires consecremus.

Sed nostrae infirmitatis conscii, nostris diffisi viribus, ad te levamus cum fiducia oculos precesque convertimus, o Sancte Spiritus! Tu, dator sapientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiae et pietatis sacrique timoris, rege corda et fove atque dirige, ut huius Synodi actiones rite inchoentur, prospere promoveantur, salubriter perficiantur! Converte faciem tuam ad congre-

dientes ac tum eorum corpora tum animos benedictionis tuae gratia prosequere: corpora nempe, ut labores omnes, qui a coepto sacro ministerio abesse non possunt, alacriter ferre valeant; animos vero, ut sacerdotalis vitae exemplis et virtutum splendore in christiani gregis salutem praeluceant!

Tu vero, Dei Mater alma atque semper Virgo et felix coeli porta, tu et nos et consultationes et operationes nostras in tuam tutelam recipe ac tuis age apud Deum intercessionibus, ut in uno semper spiritu maneamus et corde! Nihil ad catholicam rem tuendam concordi collegio firmius. Nos convenimus in unum — hoc denotat vox *Synodus* — convenimus in mentem unam, in cor unum, in consensionem et concordiam.

Vos quoque nostris adeste votis, omnes sancti coelites, praecipue tu, princeps militiae coelestis, sancte Michael archangele; porro tu, vox clamantis in deserto, sancte Ioannes Bapt., tutelaris ecclesiae nostrae cathedralis; tu amator crucis, s. Andrea, patrone dioecesis nostrae Lavantinae, et tu, oecumenice Doctor, s. Augustine, cuius festum hodie recolimus, nec non omnes patroni nostri omniumque ecclesiarum dioecesanarum: potenti deprecatione efficite, ut nos omnes officia nostra fideliter impleamus in salutem nostram terrestrem et coelestem!

O bone Deus, amor meus! Si quando, nunc certo hora est, de somno surgere. Si quando, nunc certo omnem deponere nos oportet teporem, omnem languorem, omnem oscitationem! Si quando, nunc certo colligere debemus et intendere vires nostras in defensionem summorum bonorum! Numquam enim haec bona — sacra religio eiusque divinitus constituta custos, sancta Ecclesia, huiusque sacramenta, praecepta et hierarchia, iura et praerogativae — copiosioribus, multiplicioribus atque infestioribus oppugnabantur armis et copiis, quam oppugnantur nostro hoc tempore.

Surgamus ergo et pugnemus! Vis quidem conspirata malorum tanta est, ut humanitus iudicando, bonae cau-

sae triumphus paene desperatus videatur. Sed vero Dominus bonus est et misericors et praepotens. At tamen et nos pro viribus operari oportet. Et quid non valeat praestare sacerdotium, spiritu Dei, viva fide et ardente caritate animatum! Supremum Numen non deerit nobis suo — ab alto — auxilio, dummodo impigre, prudenter et resoluto animo faciamus, quae in nostra sunt sita potestate. Ac, si etiam haud optatus undique conatibus nostris responderit effectus, saltem ex ore iusti Iudicis propter labores nostros non audituri sumus tremendam illam sententiam: *Vos dispersistis gregem meum et eiecistis eos, et non visitastis eos; ecce, ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus!* (Ier. 23, 2).

Proinde, *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes!* (Gal. 6, 10). *Nos oportet operari, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.* (Ioan. 9, 4).

Operemur ergo et laboremus! Amen.

Ista oratio, festivo modo prolata, animos synoditarum insueto etiam modo affecit ac mirando quodam spiritu implevit eosque per totam Congregationem gratus sensus, inde partus, amoene captos servavit.

Sed ad materiam Congregationis solvendam pergere oportuit. Idcirco reverendissimus Praestes Prosecretario et Lectori Synodi Iosepho Majcen, Canonico Seniori, decreta de Synodi Officialibus publicanda mandavit.

Decretum
de Officialibus Synodi.

MICHAEL,
Dei grata miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum.

Ut operationes synodales rite instituantur et debite terminentur, in nostra hac Synodo aptos *Officiales* seu *Ministros* eligere decrevimus. Constituti et electi sunt sequentes:

Promotores Synodi: Plur. rev. Dom. Carolus Hribovšek,
» » » Iacobus Kavčič.

Isti sedebunt ad mensam convenienter tectam et urgebunt actionem synodalem pro emittenda professione fidei, pro Clero vocando et scrutinio eiusdem pro electione examinatorum et iudicum, pro evulgatione decretorum, pro poenis contra absentes et pro rogatu Notarii. Maior de duobus amborum nomine loquatur, stans a dextris alterius Promotoris. Verba sua recitent de folio, clauso in libello aliquo decenti et ornato, quem ipsemet, qui legit, teneat, et alta voce, ut alii plene audire possint.

Secretarius Synodi: Plur. rev. Dom. Martinus Matek.

Prosecretarius et Lector Synodi: Plur. rev. Dom. Iosephus Majcen.

Secretarius procurat lectionem decretorum. Praevideat, quae legere debet, ne erret vel cunctetur, legat alta voce, ut satis audiatur ab omnibus, distincte, ut intelligatur. Curet affigi valvis ecclesiae schedulas pro initio Synodi pridie primae diei, porro distribui tabellas pro scrutinio faciendo et eiusmodi. Promotoribus instantibus ipse semper aderit. Idem suggeret Episcopo, quaecumque agenda erunt. Praescribet Cantoribus et Musicis praescribenda. Eiusdem partes erunt, ut tota actio synodalis exactissime cum Magistris caeremoniarum peragatur. Idem ipse cantabit stans prope sedem Episcopi *Orationes* in fine Synodi.

Prosecretarius et *Lector* tamquam socius adiutor eligitur, praecipue pro facienda lectione legendorum firma voce. Dum legit decreta, ad singula pausam faciat, ut Episcopus circa illud, quod proxime lectum fuerit, sensum suum communi sermone aperire queat Clero, si necessitas urgeat.

Notarius Synodi: Plur. rev. Dom. Dr. Ioannes Mlakar.

Notarius actionis synodalis semper aderit prope mensam Officialium et in fine cuiuscumque sessionis rogatus a Promotoribus, ut *mnemosynon authenticum* de omnibus actis synodalibus conficiat, respondebit, se facturum. Qua testes assumet eorumque nomina in actis

scribet: Rev. Dom. Dr. Ioannem Jančič et Rev. Dom. Dr. Matthiam Slavič.

Ad eumdem attinet scribere in libro nomina eorum, qui fidei professionem in Synodo emittunt, et adnotare absentes, ut puniantur, nisi a Iudicibus querelarum et excusationum canonice excusentur.

Procuratores Cleri: Adm. rev. Dom. Franciscus Dovnik,
» » » Martinus Jurkovič,
» » » Iosephus Čižek,
» » » Marcus Tomažič.

Ut omnia fiant secundum ordinem atque sine tumultu agantur, designamus quattuor Procuratores Cleri, ad quos adeant congressores, ut eorum nomine cum Episcopo conversentur in Synodo. Ii ad Nos deferant, quaecumque Clerus synodalis desiderat et expetit. Procedant autem, petita et data venia ab Episcopo et cum debita modestia et reverentia. Quaecumque petierint nomine Cleri, petant in scriptis Secretario traditis.

Hoc loco repetimus, quod in ultima Synodo observavimus: In sententiis dicendis nullus debeat aut immodestis vocibus perstrepere aut tumultibus perturbare, nullus etiam falsis vanisve aut obstinatis disceptationibus contendere; sed quidquid dicatur, adeo miti verborum prolatione temperetur, ut nec auditores offendantur, nec iudicii acies, perturbato animo, inflectatur.

Praefectus hospitiorum: Plur. rev. Dom. Martinus Matek.

Consocii: Adm. rev. P. Callistus Heric,
» » Severinus Korošec,
» » Dom. Iosephus Zidanšek,
ven. Dom. Iosephus Trafenik.

Hospitia pro synoditis in civitate delecta sunt, in quibus eis frugalis mensa praeparabitur. Praefectus cum consociis deputatur, ut in ea re invigilent et ad eos recurrere queant ii, qui de Clero eorum opera egent ad hospitium sibi parandum. Mensa communis synoditis suppeditatur partim in seminario clericorum, partim in convictu puerorum, partim in coenobio PP. Francisca-

norum. Etiam in domo parochiali civitatis Marburgensis, item in domicilio Capituli cathedralis nec non in Episcopio sternitur mensa pro Synodi sodalibus. Qui ad diversoria divertere coguntur, seligant caupones aut cives, qui pietate aliis praestant. Tenore edicti indictionis Synodi omnes synodales foranei nanciscantur hospitia gratuita, ut ea perceperunt in ultima et paenultima Synodo.

Magister caeremoniarum: Adm. rev. Dom. Rudolphus Janežič.

Promagister: Adm. rev. Dom. Dr. Ioannes Tomažič.

Adiuncti: Rev. Dom. Dr. Franciscus Lukman,
vener. Dom. Antonius Tkavc.

Magistri caeremoniarum eligi debent, ut toti actioni synodali inserviant. Magistri nomen satis excitat ad omnia bene gerenda et exactissima. In primis caeremoniariorum cura sit apparatus ecclesiae synodalis; praeterea, quae ad habitum Cleri, ad processionem, ad horas canonicas, ad Missas synodales, ad musicos concentus, ad campanarum pulsationem spectant, ipsi procurent. Pro incensando Clero in duabus Missis pontificalibus parentur tria thuribula. Nam Diacono incensante Assistentes et Canonicos, duo thureferarii incensabunt Clerum, ambo simul, saltem unico ductu cuicumque sedilium ordini, et eodem modo eisdem dabunt pacem primo cuiusque ordinis sedilium et primus aliis de more. Pro communione Cleri parari curent stolas pro sacerdotibus rubei coloris et vinum sufficiens pro purificatione. Pro absolutione defunctorum extenditur pannus in medio ecclesiae, et accedente Subdiacono Missae cum cruce et Acolythis cum candelabris fit absolutio de more. Curent, ut hymni et psalmi a Clero alternatim cantentur; item ut in altari maiore ardeant sex candelae, durante sessione Synodi.

Ostiarii Synodi: Ven. Dom. Martinus Petelinšek,
» » Antonius Stergar.

Ostiarii debent esse viri graves, discreti, qui etiam possint admonere eos de Clero, qui suis locis non sedent, sed per ecclesiam forte vagantur et fabulis in-

utilibus vacant. Non solum ad portas ecclesiae claudendas, verum etiam ad excludendos laicos ut par est sine tumultu ianitores requiruntur. Excludant autem laicos, antequam inchoetur sessio, et omnino nullum ibi permittant sine consensu Episcopi. Claudantur portae cum clavibus, duabus exceptis lateralibus, per quas ii, qui de Clero sunt, eant et redeant pro re nata. Ante finem tertiae sessionis sollemnis aperiantur portae, ut populus introire queat ad laudes divinas pro gratiarum actione et pro lucrandis indulgentiis plenariis. Si quem repererint contumacem laicum vel clericum, eum deferant ad praefectos disciplinae synodalis, quo munere fungantur *Iudices querelarum et excusationum.*

Moderator piorum exercitiorum: Plur. rev. Dom. Franciscus Ogradi.

De disciplina ecclesiastica deque correctione morum in Clero habentur sermones synodales a reverendissimo sacrorum Antistite. Ad excitandum spiritum poenitentiae instituuntur meditationes per virum pium ac peritum. Istae non durent ultra dimidiam horam, ne impediatur actio reliqua synodalis. Directori sacras considerationes habenti datur benedictio ab Episcopo de more.

Confessarii synodales: Plur. rev. Dom. Carolus Hribovšek,
Plur. rev. Dom. Bartholomaeus Voh,
Adm. » P. Callistus Heric,
Rev. Dom. Laurentius Janžekovič,
Adm. rev. Dom. Iacobus Caf,
» » » Franciscus Hirti,
» » » Iacobus Hribernik,
» » » Antonius Ribar,
» » » Iosephus Sinko,
» » » Henricus Verk.

Expedit, observat clarissimus Bartholomaeus Gavantus, quod Episcopus remittat Clerum suum a Synodo bene purgatum a peccatis, illuminatum decretis et unitum sibi et Deo. Idcirco deputantur confessarii saeculares et regulares ad audiendas Cleri dioecesani confessiones. Praeter superius nominatos poenitentiarios delegantur ad

sacrum hoc munus obeundum cuncti Superiores ordinum, Synodo adstantes, porro omnes venerabiles Patres Franciscales Marburgenses, itidem omnes reverendi sacerdotes Congregationis Missionis s. Vincentii a Paulo.

Eisdem communico facultatem a casibus reservatis absolvendi nec non tenore capitis 6. *Liceat* Concilii Tridentini sessione XXIV. de reform. potestatem tollendi, si quae sint, secretas irregularitates et suspensiones, in quantum polleo iure subdelegandi. Terminus praedictarum facultatum prolongatur ad octo dies post Synodum. Tempore Synodi Confessarii in ecclesiis et domi quoque synoditas audire possunt, si ii velint. Tempore autem actionis synodalis ne sedeant ad tribunal sacrum, sed omnes adsint actis agendis.

Aequales facultates concedo omnibus confessariis, qui laicorum confessiones in ecclesiis civitatis Marburgensis audituri sunt eum in finem, ut poenitentes indulgentiam plenariam, in ultima sessione synodali promulgandam, acquirere valeant.

Cantores et Musici synodales: Ven. Dom. Franciscus Trop,
Adm. rev. Dom. Iosephus Čižek,
» » Aloysius Čižek,
» » Antonius Kolar,
» » Ioannes Markošek,
» » Iosephus Sigl,
» » Ioannes Pajtler,
» » Stephanus Pivec,
» » Matthaeus Štrakl,
» » Iosephus Trafenik,
» » » Ioannes Bapt. Vreže,

Honorandus Dom. Rudolphus Wagner, Organista et Choralista ecclesiae cathedralis Marburgensis.

In Missa pontificali sollemni adhibendus est musicus cantus cum organo de more, sed absque mora. In Missa plana cantari possunt sacra cantica cum organo et vocibus. In Missa pro defunctis sequentia *Dies irae* sine organo. In Missa de sanctissima Trinitate Gloria, Credo, Sanctus et Agnus Dei, caetera in cantu Grego-

riano, organum pulsatur de more. In ingressu Episcopi in ecclesiam organum pulsatur mane tantum. In processione poterunt cantari a Musicis hymni, psalmi et in ultima sessione *Te Deum*. In actione synodali hymnum *Veni, Sancte Spiritus* et *Veni, creator Spiritus* cantabunt Musici. Iidem respondebunt benedicenti sollemniter Episcopo in fine totius Synodi.

Datum Marburgi, in festo s. Bartholomaei apostoli, die 24. mensis Sextilis 1911.

Quum Synodi Officiales loca sua, priores ad mensam, eis specialiter praeparatam, reliqui in ecclesiae navi occupavissent, Promotores Synodi, ad sedem celsissimi Praesulis progressi, suppliciter institerunt, ut materiae synodales indicarentur et praepararentur. Reverendissimo Ordinario annuente Lector Synodi summarium constitutionum, quae synoditis pertractandae offerrentur, praelegit earumque longa series (53) in admirationem congressistas accivit, quum eas vix ac ne vix quidem brevi Synodi tempore persolvi posse arbitrarentur.

Haec tamen formido ex eorum corde pellitur, dum eis decretum de Congregationibus particularibus praelegitur.

Decretum
de instituendis quattuor Congregationibus particularibus.

NOS MICHAEL,

Dei grata miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Ut quaestiones in Synodo tractandae salubrius et facilius discutiantur et dilucidentur, formamus quattuor Congregationes seu Consilia, quae singulas quattuor Constitutiones titulorum mature et rite praeparent pro Synodo. Methodum agendorum in hisce congregationibus suppeditat *Manuale agendorum* in Synodo praesenti pag. 62 et 63.

I. Congregatio de fide et doctrina.

Praeses: Plur. rev. Dom. Iacobus Kavčič.
Consultores: » » » Simon Gaberc,
Adm. » » Iosephus Čižek,
» » » Michael Lendovšek,
» » » Ioannes Rotner,
» » » Antonius Veternik,
» » » Franciscus Bohak,
» » » Franciscus Javšovec,
» » » Iosephus Zidanšek,
» » P. Donatus Zupančič.
Relator: Rev. Dom. Dr. Iosephus Hohnjec.
Notarii: » » Antonius Kolarič,
» » Ioannes Ev. Kociper.

II. Congregatio de cultu divino.

Praeses: Plur. rev. Dom. Franciscus Moravec.
Consultores: Adm. » » Ioannes Bohanec,
» » » Augustinus Hecl,
» » » Martinus Jurkovič,
» » » Iosephus Jurčič,
» » » Matthias Karba,
» » » Antonius Ribar,
» » » Marcus Tomažič,
» » » Henricus Verk,
» » » Ioannes Bapt. Vreže.
Relator: Rev. Dom. Dr. Antonius Korošec.
Notarii: » » Maximilianus Vraber, Doctor rom. in iure canonico,
» » Antonius Cestnik.

III. Congregatio de Cleri populique disciplina.

Praeses: Plur. rev. Dom. Franciscus Hrastelj.
Consultores: Adm. » » Msgr. Georgius Bezenšek,
» » » Franciscus Hirti,
» » » Martinus Meško,
» » » Iosephus Sinko,

Adm. rev. Dom. Antonius Šijanec,
» » » Franciscus Zdolšek,
» » » Franciscus Zmazek,
» P. Ladislaus Hazemali,
» Dom. Dr. Antonius Zdešar.
Relator: Adm. rev. Dom. Dr. Antonius Medved.
Notarii: » » Dr. Augustinus Stegenšek,
» » Iosephus Kardinar.

IV. Congregatio de regimine ecclesiastico.

Praeses: Plur. rev. Dom. Iosephus Fleck.
Consultores: Adm. rev. Dom. Iosephus Atteneder,
» » » Iosephus Cerjak,
» » P. Callistus Heric,
» » Dom. Iosephus Kralj,
» » » Ioannes Kunce.
» » » Ioannes Lenart,
Plur. » » Dr. Antonius Suhač,
Adm. » » Aloysius Arzenšek,
» P. Norbertus Povoden.
Relator: Rev. Dom. Dr. Iosephus Somrek.
Notarii: » » Dr. Matthias Slavič,
» » Dr. Antonius Jehart.

Datum Marburgi, in festo s. Bartholomaei apostoli, die 24. mensis Sextilis 1911.

Ad has Congregationes illustrissimus Praesul, quid eis facto opus esset, per singula momenta exposuit earumque Praesidibus constitutiones iam praeparatas, accurato examini subiiciendas tradidit.

Procuratores Synodi porro institerunt, ut decreta de Examinatoribus ordinandorum, Examinatoribus promovendorum ad beneficia curata atque de Parochis consultoribus publicarentur. Quum celsissimus Antistes huic instantiae satisfecisset, Lectori Synodi illa decreta praelegenda praecepit.

Examinatores Cleri.

Examinatores Cleri, quos Episcopus debet deligere ante Synodum, ut suo tempore proponantur Synodo, sunt in duplici differentia. Ii, qui examinare debent promovendos ad beneficia curata, sunt necessario approbandi in Synodo, at alios ad examen ordinandorum seu approbandorum ad audiendas confessiones potest Episcopus eligere etiam extra Synodum et arbitratu suo.

Primi ordinis, approbandi in Synodo plures proponi debent, ut ex eis saltem sex a Clero approbentur; plures tamen approbari solent et debent. (Concil. Trid. sess. XXIV. cap. 18).

1. Decretum
de Examinatoribus ordinandorum.

Iuxta decretum Tridentinum sess. XXIII. cap. 7. de reformatione editum eligimus sequentes sacerdotes peritos divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatos, qui ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem investigent et examinent. Tenore decreti Tridentini sess. XXIII. cap. 5. de reformatione nominati examinatores litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad Nos quam primum transmittere tenentur, ut Nobis innotescat, qui habiles et digni sint, ut ad sacrum ministerium accedant, et qui ceu inhabiles et indigni a sacerdotio arceantur.

Sanctissimus Dominus noster Papa Pius PP. X. Motu proprio *Sacrosancta Tridentina Synodus* de die 16. mensis Iulii 1905 sacrosancti Concilii Tridentini decreta hac in re revocavit et confirmavit, nec non de examinibus in Urbe quoad *doctrinam* clarius definivit ac distinctius sanxit, quid in ea re sit praestandum.[1] Hoc

[1] Acta S. Sedis. Ephemerides romanae. Romae 1905. Vol. XXXVIII. fasc. 1. pag. 8—10.

decretum Beatissimus Pater per litteras *Religiosorum ordinum* de die 19. Martii 1906 extendit, respiciendo ad caput 12. sess. XXIII. Tridentinae Synodi, quod sonat: »Regulares non sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis« — nominatim ad Regulares in Italia et in Insulis eiusdem ditioni subiectis.[1] Id quod ad sensum et per analogiam etiam de nostris regionibus valet.

Quas dispositiones accurate observatas esse volumus nec non quod Pius PP. X. hac in materia per decretum *Vetuit* de die 22. Decembris 1905 atque *De excardinatione et incardinatione* de die 20. Iulii 1906 observandum esse imperat.

Itaque eliguntur Examinatores ordinandorum pro nostra ecclesia Lavantina prudentes viri sequentes:

Praeses examinatorii: Plur. rev. Dom. Dr. Ioannes Mlakar.
Vicepraeses: » » » » Iosephus Majcen.
Consultores: » » » » Martinus Matek,
» » Dr. Iosephus Hohnjec,
Adm. » » Rudolphus Janežič,
» » Franciscus Kovačič,
» » Dr. Matthias Slavič,
» » Dr. Iosephus Somrek,
» » Dr. August. Stegenšek,
Adm. » » Iosephus Zidanšek.

Datum Marburgi, in festo Purissimi cordis B. M. V., die 27. mensis Augusti 1911.

2. Decretum
de proponendis et a Synodo approbandis Examinatoribus promovendorum ad beneficia curata.

MICHAEL,
Dei grata miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum.

Sacrosancta Tridentina Synodus sessione XXIV. cap. 18. *Expedit maxime* de reformatione statuit, ut be-

[1] Acta S. Sedis. Romae, 1906. Fasc. 4. pag. 93 seq.

neficia curata eis tantummodo ab Episcopo conferantur, qui in tentamine, ab Examinatoribus ad hoc adscitis instituendo, approbati et idonei declarati sunt.

Sint vero hi Examinatores magistri in Theologia aut doctores aut saltem licentiati in iure canonico vel alii clerici seu regulares, qui ad id videbuntur magis idonei. Modum eos eligendi praescripsit sancta Synodus Tridentina, ut sequitur: »Examinatores in dioecesana Synodo ab Episcopo ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant et ab ea probentur. Proponi et acceptari possunt iuxta canonistas plures quam sex, non tamen ultra viginti.[1]

Pro quorum Examinatorum approbatione duplex est modus: per vota aperta seu secreta, id est, vel breviter interrogando Clerum voce alta per Secretarium: Placent ne vobis? vel vero imprimendo eorum nomina in schedulis, coniiciendis in urnam, cum notis a. r. nimirum approbationis et reprobationis. Secundus hic modus in praehabitis quinque Synodis observatus est, proinde et hac vice sexta observetur. Caeterum requiritur, ut maior pars eorum, qui Synodo legitime congregatae interesse obligantur, in propositos Examinatores consentiant; alias dici non possint a Synodo approbati; nec proinde forent legitimi. Iurare debent approbati ad sancta Dei Evangelia.

Iuxta modo dicta pro ambitu dioecesis Nostrae proponimus vestrae liberae electioni et commendamus sequentes venerabiles viros, necessariis qualitatibus exornatos, qui munus praeceptum in dioecesi Nostra gerant, donec novensilis Synodus dioecesana habebitur et remanebit numerus senarius. Schedulae cum nominibus Examinatorum propositorum distribuendae sunt inter synoditas. Si forte e propositis viris aliquis non placet, in schedula deleatur littera a. et vice versa littera r. Omnes schedulae clausae caeremoniariis tradantur, ut electi in crastina Sessione sollemni publicari et insimul iure-iurando devinciri possint. Eorum nomina sunt:

[1] D. Bouix, Tractatus de parocho. Part. III. sect. 3. cap. 1. et 3.

Plur. rev. Dom. Dr. Ioannes Mlakar,
» » » Iosephus Majcen,
» » » Martinus Matek,
» » » Franciscus Moravec,
» » » Iacobus Kavčič,
» » » Simon Gaberc,
» » » Dr. Antonius Suhač,
» » » Antonius Šlander,
Adm. » » Rudolphus Janežič,
» » » Adamus Grušovnik,
» » P. Callistus Heric,
» Dom. Franciscus Kovačič,
» » Dr. Iosephus Hohnjec,
Adm. » » Dr. Franciscus Kruljc,
» » » Iosephus Zidanšek,
» » Dr. Franciscus Lukman,
» » Dr. Iosephus Somrek.

Datum Marburgi, in festo s. Augustini Episc. Conf. Eccl. Doct., die 28. mensis Augusti 1911.

3. Decretum
de proponendis et a Synodo approbandis Parochis consultoribus pro revisione decreti amotionis administrativae ab officio et beneficio curato.

Iuxta decretum *Maxima cura* a sacra Congregatione Consistoriali die 20. Augusti 1910 editum de amotione administrativa ab officio et beneficio curato variae personae ad motionem decernendam necessariae sunt — et quidem *Examinatores*, de quibus statuit sacra Tridentina Synodus sess. XXIV. cap. 18. de reformatione de quibusque in superius edito decreto in praesenti Synodo actum est. Inter hos Examinatores Episcopus duos sibi sociare et eorum consensum vel consilium requirere debet *in invitatione* parocho facienda, ut renunciet, et *in amotionis decreto ferendo.* (Can. 3. § 1).

In revisione autem decreti amotionis, quoties haec necessaria evadat, duos *Parochos consultores* assumat, quorum consensum vel consilium requiret. (Can. 3. § 2).

Examinatoribus et *Parochis consultoribus* eligendis lex haec praescribitur:

§ 1. Si Synodus habeatur, in ea, iuxta receptas normas, eligendi sunt tot numero, quot Ordinarius prudenti suo iudicio necessarios iudicaverit. § 2. *Examinatoribus* et *Parochis consultoribus* medio tempore inter unam et aliam Synodum demortuis, vel alia ratione a munere cessantibus, alios *praesynodales* Ordinarius substituet de consensu Capituli cathedralis. § 3. Quae regula servetur quoque in *Examinatoribus* et *Parochis consultoribus* eligendis, quoties Synodus non habeatur.

§ 4. *Examinatores et Consultores* sive in Synodo sive extra Synodum electi, post *quinquennium* a sua nominatione vel etiam prius, adveniente nova Synodo, officio cadunt. Possunt tamen servatis de iure servandis, denuo eligi. § 5. Removeri ab Ordinario durante quinquennio nequeunt, nisi ex gravi causa et de consensu Capituli cathedralis.

Iuxta praefatas sanctiones pro amplitudine dioecesis Nostrae proponimus vestrae liberae electioni et commendamus sequentes venerabiles viros, necessariis qualitatibus decoratos. Electio instituenda est methodo, qua Examinatores promovendorum ad beneficia curata seliguntur, qui *in invitatione* parocho facienda, ut renunciet, et in *amotionis decreto ferendo* requiruntur.

Nomina *Parochorum consultorum* sunt:

Adm. rev. Dom. Iacobus Caf,
» » » Franciscus Bohak,
» » Bartholomaeus Frangež,
» » Dr. Ioannes Jančič,
» » » Michael Lendovšek,
» » » Ioannes Rotner,
» » » Antonius Veternik.

Datum Marburgi, in festo s. Augustini Episc. Conf. Eccl. Doct., die 28. mensis Augusti 1911.

Posteriora duo decreta Synoditis proposita sunt, ut suo iure uterentur et, qui in decretis offeruntur, eos vel ap-

probarent vel reprobarent, et ideo singulis traditae sunt schedulae, in quibus litterae $\frac{a.}{r.}$ scriptae erant, ut in iis pro sua quisque conscientia vel litteram a. vel r. atro stylo signarent eoque modo manifestarent, quem ex propositis approbatum vel reprobatum vellent.

Quia Parochi consultores aliquid novi essent, illustrissimus Ordinarius synoditis accurate exposuit et clare indicavit, quid eis, occasione data, caeterum non optata, praestandum esset. Quae quum audiissent, Parochus quidam, Carolus Tribnik, reverendissimo Antistiti gratias egit, quod rem multis minus claram ideoque exosam synoditis in clariore luce posuisset, hanc institutionem esse scilicet innovatam non in praeiudicium Cleri, sed in commune bonum Ecclesiae.

Electione Examinatorum et Consultorum facta, celsissimus Pater schedulas colligi et ab Officialibus Synodi scrutinio subiici iussit, ut in prima sollemni Sessione approbati Examinatores et Consultores publicarentur et iure iurando, ut fieri oportet, devincirentur.

His peractis, reverendissimus Praesul exempla homagii a Synodo mittendi Sanctissimo Patri Pio PP. X. et Augustissimo Imperatori Francisco Iosepho I., obsequiique exprimendi eminentissimo Status Secretario Cardinali Merry del Val, eminentissimo Metropolitae Cardinali Ioanni Katschthaler, Metropolitae Salisburgensi, atque excellentissimo Nuncio Apostolico Alexandro Bavona Vindobonensi Synodo manifestavit, et quum ab ipso illustrissimo Synodi Praeside eleganti stylo conscripta essent, a synoditis cum applausu accepta et statim per telegraphum suae destinationi missa sunt. Sic vero sonant:

Telegrammata synodica.

Summo Pontifici Pio X.

Romam. Vaticano.

Michael, Episcopus Lavantinus, una cum ducentis triginta tribus sacerdotibus synodaliter congregatis ex

toto corde sensa filialis obedientiae, fidelitatis et amoris Sanctitati Tuae manifestat, et ut divinum Numen cum sacrae Synodo celebrandae tum ineundis in coetu consiliis propitium adsit, Apostolicam Benedictionem humiliter petit. Ferventer orabimus et communionem generalem Domino vitae offeremus pro salute et firma valetudine Beatissimi Patris.

† **Michael,**
Episcopus.

Seiner kaiserlichen und königlichen Apostolischen Majestät Kaiser Franz Joseph I.

Ischl.

Euer kaiserlichen und königlichen Apostolischen Majestät bringt der alleruntertänigst gezeichnete Fürstbischof von Lavant, umgeben von 233 Dioezesanpriestern auf der sechsten Synode, seine ehrfurchtsvolle Huldigung dar. In dem festen Grunde des Gehorsams, der Treue und Liebe gegen Gott wurzelt unsere unwandelbare Ergebenheit, Verehrung und Liebe gegenüber Eurer Majestät erhabener Person. Die Synodalen versprechen, für Eurer Majestät noch lange glückliche und segensreiche Regierung ihre täglichen Gebete und am kommenden Freitag die gemeinsame heilige Kommunion dem Allmächtigen aufzuopfern.

Dr. Michael Napotnik,
Fürstbischof von Lavant.

Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Cardinali Merry del Val, Status Secretario

Romam. Vaticano.

Episcopus Lavantinus et ducenti triginta tres sacerdotes ad sextam Synodum celebrandam congregati pro acceptis beneficiis gratias reddentes et pro accipiendis suppliciter rogantes erga Status Secretarium Sanctissimi Patris turbulentis hisce temporibus profundissimae vene-

rationis et singularis observantiae sensa profitentur. Synoditae orabunt pro firma salute Reverendissimae Eminentiae Vestrae.

† Michael,
Episcopus Lavantinorum.

Eminentissimo Domino Ioanni Bapt. Cardinali Katschthaler, Principi-Archiepiscopo et Metropolitae

Salisburgum.

Praesul Lavantinus cum ducentis triginta tribus sacerdotibus in sexta Synodo dioecesana congregatis debitam venerationem confitetur ac singularis observantiae sensus Reverendissimo Metropolitae manifestat cum gratiarum actione pro celebrato Concilio provinciali. Ut Deus Eminentiam Vestram conservet incolumem per multos adhuc annos, orabimus Eique communionem generalem offeremus.

† Michael,
Princeps-Episcopus.

Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Nuncio Apostolico Alexandro Bavona, Archiepiscopo,

Vindobonam.

Wien. Am Hof.

Episcopus Lavantinus et ducenti triginta tres sacerdotes ad sextam Synodum celebrandam congregati et Benedictione Apostolica muniti erga Legatum Sanctissimi Patris profundissimae venerationis sensa manifestant.

Illustrissimae Amplitudini
addictissimus servitor

† Michael,
Episcopus Lavantinorum.

Tum reverendissimus Ordinarius animos congressorum ad tristissimam conditionem, in qua Ecclesia catholica eiusque sacrorum ministri hoc tempore in Lusitania ingemiscunt, facundis verbis convertit atque annunciavit, se in votis habere, ut Synodus litteras commiserantes et consolantes reverendissimo Patriarchae Ulissiponensi mitteret et si synoditae assentirentur, eas nomine Synodi componendas mandaret. Quibus auditis, sodales Synodi unanimes propositioni assensum praestiterunt.

Ad instantiam Promotorum Synodi celsissimus Praestes hoc decretum de indicenda prima Sessione sollemni legi iussit:

Decretum
de indicenda Synodi pridie Sessione sollemni prima.

MICHAEL,
Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum.

Primam Synodi praesentis Sessionem sollemnem crastina die, quae erit 29. volventis mensis Augusti, celebrandam esse volumus et praecipimus. Hora septima omnes synoditae in sacello synodali reverendissimum Antistitem expectent, in cuius ingressu pulsandum est organum. Missa pontificali ab illustrissimo Ordinario celebrata, indicta Sessio sollemnis incipiet.

Quum ea ipsa die Decollatio s. Ioannis Baptistae, Praecursoris Domini et Martyris recolatur, oremus, ut Deus intercedentibus meritis et precibus magni poenitentiae Praedicatoris Synodum nostram visitare, disponere et benedicere dignetur.

Datum Marburgi, in festo s. Augustini Episc. Conf. et Eccl. Doct., die 28. mensis Augusti 1911. —

Hoc instanti campanae omnium in urbe ecclesiarum sollemnes suos sonos longe lateque per duos quadrantes spargere coeperunt.

Quum ita materiae, quae in prima Congregatione generali publicari solent, expeditae essent, reverendis-

simus Ordinarius synoditas oratione, huic Congregationi praescripta, ad sua loca dimisit et ad suas aedes de felici initio Synodi gaudens modo consueto recessit.

Marburgi, in festo s. Augustini, die 28. Augusti 1911.

Dr. Ioannes Mlakar,
Notarius Synodi.

Dr. Ioannes Jančič,
Testis vocatus.

Dr. Matthias Slavič,
Testis vocatus.

Sessio sollemnis prima.

Nondum horae septimae matutinae in feria III. ultimus ictus per urbis synodalis vias personuerat, quum celsissimus Praesul cappa magna indutus, curru vectus in atrium synodalis ecclesiae s. Aloysii venisset, ubi a Capitulo cathedrali reverenter exceptus synoditis in sacelli navi congregatis aqua lustrali benedixit. Inde Capitulo cathedrali comite per medios synoditas ad altare maius progressus est. Quo quum venisset, Ssmo Sacramento adorato una cum congressoribus *Tertiam* persolvit et hac finita sacra vestimenta ad s. Missam de Spiritu Sancto cum plena assistentia celebrandam assumpsit. Intra Sacrum synoditae incensati sunt et Musici cantu Gregoriano cantaverunt.

Post s. Missam reverendissimus sacrorum Antistes, sacris vestimentis depositis, ad preces in hac Sessione dicendas transiit. Quae longiores quidem sunt, bene tamen congressorum animos ad ea, quae in ipsa Sessione peragenda sunt, pie excipienda ac cum necessaria attentione exequenda praeparant et iuste disponunt. Itaque quum persolutae essent, initium programmatis, in sollemni Sessione solvendi, clementissimus Praesul hoc sermone synodali fecit.

Sermo synodalis,

pronunciatus in prima Sessione habita in festo Decollationis s. Ioannis Bapt., die 29. mensis Augusti 1911.

Deus caritas est; et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo. (I. Ioan. 4, 16).

In Deo dilecti synoditae!

Prima et suprema lex Dei altissimi est *caritas*. Interroganti legis doctori, Magister, quod est mandatum magnum in lege, respondit Iesus: *Diliges Dominum Deum tuum ex* **toto** *corde tuo et in* **tota** *anima tua et in* **tota** *mente tua! Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum!* (Matth. 22, 35—39).

Et ad legis peritum quaerentem: *Magister quid faciendo vitam aeternam possidebo:* dixit Christus: *In lege quid scriptum est, quomodo legis? Et respondit: Diliges Dominum Deum tuum ex* **toto** *corde tuo et ex* **tota** *anima tua et ex* **omnibus** *viribus tuis et ex* **omni** *mente tua; et proximum tuum sicut teipsum. Dixitque illi: Recte respondisti.* ***Hoc fac et vives!*** (Luc. 10, 26—28).

Homo ad amorem Dei natus est; nec umquam se hoc exuere potest affectu. Si non amet Deum, tamquam centrum existentiae et omnis contentionis suae, amabit, quae sunt extra hoc centrum constituta. Si non amet sublimia et supra se posita, amabit vilia et quae infra se sunt. Quod est principium sic dictum gravitationis relate ad cursum siderum, hoc est ordo amoris relate ad moralem hominum statum.

In praeclaro capite quarto aureae suae regulae s. pater Benedictus inter septuaginta duo instrumenta bonorum operum designat »*tamquam primum instrumentum* Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute — et *secundum instrumentum:* proximum tamquam seipsum.«

Quilibet homo diligit aliquid. Sine dilectione nequit vivere neve potest consequi salutem sempiternam. *Qui*

non diligit, manet in morte. (I. Ioan. 3, 14). Eo magis pro sacerdote caritas vita est. In sacra ordinatione tradit Episcopus presbyterando casulam: »Accipe, inquiens, vestem sacerdotalem, per quam *caritas* intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi caritatem et opus perfectum!«

Sacerdos est minister Dei, de quo s. apostolus Ioannes in sua prima epistola habet: *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo.* (I. Ioan. 4, 16). Sed quid potest, quid debet catholicus sacerdos diligere, amare? O perdilecti compares, obiecta amoris pro ministro et adiutore Dei dantur amplissima et maxima! De caritatis sacerdotalis capite impraesentiarum habebo sermonem; qui synodalis sermo de caritate sit tamquam cantus meus cycneus. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* (Ioan. 14, 23). O Maria, mater pulchrae dilectionis, adiuva me!

1. Sacerdos christiano-catholicus in primis amet *Deum Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.* Qui? Sacerdos non diliget suum creatorem, Patrem coelestem? Creatura necessario tendit ad creatorem et filius ad Patrem, quod est amare. Sacerdos non diliget suum Salvatorem, Dei Filium? Cum s. Petro clamat: *Domine, tu scis, quia amo te!* (Ioan. 21, 15. 16). Qui? Ille non diliget suum sanctificatorem, Spiritum Sanctum, qui per eminentiam est caritas? »Ipse namque Spiritus Sanctus«, ait s. Gregorius Magnus, »amor est: unde et Ioannes dicit: Deus caritas est.« (Hom. 30 in Evangelia). *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* (Rom. 5, 5).

Deus caritas est: et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo. Amor Dei mirum in modum ardebat in cordibus Sanctorum. Quam intensa vis divini amoris urgere debuit pectus, e quo verba proruperant: *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die: aestimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus*

*superamus propter eum, **qui dilexit nos**. Certus sum enim, quia neque mors neque vita, neque angeli neque principatus neque virtutes, neque instantia neque futura, neque fortitudo, neque altitudo neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate, quae est in Christo Iesu, Domino nostro.* (Rom. 8, 35 sqq).

Et s. Ignatius Antiochenae ecclesiae tertius post Petrum apostolum Episcopus, dum propter fidem Romam vinctus mitteretur, scripserat: »Nihil de his, quae videntur, desiderans, ut Iesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestiae, confractio ossium, membrorum divisio et totius corporis contritio, tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar.« Quum iam, damnatus ad bestias, rugientes audiret leones, aiebat: »Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.« O intensitas amoris, quae innocenter crudelissima tormenta passo tantum indidit robur fortitudinis!

In voce beati Pauli, in voce Ignatii Antiocheni agnoscimus vocem omnium sanctorum ministrorum Dei, quos exardescens divini amoris ignis ad vitae sanctitatem perduxit, in quorum pectoribus flagrabat amor Dei, qui eos ad opera heroica inflammabat. Sancti Deum amabant, uti amari vult: ex *toto* corde, ex *tota* mente, ex *tota* anima. Qui dicit *in toto*, nullam in alias res divisionem admittit. Quid nos, sacri curiones? Imitamur ne pro viribus praeclara haec exempla? O mi Deus! Hinc inde puer-pastor ovium profundius ac sincerius amat Deum, quam pastor animarum immortalium. Meditetur talis animarum curator de verbis beati discipuli, quem Iesus diligebat: *Qui in caritate non manet, nec in Deo manet neque Deus in eo. Qui non diligit, manet in morte.* (I. Ioan. 3, 14). Proin penetret pectora nostra cohortatio Christi: *Manete in mea dilectione!* (Ioan. 15, 9). *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* (Luc. 12, 49).

Solus amor est, quo convertimur ad Deum, transformamur in Deum, adhaeremus Deo, unimur Deo, beatificamur hic in gratia et ibi in gloria. Amor ipse est via

Dei ad homines et via hominis ad Deum : et mansionem Deus habere non potest, ubi caritas non est. Si igitur caritatem habemus, Deum habemus, quia Deus caritas est. Amoris vis est, quae animam de terris ad fastigia coeli celsa perducit. Ipse amor est vita animae, vestis nuptialis et perfectio ipsius, in quo omnis lex et prophetae et Domini edictum pendet.

2. Qui sacerdos sanctissimam Trinitatem *ex tota virtute* diligit, is *diligit etiam eius sacram institutionem: unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam,* infallibilem revelationis divinae magistram, erroris nesciam conservatricem divini verbi scripti et traditi. Patrem coelestem amans amet oportet matrem Ecclesiam. Qui Ecclesiam non habet matrem neque eam amat, nec Deum habet Patrem neque eum amat. Qui Iesum Christum, Filium Dei, amat, sponsam eius diligat necesse est sanctam Ecclesiam. *Christus dilexit Ecclesiam,* cum emphasi enunciat s. Paulus, *et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret . . ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* (Ephes. 5, 25—27). Qui Spiritum Sanctum diligit, diligat opus est Ecclesiam, institutam pro distributione gratiarum, pro iustificatione generis humani et sanctificatione, quae procedit a Spiritu Sancto.

Sacerdos, sacrosanctam Ecclesiam veraciter diligens, diligit eius salvificam doctrinam, amat eius sacramenta et sacramentalia, eius sacros ritus et caeremonias: ille observat eius leges et sanctiones. *Plenitudo legis est dilectio.* (Rom. 13, 10). Ille defendit eius iura et possessa, aestimat eius instituta, ordines, congregationes, missiones, pia exercitia. Iste *sentit et cogitat et cooperatur* cum Ecclesia. Spiritum ecclesiasticum verbo et opere commonstrat, probe sciens, tristes hinc inde provenire sequelas etiam in populum quoad vitam vere catholicam et quoad obedientiam debitam sanctae Sedi in rebus, ad regimen et disciplinam pertinentibus, quia spiritus ecclesiasticus fors tepefactus non convenientem exercet

fluxum. Sacerdos, Ecclesiae ardens amator inibi, ubi declamatur *procul a Roma*, circumspecte vigilat et pervigil custodit oviculas a lupis rapacibus.

Sacerdos amoris igne ardens erga suam matrem Ecclesiam, veneratur ac reveretur Sanctissimum Patrem, fideliter et feliciter regnum Dei in terris gubernantem Papam Pium PP. X.; pie et devote loquitur de Beatissimo Patre, libenter obsecundat eius votis et obtemperat eius mandatis. Verba s. Hieronymi ad Damasum Pontificem usurpat ex veritate: »Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuae i. e. Cathedrae Petri communione consocior, super illam petram aedificatam Ecclesiam scio, quicumque tecum non colligit, spargit«. Bonus sacerdos non impie diiudicat Summi Pontificis agendi rationem in rebus quibuscumque. Novit namque et scit apprime, Papam stare in specula, unde melius et acrius considerare possit rerum rationes ac conditiones, quam valet ipse vel vales tu, care amice, vel possum ego cum oculo lusco.

3. Sacerdos Lavantinus amore universae Ecclesiae aestuans, amat etiam partem eius, id est, *ecclesiam seu dioecesim Lavantinam.* Vi amoris, quo flagrat eius pectus erga patriam dioecesim, dilaudat et adiuvat omne bonum in ea, odit et avertit quodcumque malum. Iste amat exercitia spiritualia, quae inter alia gratiae sacerdotalis custodiendae et augendae opportuna subsidia primum sunt subsidium, cuius utilitates iam sat superque laudavi in Synodis nostris.

Eiusmodi sacerdos promovet pro viribus cuncta bona instituta dioecesana, sacras missiones, pias confraternitates, coniunctiones et consociationes. Singulari dilectione prosequitur seminarium Clericorum nec non viridarium puerorum. Quam maxime isti est cordi cura augendi numerum bonorum sacerdotum; quapropter educat et instruit ingenuos et pios pueros, et praebet abiturientibus et theologis eximium exemplum, confortat eos pro sublimi et sancta vocatione; nullo modo autem eos ab ea declinat. Sacerdos quidam coram studiosis

male locutus est, immo eos incitavit ad sensualia, clamando: »Osculemini puellam — erat soror cuiusdam gymnasiastae — ego ut studiosus ita me gessi.« Nemo horum iuvenum intravit in statum sacerdotalem, etiamsi a limine sacra dos aliqui fieri cupiebant. O scandalum irreparabile! Egregius sacerdos curat pro sacerdote successore. Quis nostrum non est factus sacerdos mediante pio sacerdote, hortante zeloso confessario, cooperante prudenti et perito catecheta?

Mirum in modum sacrum apostolorum collegium natum et auctum est. »S. Ioannes Bapt. *duobus ex discipulis suis* monstravit Iesum ambulantem, dicens: *Ecce, Agnus Dei!* Et audierunt eum duo discipuli loquentem et secuti sunt Iesum. Conversus autem Iesus et videns eos sequentes se dicit eis: Quid quaeritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, quod dicitur interpretatum Magister, ubi habitas? Dicit eis: Venite et videte! Venerunt et viderunt, ubi maneret, et apud eum manserunt die illo: *hora autem erat quasi decima.* Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant ab Ioanne et secuti fuerant eum.« Alter vero erat ipse Ioannes, qui nobis narrat hocce initium collegii apostolici.

»Andreas invenit primum fratrem suum Simonem et dicit ei: Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus dixit: Tu es Simon, filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.« Posteaque invenit Iesus Philippum a Bethsaida et dixit ei: Sequere me! »Philippus invenit Nathanael et dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, et prophetae, invenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni et vide! Vidit Iesus Nathanael venientem ad se et dicit de eo: Ecce, vere Israelita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael: Unde me nosti? Respondit Iesus et dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, quum esses sub ficu, vidi te. Respondit ei Nathanael et ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel! Respondit Iesus et dixit ei: Quia dixi tibi:

Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis«. (Ioan. 1, 35—50). Consimili modo debetis et vos adducere iuvenes ad Iesum, sicque complere et multiplicare numerum sacerdotum Lavantinorum.

Clericus, dioecesis propriae cultor, diligit eius navarchum seu Episcopum ordinarium. Ne vero hic pro domo mea loqui videar, praetermitto hoc caput cum hacce sola annotatione. Amorem ego non urgeo; ast unusquisque sacerdos dioecesanus ad minimum honorat sacrorum Antistitem, sicuti sollemniter promisit in ordinatione. »Quotquot Dei et Iesu Christi sunt«, ita s. Ignatius Antiochenus ad Trallianos et Magnesianos scripsit, »hi sunt cum Episcopo. Quum Episcopo subiecti sitis ut Iesu Christo, videmini mihi non secundum hominem vivere, sed secundum Iesum Christum. In honorem illius, qui amat nos, decet obedire sine ulla hypocrisi, quia non solum Episcopum hunc visibilem quis fallit, sed invisibilem decipere conatur«. Vulgatissimum est etiam illud Ignatianum: »Presbyteri debent cum suo Episcopo consentire, uti inter se consonant chordae in cithara«. Religiose observandum, quod tanto pondere olim s. Ambrosius clericis suis inculcavit: »Episcopus et sacerdotes iuncti sunto non nodis perfidiae sed fidei ligaturis«. Insuper longe absit, quaeso, ut assessores et relatores consistorii mei in mittendis libellis laedantur aut in litteris vel anonymis irrideantur acerbis facetiis. Nos omnes omnibus confratribus nil nisi bonum, immo quod optimum est, optamus et pro viribus facere connitimur. Generatim blaterant et mussitant, qui ignorant rationes agendorum a praepositis; et communiter maledici inveniuntur ii, quorum vota et postulata non statim exaudiuntur. Tales maledicaces quaerunt, *quae sua sunt, non quae sunt Iesu Christi.* (Philipp. 2, 21). *Non ut confundam vos, haec profero,* ut cum s. Paulo loquar, *sed ut filios meos carissimos moneo.* (I. Cor. 4, 14).

Sacerdos, flamma caritatis erga dioecesim succensus, diligit omnes socios cooperarios in vinea Dominica. Bene intelligit adhortationem Principis apostolorum, s. Petri:

*In fine autem omnes sitis unanimes, compatientes, **fraternitatis amatores**, misericordes, modesti, humiles: non reddentes malum pro malo nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem haereditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere et dies videre bonos, coërceat linguam suam a malo: et labia eius ne loquantur dolum. Declinet a malo et faciat bonum: inquirat pacem et sequatur eam!* (I. Petr. 3, 8—11). Confratrum amator studet bonae famae fratrum suorum; ipsos eorum defectus contegit pallio fraternae caritatis, quae tamen praecipit correctionem fraternam, quippe quae non est merum consilium — consilia tantum tria numerantur — sed est strictum mandatum.

Si mones confratrem, salvas animam eius; si non mones, perdis eam fors in aeternum. In Christo carissimi! Moneamus et corrigamus nos invicem; sed personis laicis nequaquam narremus mala de collegis! O tantum quantum scandalum pro mundo, si sacerdos stet contra sacerdotem! Extraneis personis loquamur tantum de bonis qualitatibus nostri confratris, parcendo dignitati eius. Erga nosmetipsos iustum iudicium et severum; *quod si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur* (I. Cor. 11, 31), erga mundum silentium vel vero excusatio et laudatio confratris! *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut, qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* (I. Ioan. 4, 20. 21). *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* (Ioan. 13, 34. 35). Apposite ad rem pertractatam s. Iacobus observat: *Nolite detrahere alterutrum, fratres! Qui detrahit fratri aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi et iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis sed iudex. Unus est Legislator et Iudex, qui potest perdere et liberare. Tu autem*

quis es, qui iudicas proximum? (Iac. 4, 11—13). *Ante omnia* ergo *mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habeatis;* caritas *operit multitudinem peccatorum.* (I. Petr. 4, 8).

4. Sacerdos, amore erga dioecesim fervens, *amat etiam partem dioecesis, id est stationem, in qua vivit et munere fungitur pastorali* — ergo decanus decanatum, parochus plebanatum, capellanus locum beneficii et ita sic porro. Ex amore pastor animarum procurat bonum gregi suo. Connititur cunctis viribus, ut vita vere christiana inter oviculas crescat, vigeat et floreat. Ut assequatur suum sacrum finem, omnia pastorationis media salutaria adhibet. Amore prosequitur fideles utriusque generis, omnis aetatis, status et conditionis. Amat pueros et puellas, iuvenes et adolescentulas, viros et viragines, senes et anus. *Exit in plateas* et dicit: hoc scitote: *Quia appropinquavit regnum Dei.* (Luc. 10, 10. 11). Ascendit in Areopagum, ut cultos et doctos lucrifaciat pro noto Deo. Cum divino Magistro gemit: *Misereor super turbam* (Marc. 8, 2) et convenienter operatur. Non modo oves, quae congregatae sunt, custodit, sed etiam devias reducit. *Omnes vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* (I. Tim. 2, 4). *Omnibus omnia fit, ut omnes faciat salvos.* (I. Cor. 9, 22). Cunctis praebet *exemplum in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate* (I. Tim. 4, 12) — persuasus, verbum donare, exemplum tonare; validiorem operis quam oris vocem. Multum orat pro populo, ut alter Ieremias, de quo sacra Scriptura testimonium perhibet: *Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate — Ieremias, propheta Dei.* (II. Mach. 15, 14).

Quoniam fortis est, ut mors, dilectio, bonus pastor in executione officiorum non exhorret incommoda et difficultates, contradictiones et vexationes ad gregis dilectionem contestandam. Haec ipsum stimulat, ut grandia indesinenter et operetur et patiatur. »Amor operatur magna, ait s. Thomas Aquinas, et reputat parva; operatur multa, et reputat pauca.« Eius *caritas aedificat*

templa invisibilia, quae sunt animae immortales, et adornat visibilia fana, sacras ecclesias, ut sint dilecta tabernacula Domini.

In sua caritate est similis Iosepho aegyptio, qui amatos fratres dimisit et proficiscentibus inculcavit: *Ne irascamini in via* (I. Mos. 45, 24), id est: Nolite rixari, inter se altercari in itinere. Est alter s. Ioannes a s. Facundo, cuius festum die 12. Iunii recensetur quique tum concionibus tum privatis colloquiis civium animos demulcens ad tranquillitatem urbem reduxit. Fuit gratia donatus dissidentes componendi. Idcirco sonat oratio in eius festo: »Deus auctor pacis et *amator caritatis*, qui beatum Ioannem Confessorem tuum mirifica dissidentes componendi gratia donasti, eius meritis et intercessione concede, ut *in tua caritate firmati* nullis a te tentationibus separemur.« Et quomodo se gerunt curiones quidam? Incontinuo contendunt, indesinenter litigant, perpetuo altercantur, constanter belligerant, ita ut in paroecia sine fine agitentur iurgia, convicia, rixae, simultates immo et accusationes coram tribunalibus. *Servum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem.* (II. Tim. 2, 24).

Sacerdos, amore animarum immortalium repletus, sollicitus est, ut ad morientes advocetur, antequam postremus torpor sensuum mentem moribundi ad extrema iam hebetaverit, ita ut moriens hinc decedat refectus de Christi corpore, quod unicum viaticum est ad coelestem patriam. Omni opera enititur, ut germanae caritatis praeceptum vulgo observetur et periculose decumbentibus quam primum tanta melioris vitae adiumenta ministrentur.

Et qui sunt fructus et effectus talis pastorationis? Ecclesia, visu pulchra et amoena, a fidelibus continuo visitatur, loca confessionalia a poenitentibus indesinenter circumdantur, sacra communionis mensa a communicantibus fere quotidie frequentatur, sacer suggestus ab auditoribus libenter stipatur. Scholares, discipuli et discipulae, laetantes advolant in scholam ibique mirum in

modum se gerunt et discunt. Terque quaterque felices sunt, si ab amante et adamato catecheta quoddam verbum audiunt approbationis. Amor gignit amorem. Sacerdos, qui diligit, diligitur. Exempla talium sacerdotum Lavantinorum vobis nota sunt ex vetustioribus et recentioribus diebus. Quis non novit v. gr. Gregorium Pevic, Andream Lenarčič, Iosephum Rozman, sapientem illum et in aeternum memorandum virum?

5. Amoenum amoris sacerdotalis obiectum *est patria, arctior et latior.* Ego amo dulce meum solum natale seu humilem meam domum paternam; et ego amo Austriam, quae est patria dioecesanorum meorum. Uti ego ita et vos, compares carissimi, amatis sincere Austriam, gloriosam nobisque pure necessariam. Qui vere diligit patriam, orat pro ea, uti Esther *rogavit pro populo suo et pro patria sua* (Esth. 15, 1); ille amat populum eumque cogitatione, verbo et opere ad bonum dirigit et a malo avertit; conservat ei vivam fidem, quae est pro patria basis solidior, quam sunt montes et colles; tuetur ei christianam pietatem, quae pulchrius decorat patriam quam prata speciosa et agri frugiferi; ille prudenter ducit sacratam plebem ad laborem, hocce sanguinis balsamum. Patriota ducit gentem ad orationem, quae ipsam elevat et nobilitat. Incorruptae gentes oraverunt. Titus Livius narrat, quomodo Romani, adhuc integri, deos consulerent, ad eos preces funderent in rebus gravibus. Tempore nostro nimis negligitur oratio. Sed o vis et valor orationis! Christus oravit et salvavit mundum. Apostoli orarunt et mundum converterunt. Martyres oraverunt et vicerunt. Virgines oraverunt et castitatem servaverunt. Sancti oraverunt et eo ferventius oraverunt, quo sanctiores fuerunt.

Verus patriota dirigit populum ad christianam vitam familiarem. Qualis familia, talis parochia, communitas, provincia, monarchia. Sunt, qui velint familiam destruere, viro corrosivo pessumdare. Regiones iam inveniuntur, ubi plus matrimonia soluta quam indissoluta numerantur. O horror! Domus parochialis sit ita ordinata, ut in

ea imperet virtus, regnet timor Dei. *Timor Dei initium dilectionis,* docet sapiens Siracides. (Eccli. 25, 16).

Sacerdos, amore patriae impletus, ex corde diligit Patrem patriae. Quo de affectu non gloriatur quidem; ast si necessitas urget, vitam suam immolat et sanguinem suum fundit pro Imperatore iubilari, qui tantum pro bono Ecclesiae generatim in Austria et speciatim in dioecesi Lavantina praestitit. Monarchae amans honorat eius quoque vices gerentes, decenter et non petulanter tractando publica munera et officia ore et scripto. Sua et ecclesiae iura defendit fortiter et suaviter, non vero arroganter et violenter.

Patriae amator et nobile decus gerit politicam christiano-catholicam neque agit modernam impiam et impatriam. Divinus Salvator prae amore terrae suae sanctae mansit in ea, laboravit pro ea, leges eius ac bonos mores observavit, eius incolas docuit reddere, quae Caesaris sunt, Caesari; et quae sunt Dei, Deo; dilexit eos usque ad mortem, ita ut dicere potuerit: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* (Ioan. 15, 13). Dominus et Redemptor noster amavit populum Israel, neque odit caeteras nationes, pro quibus pariter mortem pertulit, neque nationem religioni praetulit. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* (Matth. 16, 26). — De clericorum circa res politicas agendi ratione valde salutares normas statuerunt Synodi nostrae, praecipue Synodi annis 1896 et 1900 celebratae. Item de ardua hac re Concilium provinciae Salisburgensis anno 1906 habitum utiles sanxit leges.[1] Modo memoratas constitutiones synodales vobis ad conscientiosam observationem in memoriam revocatas volo.

6. Sublime obiectum amoris sacerdotalis est *amor scientiarum sacrarum et profanarum.* Leo XIII. frequentius commendavit Clero studium diversarum scientiarum: praeter theologicam scientiam cultum philosophiae, hi-

[1] Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno Domini 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 200.

storiae naturalis, iuris prudentiae, bonarum artium, litteraturae, architecturae. »Plane intelligis«, ita scripsit in litteris, die 20. Maii 1885 ad Cardinalem Parocchi missis, »quod saepe Nos et non sine causa diximus, summa esse contentione et assiduitate enitendum, ut clericorum ordo quotidie magis doctrinarum cognitione floreat. Cuius necessitatem rei maiorem efficit natura temporum; propterea quod in tanto ingeniorum cursu tamque inflammato studio discendi, nequaquam posset Clerus in muneribus officiisque suis cum ea, qua par est, dignitate atque utilitate versari, si quae ingenii laudes tanto opere expetuntur a caeteris, eas ipse neglexerit.« Quum Cleri commissi excolendi cura inter primaria Episcopi officia reputetur, monente Leone XIII. Episcopos Austriae: »Item Cleri instituendi excolendique cura, qua nulla Episcopo maior neque uberior, suum in consultationibus locum habebit« (Litt. de die 3. Martii 1891), ego prae aliis in Synodo prima, anno 1896 concita et facta, quoad cultum sacrae scientiae salutaria statui decreta. — Proverbium est: *Aufer solis splendorem et sacerdotis scientiam, similes erunt.* Sol sine luce et calore foret globus tenebrosus et frigidus, qui impediret, quominus caetera corpora moverentur. Tali enti tenebroso et frigido assimilis reputatur sacerdos ignarus, indoctus, illiteratus. Quid mirum, si ei indicatur terribilis poena: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* (Os. 4, 6).

Synoditae amantissimi! Nos possidemus scientificum folium periodicum, quod per 14 iam annos tractat disciplinas theologicas. Adiuvate illud materialiter et spiritualiter, ne umquam in lucem prodire desinat! Dioecesi nostrae non desunt talenta nec argentea nec spiritualia. Descendant ista in arenam litterariam et pugnent cum gladio pennae ancipiti! Post quinque lustra quanta moles erit congesta in tomis, et quantus decor et quaestus pro tota dioecesi! In Austria duae dioeceses celebrantur ob Clerum egregium. In ambabus per plures iam annos eduntur periodica folia litteraria — in altera Theologisch-

praktische Quartalschrift (64. Jahrgang), in altera Priester-Konferenz-Blatt (23. Jahrgang).

7. Denique adductis obiectis amoris sacerdotalis addo *pietatem, quae ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae.* (I. Tim. 4, 8). De hoc capite prius debuerim disserere; ast ultimus locus est pariter excellens, et numerus septimus est numerus sacer.

Pius sacerdos amat orationem, meditationem, confessionem frequentem, officia divina, examen conscientiae, lectionem piam. Is veneratur Mariam matrem pulchrae dilectionis, reginam apostolorum et matrem sacerdotum, honorat beatum Ioseph, patrem sacerdotum, imitatur suum patronum, aestimat patronum ecclesiae, cui inservit. Utitur omnibus ad pietatem ducentibus mediis, quorum haud inefficax est lectio foliorum asceticorum. Apud nos per decem iam annos pietatem excolit folium, cui titulus »Glasnik najsvetejših src«. Legite, dilatate et sustentate illud quo impensiori modo!

Piae orationis amor sacerdoti acquirit perseverantiam in bonis operibus, absque qua nihil ei prodesset. Quid profuit Iudae Ischariotae gratia apostolatus sine constantia in bono? O quam misere finivit! Et Arius, Macedonius, Nestorius, Photius, vir doctissimus sui aevi, quod opus eius »bibliotheca« probat, Michael Caerularius, Wiclefus, Hussius, Lutherus — nonne fuerunt sacerdotes et facti sunt haeretici, schismatici, apostatae, et intulerunt generi humano vulnera, quae adhuc urunt et urent. Consimiles sacerdotes diebus quoque nostris reperiuntur. Sacerdos quidam, professor religionis in Saaz in Bohemia, scripsit varia opera scientifica et posthac Ecclesiam deseruit, declarando, eum qua sacerdotem catholicum per longum iam tempus non oravisse. Omnibus notus Iesuita publicavit laudabiles dissertationes in foliis catholicis, dein apostatavit ac vehementissime oppugnare coepit et usque dum impugnat sanctam Ecclesiam, eius Caput, hierarchiam, institutiones. Mulierem, quam quaesivit, invenit. O hominem miserum!

Et miseri modernistae, qui obedientiam recusarunt Summo Pontifici! Pius PP. X. flevit super sacerdotes, ita mihi relatum est, sicut Christus super civitatem Ierusalem et s. Paulus super inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. (Philipp. 3, 18. 19).

Ideo oremus, fratres dilectissimi, Deum omnipotentem, ut nobis concedat gratiam perseverantiae in bonis operibus. Eam non accipimus gratis, docente s. Alphonso Liguori, prouti alias gratias. Et tamen est absolute necessaria. *Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.* (Matth. 10, 22). *Tenete ergo, quod habetis, ut nemo accipiat coronas vestras!* (Apoc. 3, 11). *Et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.* (II. Cor. 13, 11).

In Christo carissimi congressores! In quibusdam missionum domibus mos viget, qui vehementer commovet corda. Quando iuvenes missionarii in terras longinquas mittantur, omnes congregantur in ecclesia instituti missionis. Cuncti apparent cum breviario sub ala, cum cruce in sinistra et cum baculo in dextera. Congressis cantatur Evangelium: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae . . .* Adduntur verba ex Isaia propheta: *Quam pulchri super montes pedes annunciantis et praedicantis pacem, annunciantis bonum, praedicantis salutem!* (Is. 52, 7). Hisce auditis missionarii surgunt. Nunc superior et professores osculantur evangelii praeconibus speciosos pedes; quo facto missionarii statim proficiscuntur.

Consimilis congressus habetur impraesentiarum in hacce ecclesia seminarii clericorum. Evangelii praedicatores adstant. Mox mittam eos super colles et valles, ut praedicent salutem, annuncient pacem, quae tam necessaria est nobis. Ego superior vester vobis osculer pedes, creditis mihi? Quolibet anno in coena Domini fortiter osculor seniles pedes duodecim sic dictis apostolis. Eo libentius osculer pedes sacerdotum. Solum unum pedem non osculer. Pedem, qui currit post mulierem. Hic pes non est speciosus, sed foedus, non est desiderabilis, sed

detestabilis, quia non evangelizat salutem, sed signat perditionem. Propterea est abominabilis. Si talem pedem osculari deberem, prae horrore corruerem.

Si difficilius credideritis, me velle pedes vestros osculari, facilius credetis, quod vobis manus osculer. Attamen manum, quae ancillam amplectitur, non osculer; prius caderem ob horrorem in perplexiam. In secunda Sessione synodali, die 26. mensis Augusti 1903 habita, ante pedes vestros me quasi prostravi et provolutus in genua vos petii: Dimittite et eiicite personas, quae vos seducunt. Iamvero porrigerem cuilibet vestrorum dexteram manum meam atque cuiuslibet dexteram tam diu in mea tenerem, donec mihi quaerenti: amice, manebis sacerdos immaculatus, responderet: manebo, et deintus osculer et benedicerem manum eius.

In frontispicio portae claustri cuiusdam inscriptum legitur: *Patet porta sed magis cor.* Hoc indubie valet de sacratissimo corde Iesu, quod fornax ardens caritatis vocatur, et de purissimo corde Mariae, quod ut igne divino inflammatum colitur. Utrique dulcissimo Cordi nos sub finem Synodi consecrabimus ac dedicabimus. Atvero ego ausim asserere: *Porta domus meae patet sed magis cor.* Vellem, ut post mortem in corde meo inveniatur insculptum: *Amo Lavantinenses!*

Provectae aetatis omnes plus minus iam sumus, mezzo del camin di nostra vita, quibus verbis incipit »Divina Comedia«, iam dudum praeteriit, at l'Amor, che muove il sole e l'altre stelle, quibus verbis clauditur »Divina Comedia« — at amor semper in nobis flammavit, arsit et ardebit erga Amorem absolutum, erga eius Ecclesiam huiusque patronam Mariam.

Deus caritas est; et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo. (Ioan. 14, 16). *Ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos!* (Ephes. 5, 2). *Nunc autem manent fides, spes, caritas: tria haec; maior autem horum est* **caritas.** (I. Cor. 13, 13). Amen. Amen.

Verba huius sermonis, amore et seriis veritatibus referti, cum pio ardore et sacro affectu per totam horam prolata, magnam et ut arbitramur, saluberrimam vim in animis synoditarum impresserunt et in se digna sunt, quae sacerdotes frequenter, typis excusa, permeditentur.[1]

Mox Promotores Synodi ad sedem illustrissimi Ordinarii progressi, institerunt, ut decreta formam Synodi respicientia publicarentur. Itaque Lector Synodi, quum decreta illa de manu celsissimi Praesulis accepisset, voce audibili et intelligibili ea synoditis praelegit.

Decretum
de Synodo incepta.

NOS MICHAEL,

Dei grata miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus, Suae Sanctitatis Praelatus domesticus, Pontificio Solio Assistens, Suae caes. ac reg. Apostolicae Maiestatis Consiliarius intimus, Magna cum Cruce caesarei austriaci Ordinis Francisci Iosephi Ornatus, sacrae Theologiae Doctor.

Ad Dei omnipotentis gloriam ac beatissimae Virginis Dei Matris eiusque Sponsi s. Ioseph, Ecclesiae universalis nec non Ducatus Styriae Patroni, et ad Protectorum nostrorum s. Michaelis archangeli, s. Ioannis Baptistae, s. Andreae apostoli omniumque Sanctorum et Sanctarum, Titularium ecclesiarum dioecesanarum honorem sextam Synodum Nostram hac ipsa die 29. mensis Augusti dilabentis anni, incidente insimul veneranda festivitate Decollationis s. Ioannis Baptistae, ordinaria qua pollemus auctoritate episcopali incipimus eamque inceptam declaramus.

Faxit idem omnipotens Deus pro sua misericordia precibusque virgineae Deiparae ac eorundem Sanctorum aliorumque, ut, quemadmodum speramus, ex hoc sacro

[1] Quae allocutio in linguam slovenicam vertetur et separatim typis procudetur.

coetu lumen et spiritum reportemus ad munia nostra secundum voluntatem divinam peragenda.

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, die 29. mensis Augusti 1911.

Decretum

de professione fidei facienda deque iuramento contra modernistas emittendo.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum.

Firmiter credentes et persuasi, fidem catholicam esse humanae salutis initium, fundamentum et radicem omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum eius consortium pervenire, et considerantes, quam meritorius et insignis cultus divini actus sit fidei publica professio, obsecundantes quoque celebri decreto sacrosancti Concilii Tridentini (sess. XXV. caput 2. *Cogit* de reformatione), initio Synodi huius dioecesanae a nobis et ab omnibus synodaliter congregatis catholicam fidem, quam constanter animo gerimus, ore sollemniter profitendam esse decernimus et quidem iuxta formulam a Pio PP. IV. statutam unacum additamento, a Pio PP. IX. praescripto, de Romani Pontificis primatu et infallibilitate.

Gravissimum sane munus Nostrum est, ut depositum fidei a Domino nostro Iesu Christo et sanctis Apostolis nobis traditum servetur in dioecesi Nostra incorruptum et integrum. Quapropter ad mentem Motus proprii *Sacrorum Antistitum* de die 1. Septembris 1910 praecipimus et mandamus, ut pariter omnes congressores iusiurandum contra modernistas secundum formam a Pio PP. X. imperatam in plena Synodo emittant.

Deus autem propitius et clemens det nobis et fidei et spei et caritatis incrementum! Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, die 29. mensis Augusti 1911.

Decretum

de Iudicibus querelarum et excusationum ac causarum personalium in Synodo occurrentium.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum.

Morem in Synodis dioecesanis usitatum conservantes, deputamus eum in finem, ut a conventu synodali longe absint cuncta, quae unanimitatem et concordiam perturbare possint, quattuor *Iudices* ad audiendas controversias seu querelas, qui, prout de iure, brevi tamen forma iudicii adhibita, illas dirimant et has adiudicent. Iidem excipiant libellos supplices, datos pro excusatione absentium, examinandos deinde, peracta Synodo. Si quae exoriuntur concertationes de ordine sedendi seu procedendi, *Iudices* eas brevi manu, prout Benedictus XIV. ait, componant citra praeiudicium ambarum partium. In diiudicandis ac definiendis causis salva in Nobis remanet avocationis potestas. Iidem *Iudices*, aetate, prudentia, zelo et disciplina clericali eminentes, constituuntur *praefecti disciplinae synodalis*, ut Clerus universus contineatur in officio et promoveatur ad meliora.

Peracta Synodo tradent Episcopo acta, distincte scripta et subscripta, una cum catalogo eorum, qui tenebantur accedere et non accesserunt.

Procurandae disciplinae synodali praeficiuntur:

Plur. rev. Dom. Bartholomaeus Voh,
» » » Iosephus Fleck,
» » » Antonius Šlander,

Adm. rev. Dom. Franciscus Dovnik.

Datum Marburgi, in festo s. Bartholomaei apostoli, die 24. mensis Augusti 1911.

Decretum
de secreto servando.

MICHAEL,
Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum.

Quum rectus ordo et rei gravitas deposcat, ne quid eorum, quae in Synodo decernuntur, publici fiat iuris aut quocumque modo aliis innotescat, antequam constitutiones synodales legitime fuerint publicatae; quumque insuper ex indiscreta revelatione eorum, quae in Congregationibus et Sessionibus tractabuntur, sinistrae interpretationes, maligna praeiudicia aliaque non parvipendenda oriri possint damna, propterea omnes et singulos synoditas sacro servandi secreti officio vinctos esse declaramus et hisce pronunciamus.

Ad magna perficienda silentium bene observatum permultum confert. Verbum inopportunum plus nocet, quam concio perpulchra prodest. Valde ergo convenit et decet, ut de tractatis et tractandis in praesenti Synodo nihil in notitiam laicorum veniat et silentium observetur. Pariter nemini fas sit, sine nostra expressa licentia de operationibus synodalibus aliquid in foliis publicis referre. *In silentio et in spe erit fortitudo vestra.* (Is. 30, 15).

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, die 29. mensis Augusti 1911.

Decretum
de non discedendo durante Synodo.

MICHAEL,
Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus
Lavantinorum.

Omnes, qui Synodo hodie inceptae intersunt, monemus et cohortamur, ne, antequam haec Synodus de

more absoluta ac dimissa sit, discedant sine iusta et rationabili causa, quae a Iudicibus excusationum et querelarum recte cognita erit et comprobata — salva semper in Nobis remanente appellationis plena potestate.

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, die 29. mensis Augusti 1911.

Decretum
de praeiudicio non afferendo.

MICHAEL,
Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum.

Si cui contigerit, in hanc Synodum dioecesanam non iure admissum fuisse, vel suo proprio loco non sedere aut incedere sententiamve dicere aut aliud quidquam agere, declaramus et statuimus, nullum ipsi ius novum esse ideo acquirendum vel praeiudicium inferendum. Omnium enim iura sarta tectaque esse volumus.

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, die 29. mensis Augusti 1911.

Decretum
de modo vivendi tempore Synodi.

MICHAEL,
Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum.

Neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. (I. Cor. 3, 7). Hoc s. Pauli oraculum recogitantes, nos omnes non nostris infirmis viribus, sed Dei illuminatione et confortatione confisi, opus grave et arduum aggressuri sumus. Dei adiutorium, quo omnes difficultates vincemus, et aeternae sapientiae lumen nobis indubie non deerit, si humiliter et fiducialiter ea postulamus et expetimus.

Hinc dies synodales nobis omnibus sint dies fervidae orationis! Aemulemur et imitemur exemplar sanctorum Apostolorum, qui exspectantes Spiritus Sancti gratiam *omnes erant perseverantes unanimiter in oratione.* (Act. apost. 1, 14). At non sola oratione Spiritus Sancti gratia exposcenda est, verum etiam aliis bonis operibus, exercitio variarum virtutum, praesertim verae fraternae caritatis, illius caritatis, *quae patiens est, benigna est; quae non aemulatur, non agit perperam, non inflatur; non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* (I. Cor. 13, 4—7).

Quum autem divina gratia et sapientia eis tantum efficaciter cooperari solet, qui proprio labori et fervori non parcunt, praeterea quum Dei sit voluntas, ut facultates ingenii non negligamus, sed recte et impigre eis utamur, certe omnes, qui Synodo intersunt, serio obligantur, ut indefesso studio, labore, consilio, attentione, in quantum possint, actionem synodalem adiuvare et promovere nitantur neque ea omittant, quae ad salutiferum Synodi progressum apta et proficua esse videantur.

Obsecramus igitur et in Domino exhortamur omnes sodales, ut *ordinem pro Synodo stabilitum* accurate servent, Congregationibus et Sessionibus diligenter interveniant, virtutum exercitio et bono exemplo fidelibus praeluceant, assidua oratione et quotidiana devota participatione sacrae Missae divinum auxilium pro Synodo efflagitent.

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, die 29. mensis Augusti 1911.

Praelectis decretis, quum clementissimus Pater annuisset, Promotores Synodi institerunt, ut nomina *Examinatorum promovendorum ad beneficia curata,* qui in hesterna Congregatione generali synoditis approbandi

propositi sunt, itemque *Parochorum consultorum*, in eadem Congregatione propositorum et a Synodo approbatorum, publicarentur. Hos et illos reverendissimus Praesul speciali decreto publicavit et approbavit.

Promulgatio

Examinatorum synodalium iam electorum.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum.

Notum testatumque omnibus et singulis, quorum interest, tenore praesentium facimus, in prima Congregatione generali a Synodo sequentes viros ecclesiasticos, a Nobis propositos, qua Examinatores synodales promovendorum ad vacantia beneficia curata electos esse:

Plur. rev. Dom. Dr. Ioannem Mlakar,
» » » Iosephum Majcen,
» » » Martinum Matek,
» » » Franciscum Moravec,
» » » Iacobum Kavčič,
» » » Simonem Gaberc,
» » » Dr. Antonium Suhač,
» » » Antonium Šlander,
Adm. » » Rudolphum Janežič,
» » » Adamum Grušovnik,
» » P. Callistum Heric,
» Dom. Franciscum Kovačič,
» » Dr. Iosephum Hohnjec,
» » » Dr. Franciscum Kruljc,
» » » Iosephum Zidanšek,
» » Dr. Franciscum Lukman,
» » Dr. Iosephum Somrek.

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Bapt., die 29. mensis Augusti 1911.

Decretum

approbationis electorum et promulgatorum synodalium Examinatorum.

MICHAEL,

Dei grata miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum.

Ex Concilii Tridentini decreto sess. XXIV. cap. 18. *Expedit maxime* Examinatores in dioecesana Synodo ab Episcopo ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant et ab ea probentur. Adveniente vacatione cuiuslibet ecclesiae tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque succedente alia vacatione aut eosdem aut alios tales, quos maluerit, ex praedictis eligat. Sint vero hi Examinatores Magistri seu Doctores aut licentiati in Theologia aut iure canonico vel alii clerici seu regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei iurentque omnes ad sancta Dei Evangelia, se quacunque humana affectione postposita, fideliter munus executuros, caveantque, ne quidquam prorsus occasione huius examinis nec ante neque post accipiant, alioquin simoniae vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocunque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in Synodo provinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur, a qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter eius arbitrio puniri possint.

Tridentinum ergo decretum Nos volentes exequi auctoritate Nostra episcopali Examinatores a Nobis propositos et a Synodo delectos, quorum nomina in prima Congregatione generali nunciata et modo renunciata sunt, ratificamus simulque eis mandamus, ut praesentes coram Nobis ad sancta Dei Evangelia iurent, se, qua-

cumque humana affectione postposita, fideliter munere functuros esse, donec nova Synodus celebrabitur.

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Bapt., die 29. mensis Augusti 1911.

Publicatio

Parochorum consultorum iam electorum.

Notificamus omnibus et singulis, quorum interest, in prima Congregatione generali a Synodo sequentes Parochos, a Nobis propositos, qua consultores ad mentem decreti sacrae Congregationis Consistorialis *Maxima cura* de die 20. Augusti 1910 electos esse:

Adm. rev. Dom. Iacobum Caf,
» » » Franciscum Bohak,
» » Bartholomaeum Frangež,
» » Dr. Ioannem Jančič,
» » » Michaelem Lendovšek,
» » » Ioannem Rotner,
» » » Antonium Veternik.

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Bapt., die 29. mensis Augusti 1911.

Decretum

approbationis electorum et publicatorum Parochorum consultorum.

MICHAEL,
Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Ex decreto sacrae Congregationis Consistorialis de die 20. Augusti 1910 sic dicti *Parochi consultores* in Synodo, si habeatur, iuxta receptas normas, eligendi sunt ad quinquennium tot numero, quot Ordinarius prudenti suo iudicio necessarios iudicaverit. Ex istis ab Ordinario in causa amotionis assumendi sunt duo seniores ratione electionis et in pari electione seniores ratione sacerdotii,

vel hac deficiente, ratione aetatis. De eorum officio agunt canones 3. 4. 5. 6. et 7. supra allegati decreti.

Cui proinde decreto reverenter obsecundantes, auctoritate Nostra episcopali Parochos consultores a Nobis Synodo propositos et ab ea delectos, quorum nomina in prima Congregatione generali publicata et modo republicata sunt, ratificamus simulque eis mandamus, ut praesentes coram Nobis ad sancta Dei Evangelia iurent, se oblata occasione iuste munere suo functuros, secretum officii circa omnia, quae ratione sui muneris noverint, et maxime circa documenta secreta, disceptationes in consilio habitas, suffragiorum numerum et rationes servaturos esse. (Can. 7. § 1. decreti *Maxima cura).*

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, die 29. mensis Augusti 1911.

Praenominati una cum *Examinatoribus ordinandorum* confestim a Synodi Praeside reverendissimo ad iuramentum praestandum vocati sunt et iuxta formulas, quae sequuntur, illud praestiterunt easque subscripserunt.

Formula
iurisiurandi ab Examinatoribus ordinandorum praestandi.

Ego N. N. promitto, spondeo ac iuro, me Examinatoris ordinandorum officio, quod suscepi, quantum in me est, fideliter et sincere iuxta decretum Tridentinum, sessione vigesima tertia, capite septimo de reformatione editum, executurum esse.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia!

Actum Marburgi in synodali ecclesia s. Aloysii, die 29. mensis Augusti 1911.

Sequuntur subscriptiones iuratorum Examinatorum pro ordinandis.

Formula
iuramenti Examinatorum synodalium.

Ego N. N. spondeo, voveo ac iuro, me Examinatoris synodalis promovendorum ad beneficia curata grave officium, quod suscepi, fideliter et sincere, quantum in me est, ad gloriam Dei Unius et Trini et ad salutem animarum immortalium sine affectione humana exeuturum neque quidquam occasione examinis sive ante sive post accepturum esse.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia!

Actum Marburgi in ecclesia synodali s. Aloysii, die 29. mensis Augusti 1911.

Succedunt subscriptiones iuratorum Examinatorum pro promovendis ad beneficia curata.

Formula
iuramenti Parochorum consultorum.

Ego N. N. spondeo, voveo et iuro, me Consultoris officium, quod iuxta decretum sacrae Congregationis Consistorialis *Maxima cura* de die vigesima Augusti anni millesimi nongentesimi decimi primi libenter suscepi, fideliter et sincere, quantum in me situm est, ad animarum salutem procurandam esse executurum.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia!

Actum Marburgi in synodali ecclesia s. Aloysii, die 29. mensis Augusti 1911.

Subsequuntur subscriptiones iuratorum Parochorum consultorum.

Mox decreta *de Iudicibus in causis Cleri criminalibus* et *de Iudicibus in causis matrimonialibus perlecta sunt.* Decreta sic sonant:

Iudicium ecclesiasticum dioecesanum.

a) Decretum

de constituto Tribunali ecclesiastico dioecesano pro sacrorum canonum auctoritate et ecclesiastica disciplina servanda.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum.

Iuxta varia sacrae Synodi Tridentinae decreta constituendum est in dioecesi *Iudicium ecclesiasticum* pro sacrorum canonum auctoritate et ecclesiastica disciplina servanda. Salutaribus respectivis decretis obtemperantes simulque respicientes *Instructionem sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium pro ecclesiasticis curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus* de die 11. Iunii 1880 nec non *constitutionem de iudiciis*, a Concilio provinciali Salisburgensi anno 1906 conditam[1]: notum facimus omnibus, Nos tale *Iudicium ecclesiasticum dioecesanum* pro causis Cleri contentiosis et criminalibus formasse, et morum probitate ac scientia iuris insignes viros huius Iudicii consiliarios in hac Synodo elegisse.

Electi et in plena Synodo promulgati assessores Iudicii dioecesani sunt:

Praeses: Plur. rev. Dom. Carolus Hribovšek.
Substitutus eius: Plur. rev. Dom. Iosephus Majcen.
Consiliarii: Plur. rev. Dom. Iacobus Kavčič,
» » » Franciscus Moravec,
» » » Simon Gaberc,
Adm. » » Josephus Čižek,
» » » Adamus Grušovnik,
» » » Franciscus Bohak.

Promotor seu Procurator fiscalis: Plur. rev. Dom. Dr. Ioannes Mlakar.

[1] Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno Domini 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 275.

Advocatus fiscalis: Plur. rev. Dom. Martinus Matek.
Secretarius (Notarius vel Actuarius): Adm. rev. Dom. Dr. Ioannes Tomažič.

Apparitor, cuius est, intimationes et notificationes exsequi, quae ope commendationis et reciprocae exhibitionis apud tabellariorum officium non expediuntur: Ven. Dom. Iosephus Trafenik.

Ut autem praenominati Officiales munere suo legitime et sollemniter devinciantur, invitamus praesentes et ordinamus, ut accedant coram Nobis iuramentum praestituri. Absentes emittant istud tempore opportuno, aliter munere suo fungi non permittentur.

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, die 29. mensis Augusti 1911.

b) Decretum
de constituto Tribunali ecclesiastico dioecesano pro causis matrimonialibus.

MICHAEL,
Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Ex instructione pro iudiciis ecclesiasticis imperii austriaci quoad causas matrimoniales (§§ 97—99) Episcopus in agendis causis matrimonialibus utitur *Tribunali,* quod ex praeside et consiliariis ad minimum quattuor constare debet. Exinde constituimus proprium Tribunal ecclesiasticum dioecesanum ad causas matrimoniales tractandas. Cuius componentes sunt sequentes viri, debitis dotibus praediti:

Praeses: Plur. rev. Dom. Iacobus Kavčič.
Propraeses: Plur. rev. Dom. Franciscus Moravec.
Consiliarii: Adm. rev. P. Callistus Heric,
» » Dom. Franciscus Hirti,
» » Dr. Iosephus Hohnjec,
» » » Rudolphus Janežič,
» » » Dr. Antonius Medved.

Procurator fiscalis: Plur. rev. Dom. Dr. Ioannes Mlakar.

Defensor matrimonii et voti religiosi: Rev. Dom. Dr. Iosephus Somrek.

Secretarius: Adm. rev. Dom. Dr. Ioannes Tomažič.

Commissarii: in causis matrimonialibus per dioecesim delegantur omnes Domini Decani.

Ut autem deputati officiales munere suo legitime fungi possint, invitamus adsentes et iniungimus eis, ut iuramentum praestent coram Nobis.

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, die 29. mensis Augusti 1911.

Postea praelectum est hoc decretum *de Iudicibus synodalibus.*

Decretum
de Iudicibus synodalibus.

MICHAEL,
Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Summis Pontificibus diversas ob rationes hinc inde placet, quasdam causas extra Curiam Romanam tractare et mandare, ut ad hoc iudices delegentur.

De his iudicibus oecumenicum Concilium Tridentinum haec habet sess. XXV. cap. 10. de reformatione: »Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem et quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causae mandantur, usque adeo haberi non potest; hincque interdum iudicibus, non undequaque idoneis, causae in partibus delegantur: statuit sancta Synodus, in singulis Conciliis provincialibus aut dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant, iuxta constitutionem Bonifatii VIII., quae incipit *Statutum,* et alioquin ad id aptas designari, ut praeter Ordinarios locorum, iis etiam posthac causae ecclesiasticae ac spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes, in

partibus delegandae committantur. Et, si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum usque ad futuram provincialem aut dioecesanam Synodum: ita ut habeat quaeque dioecesis quattuor saltem aut etiam plures probatas personas ac ut supra qualificatas, quibus huiusmodi causae a quolibet Legato vel Nuncio atque etiam a Sede Apostolica committantur: alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quaecumque aliorum iudicum, aliis, quam his factae, subreptitiae censeantur.

Admonet dehinc sancta Synodus tam Ordinarios quam alios quoscunque iudices, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant, ac delegatorum artibus seu in litis contestatione seu alia parte iudicii differenda, modis omnibus, aut termini praefixione aut competenti alia ratione occurrant.«

Praedictum decretum exequentes hos iurisconsultos qua Iudices synodales eligimus, proponimus et electos proclamamus, quibus causae delegentur iudicandae, donec altera Synodus habeatur:

Plur. rev. Dom. Dr. Ioannem Mlakar, Decanum Capituli cathedralis,
» » » Martinum Matek, Doctorem romanum in iure canonico,
» » » Iacobum Kavčič,
» » » Dr. Antonium Suhač,
Adm. » » Dr. Leopoldum Gregorec,
» » Dr. Iosephum Hohnjec.

Ut autem demandando fors officio se paratissimos esse palam faciant, electi et praesentes fidelitatem suam iuramento in manus Nostras emittendo contestentur.

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, die 29. mensis Augusti 1911.

Hos in proxima Sessione vel Congregatione generali iuramento vinciendos esse reverendissimus Episcopus

edixit. Quum tempus dimittendae Sessionis urgeret, una solum Constitutio *de aetate, qua parvuli ad sacram synaxin admitti possunt et debent,* publicata est, et promulgatio plurium Constitutionum, licet in Congregationibus particularibus discussae et approbatae essent, differri debuit. Quare ad instantiam Promotorum Synodi reverendissimus Praesul decretum de altera Sessione sollemni indicenda praelegendum mandavit. Itaque Lector Synodi exemplar e manu celsissimi Domini acceptum legit:

Decretum
indictionis alterius Sessionis sollemnis.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum.

Decernimus in Domino et indicimus, ut proxima et secunda Sessio sollemnis habeatur crastina die, quae erit feria IV. et 30. huius mensis Augusti, hora septima de mane.

Quum ea ipsa die festum s. Hermetis Martyris, qui qua Praefectus Urbis Romae pro fide catholica propaganda et defendenda multum laboravit demumque gladio percussus est, celebretur: exultemus et laetemur in Domino, cum fiducia petentes, ut intercedente glorioso hoc martyre actiones nostras adiuvare dignetur, ut quemadmodum de felici gaudemus exordio, de futuro quoque iubilemus progressu.

Sequamur fidem, sectemur perseverantiam inclyti martyris, ut, etsi martyrio ei pares esse non possimus, tamen debellare et vincere valeamus triplicem hostem, proprios defectus et mundum malignum et diabolum, ut parta victoria cum s. Hermete in regnis coelestibus triumphemus.

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, die 29. mensis Augusti 1911.

Quod quum promulgatum esset, rogatus *pro mnemosynis Congregationum generalium et Sessionum sollemnium* per Notarium Synodi conscribendis a Synodi Promotoribus propositus est, et Notarius, Praeside Synodi annuente, respondit, illa se Deo O. M. auxiliante esse compositurum, testes autem protocollorum invitavit Dr. Ioannem Jančič et Dr. Matthiam Slavič.

Ad instantiam Promotorum Synodi celsissimus Ordinarius sollemni modo Synodo benedictionem, ut praescriptum est, impertivit et hora 12. synoditas in pace dimisit et ipse in aedes episcopales reversus est, et omnes sodales cum spirituali gaudio de felici exitu huius Sessionis sollemnis ad sua loca discesserunt.

Marburgi, in Decollatione S. Ioannis Baptistae, die 29. Augusti 1911.

Dr. Ioannes Mlakar,
Notarius Synodi.

Dr. Ioannes Jančič,
Testis vocatus.

Dr. Matthias Slavič,
Testis vocatus.

Congregatio generalis secunda.

Omnes synoditae hora quarta pomeridiana diei 29. Augusti 1911 in sacello s. Aloysii adfuerunt, Congregationi generali adstituri. Reverendissimum Ordinarium reverenter exceperunt et is Capituli cathedralis comitatu ad altare sacelli maius Ssmum Sacramentum paulo adoravit et statim *Vesperis cum Completorio* persolutis Congregationi initium dedit precibus in ea praescriptis. Quibus finitis Directori exercitio-

rum spiritualium benedictionem episcopalem impertivit, et hic, Abbas Celeiensis Franciscus Ogradi, ambonem in navi ecclesiae positum ascendit ac de sacerdotis vocatione, pia et seria simul monita parabolae de operariis in vineam conductis (Matth. 20, 1—16) superstruendo, suum thema suavi facundia absolvit.

Meditatione finita, reverendissimus Praesul cum gaudio annunciare potuit, ad homagia Synodi in Congregatione generali hesterna Sanctissimo Domino Pio PP. X., respective Suae Sanctitatis Status Secretario, Apostolicae Maiestati Francisco Iosepho I., Eminentissimo Metropolitae Cardinali Dr. Ioanni Katschthaler ac Nuncio Apostolico Vindobonae residenti missa, responsa iam via telegraphica advenisse.

Responsum Suae Sanctitatis Pii PP. X.

Msgr. Napotnik, Bischof, Lavant. Marburg, Styria, Autriche.

Roma,
29. Aug.

Beatissimus Pater pro filiali devotionis obsequio Tibi et sacerdotibus omnibus synodaliter congregatis gratias agit eisdemque imploratam apostolicam benedictionem coelestium auxiliorum auspicem ex corde impertitur.

Card. Merry del Val.

Unde hoc responso Sanctissimi Patris Pii PP. X. lecto, reverendissimus Pater synoditas amiciter invitavit, ut secum pro firma sanitate Pii PP. X. preces pie recitarent. Huic invitationi congressores protinus satisfecerunt, et illustrissimus Episcopus praemissis ℣. et ℟. orationem pro Summo Pontifice e Collectione rituum dioeceseos Lavantinae et *Pater . . Ave . . Gloria . .* una cum synoditis dixit.

Responsum Suae caes. ac reg. Maiestatis Francisci Iosephi I.

Seiner Fürstbischöfl. Gnaden Exzellenz Dr. Michael Napotnik, Fürstbischof von Lavant, in Marburg.

Bad Ischl, 29. Aug. 10 Uhr 55 M. Vormittag.

Seine k. u. k. Apost. Majestät danken allergnädigst für die im Namen der Teilnehmer der sechsten Synode dargebrachte Huldigung.

Kabinettskanzlei Sr. k. u. k. Apost. Majestät: Schiessl.

Reverendissimus Praesul synoditas invitavit, ut secum pro Apostolica Maiestate et tota augustissima dynastia habsburgica orarent, et protinus cum eis, antepositis ℣. et ℟. respectivis, orationem pro Imperatore ex eadem Collectione dixit una cum *Pater* . . *Ave* . . *Gloria* . .

Responsum Eminentissimi Domini Ioannis Cardinalis Katschthaler.

Exzellenz Fürstbischof Napotnik.
Marburg, Steiermark.

Salzburg, 29. Aug. 8 Uhr 45 M. Vormittag.

Intimo ex corde gratulor tibi, Reverendissime confrater, totique Clero Lavantino de sextae Synodi dioecesanae celebratione simulque Deum largitorem omnium bonorum adprecor, ut congressui vestro benigne secundum praestet proventum.

Cardinalis Katschthaler.

Ex mandato celsissimi Ordinarii pro gratiarum actione dictae sunt preces pro salute eminentissimi Metropolitae

et pro Episcopis totius Metropoliae per *Pater . . Ave . . Gloria . .*

Responsum Reverendissimi Domini Nuncii Apostolici.

Excellentissimo Episcopo Lavantino. Marburg.

Wien, 29. Aug. 8 Uhr 55 Min. Vormittag.

Excellentiae Tuae sacerdotibusque congregatis gratias agens maximas omnia fausta adprecor reique catholicae provehendae studium summopere commendans vota facio, ut sexta Synodus exoptatos exitus habeat uberesque det fructus.

Nuncius Apostolicus.

Etiam pro salute Nuncii Apostolici celsissimus Dominus cum Synodi Clero *Pater . . Ave . . Gloria . .* recitavit.

His demum expeditis Promotores Synodi institerunt, ut actio synodalis continuaretur. Quapropter *Constitutio de apostasia ut vocatur a Roma* et deinde *Constitutio de quaestione sociali expedienda* perlecta et approbata est. Celsissimus Episcopus relatoribus gratias bene promeritas dixit atque *epistolam synodicam* Sanctissimo Patri Pio PP. X. mittendam praelegi iussit. Haec sunt eius sollemnia verba:

Epistola synodica

ad pedes Summi Pontificis Pii PP. X. a Clero Lavantino sub finem Synodi substrata in signum filialis venerationis, exactae obedientiae et inconditionatae adhaesionis.

Beatissime Pater!

Sacerdotes dioecesis Lavantinae sexaginta plus ducenti in Synodo sexta sub auspiciis reverendissimi

sui Praesulis congregati ad Sacros Pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolvuntur eosque reverenter deosculantur. Neque enim possunt non admirari et gratis animis excipere, quanta cura quantoque successu Sanctitas Vestra consilium, instaurandi omnia in Christo, in ipso primordio Apostolici sui muneris conceptum indefesse prosequatur. Hinc namque omnis cura sapientiae Vestrae eo tendit, quo fidei depositum sancte custodiatur et genuine exponatur, neque ullus forte angulus orbis christiani invenitur, quo beneficum lumen sollicitudinis Vestrae non illuxerit.

Hinc egregiae Bullae, Litterae encyclicae, Motus proprii, Epistolae apostolicae, S. Congregationum enunciationes. Maxima autem cura Sanctitatis Vestrae sacerdotes amplectitur, ne nisi integri doctique ac spectatae vitae homines in ministerium Ecclesiae deligantur. Qua in causa iuvenes, in sortem Domini vocati, in sacris disciplinis et moribus, tanta vocatione dignis, fideliter instrui, sacerdotes vero sua dignitate indigni, etiam alias inamovibiles, suo loco amoveri iubentur.

Neque minorem curam Sanctitas Vestra adhibet plebi christianae, cui ne fundamentum ordinis socialis scilicet familia vacillet, matrimonii sacramentum eiusque conditiones ubique locorum certas ac firmas constituit. Eidem porro mensam Dominicam frequentius ac quotidie ponendam ad eamque vel teneros parvulos acciendos mandat.

Pro his aliisque beneficiis Sanctitati Vestrae summas gratias referant populi oportet, sed contra ac pii homines sperant, Dei suaeque salutis inimici Galliae, Hispaniae, Lusitaniae atque ipsius Romae filii degeneres omnis pietatis, Patri benevolentissimo debitae, obliviscuntur eique animos pro gratis offerunt ingratos ac pientissimae matris Ecclesiae beneficia reiiciunt. Vicarii vero Christi cor, amoris eorum plenissimum, impii discerpunt.

Quae dum animo pervolvimus, omittere non possumus, quin manus nostras omni die ad Deum O. M.

elevemus eumque enixe precemur, ut malos istos dies abbreviare ac Sanctitati Vestrae gratissimum solamen et lenimen coelitus donare dignetur, quo inimici sanctae Ecclesiae, ut par est, humilientur.

Interim nos, Beatissime Pater, filii quidem indigni et famuli Sanctitati Vestrae pietatem filialem ac obedientiam illimitatam ex intimis visceribus nostris promittimus et cum fiducia ad thronum Vicarii Christi appropinquamus atque Benedictionem Apostolicam suppliciter exoramus, qua donati munus nostrum duce reverendissimo Antistite in salutem nostram populique nostrae curae commissi semper obeamus.

Ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime prostrati obedientissimi ac devotissimi servi.

Marburgi, die 1. Septembris 1911.

Quum epistolam synoditae unanimes approbavissent, celsissimus Praesul eos invitavit, ut illam omnes manu propria subscriberent, quod ab omnibus factum est. Exemplum epistolae, nomine omnium synoditarum a Capitulo cathedrali subscriptum, Summo Pontifici Pio PP. X. his litteris comitibus missum est:

Beatissime Pater!

Sub finem sextae Synodi dioecesanae, quam ego Michael, humillime subsignatus Episcopus Lavantinorum, in civitate mea residentiali Marburgensi a die 28. Augusti usque ad diem 1. Septembris dilabentis anni 1911 in ecclesia s. Aloysii celebravi, sexaginta plus ducenti synoditae adnexam Epistolam synodicam, ab ipsis subscriptam, mihi porrexerunt, instanter et instantissime deprecantes, ut eam Sanctitati Vestrae substernere vellem.

Hisce precibus libenti laetoque animo obsecundans, ad pedes Sanctitatis Vestrae prostratus supplex rogo, quatenus Beatitudo Vestra Epistolam hanc uti signum filialis venerationis, perfectissimae obedientiae, inconcussae adhaesionis clementissime recipere et Apostolicam Be-

nedictionem mihi ac Clero huius dioecesis impertiri dignetur.

Sanctitatis Vestrae humillimus, devotissimus et obsequentissimus famulus et filius

Marburgi, in festo ss. Angelorum Custodum, die 3. Septembris 1911.

† **Michael,**
Episcopus Lavantinus.

Die 13. Septembris 1911 Epistola synodica cum litteris comitibus ad Eminentissimum Raph. Cardinalem Merry del Val, Suae Sanctitatis Status Secretarium, directa est hacce commendatione apposita:

Eminentissime Domine Cardinalis!

Mi observandissime!

Sacerdotes dioecesis Lavantinae, in sexta Synodo dioecesana a die 28. mensis Augusti usque ad diem 1. mensis Septembris anni volventis 1911 congregati, adiacentem Epistolam tamquam externum signum internae filialis venerationis erga Sanctissimum Patrem Pium PP. X. sub finem Synodi mihi tradiderunt enixim precantes, ut ad notitiam Suae Sanctitatis perveniret.

Hinc humillime supplico, ut Eminentia Tua Reverendissima praedictam Epistolam una cum meis litteris homagialibus Summo Pontifici substernere non dedignetur.

Pro gratia in antecessum grates profundissimas solvo et me profiteor

Eminentiae Tuae Illustrissimae

Marburgi, in festo ss. Angelorum Custodum, die 3. Septembris 1911.

devotissimum et observantissimum servitorem

† **Michael,**
Episcopus Lavantinorum.

Responsio, die 30. Septembris data, sic sonat:

Segreteria di Stato
di Sua Santità.

Dal Vaticano,
die 30. Septembris 1911.

Nr. 52846.

Illme ac Revme Domine!

Litterae, quas, proximae dioecesanae Synodi occasionem nacti, Canonici ac sacerdotes istius Dioeceseos una cum Amplitudine Tua maxima cum reverentia, Beatissimo Patri exhibuerunt, gratae Eidem ac iucundae pervenerunt.

Gratias igitur de filiali venerationis obsequio magnas per me Augustus Pontifex persolvit, vota insimul promens ut Sacerdotes isti omnia quae in synodalibus Congregationibus statuta fuerunt fideliter atque perseveranter observantes, ad suas ipsorum virtutes alendas, ad Omnipotentis gloriam magis magisque propagandam, ad salutem animarum consequendam facile pertingant.

Quem in finem Sanctitas Sua imploratam Apostolicam Benedictionem, quae super Te et super Clerum utrumque istius Dioeceseos tamquam ros fecundus descendat, effuso animo impertitur.

Hanc occasionem nactus, sensus existimationis in Te meae confirmo, quibus sum et permanere gaudeo

Illmo ac Revmo Domino
Michaeli Napotnik, Episcopo Lavantino. Marburg.

Amplitudini Tuae
Addictissimus

R. Card. **Merry del Val.**

Postremo decretum de *officio pro defunctis, potissimum pro sacerdotibus ab ultima Synodo denatis*, celsissimus Pater praelegi imperavit. In altera namque Sessione publica pia memoria eorum facienda est, qui post ultimam Synodum vita functi sunt.

Decretum
de officio mortuorum.

Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. (II. Mach. 12, 46). Itaque enunciamus, crastina die 30. Augusti hora septima pro animabus in Domino quiescentium Episcoporum et sacerdotum ac clericorum Lavantinorum, praesertim pro eis, qui post ultimam Synodum pie in Deo obierunt — numerantur undesexaginta, e quibus viginti duo Synodo anno 1906 concitae et factae interfuerunt — sollemnem commemorationem fieri.

Missam *Requiem* cantabit Plur. rev. Dom. Iosephus Majcen, Can. sen., et *Orationem* funebrem pronunciabit illustrissimus Episcopus.

Prosit, quaesumus, Domine, animabus famulorum tuorum Pontificum et sacerdotum misericordiae tuae implorata clementia, ut eius, in quo speraverunt et crediderunt, aeternum capiant, te miserante, consortium. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Datum Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, die 29. mensis Augusti 1911.

Tandem preces, post Congregationem dicendae, hora circiter septima vespertina persolutae et Synodi sodales in sua habitacula dimissi sunt.

Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, Praecursoris Domini, die 29. mensis Augusti 1911.

Dr. Ioannes Mlakar,
Notarius Synodi.

Dr. Ioannes Jančič,
Testis vocatus.

Dr. Matthias Slavič,
Testis vocatus.

Sessio sollemnis et publica secunda.

Mane diei 30. Augusti 1911, in festo s. Hermetis Martyris, hora septima sodales et Officiales Synodi in sacello s. Aloysii, ut praescriptum erat, omnes, superpelliceis, Parochi insuper stolis rubri coloris, cum bireto induti, convenerant atque in suis locis dispositi reverendissimum Praesulem expectaverunt. Qui quum praecise tempore assignato cappa magna indutus in atrium aedis synodalis venisset, aspergillum accepit et congressoribus aqua lustrali benedixit atque Capitulo ecclesiae cathedralis comitante ad altare sacelli maius progressus est. Quo quum venisset, sanctissimum Sacramentum paulo adoravit et statim in sede praeparata *Tertiam* cum synoditis persolvit. Hac finita, s. Missa *Requiem* pro defunctis, potissimum pro Episcopis et sacerdotibus Lavantinis ac synoditis denatis, per Canonicum seniorem ecclesiae cathedralis cantata est. Absolutionem vero ipse illustrissimus Ordinarius peregit. Quum exequiae pro fidelibus defunctis peractae essent, reverendissimus sacrorum Antistes vestes nigras deposuit et ornatum synodalem assumpsit, preces alterius diei persoluturus. His recitatis, ipsa actio synodalis sollemni publicatione decreti incepit, quo celsissimus Praesul *Constitutiones Concilii provincialis, Salisburgi anno 1906 celebrati,* promulgavit.

Quum Iudices pro causis Cleri contentiosis nec non Tribunalis ecclesiastici pro causis matrimonialibus iam nominati essent, non vero, ut praescribitur, iuravissent, in hac Sessione iure iurando devinciendi erant. Simul cum eis etiam Decani, quatenus munere Commissariorum in rebus matrimonialibus delegatorum funguntur, secundum hanc formulam iusiurandum praestiterunt:

Formula
iuramenti a membris Iudicii ecclesiastici pro causis Cleri contentiosis nec non Tribunalis ecclesiastici pro causis matrimonialibus — una cum Decanis qua Commissariis delegatis in rebus matrimonialibus — praestandi.

Ego N. N. promitto, spondeo et iuro, me officium, quod libenter suscepi, quantum in me situm est, fideliter et sincere executurum esse.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia!

Actum Marburgi in synodali ecclesia s. Aloysii, die 30. mensis Augusti 1911.

Sequuntur subscriptiones membrorum Iudicii ecclesiastici nec non Decanorum.

Quum formulam omnes subscripsissent, speciali decreto Iudices in partibus sive synodales ad iuramentum invitati sunt sequenti modo:

Invitatio
Iudicum in partibus seu synodalium ad praestandum iuramentum.

MICHAEL,
Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum.

Mandamus, ut nominati a nobis Iudices in partibus seu synodales accedant, coram Nobis iusiurandum qua tales praestituri.

Huic invitationi sacerdotes nominati obsequendo iusiurandum emiserunt ex sequenti formula:

Formula
iuramenti pro praefatis Iudicibus.

Ego N. N. promitto, spondeo et iuro, me Iudicis synodalis officium, quod libenter suscepi, quantum in

me situm erit, fideliter et sincere, seposito quocumque respectu humano, executurum esse.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia!

Actum Marburgi in synodali ecclesia s. Aloysii, die 30. mensis Augusti 1911.

Subsequuntur subscriptiones Iudicum in partibus.

Ut hi formulam iuramenti subscripserunt, Promotores Synodi, ad sedem reverendissimi Ordinarii progressi, reverenter institerunt, ut actio synodalis continuaretur. Quare celsissimus Dominus publicari iussit sequentia Decreta, quae Lector Synodi e manu illustrissimi Antistitis accepit et congressui praelegit:

Decretum
de Testibus synodalibus.

Vetus est consuetudo, sacris canonum decretis introducta, ut in Synodo dioecesana viri aliquot, vita et moribus graves ac probati, zelo disciplinae clericalis illustres, forma facti Cleri, verbo et exemplo potentes deligantur, qui animadvertant sollerter, an aliquid in dioecesi sit, quod corrigi aut emendari debeat; ac si quid tale cognoverint, id Nobis aut Curiae Nostrae significent, et interrogati de aliqua re, quae emendationem requirat, summa integritate referant.

Nos igitur vetus illud institutum secuti, huic muneri, prouti in prioribus Synodis, proponimus ac nominamus singulos Decanos pro decanatu eorum, Archidecanos vero pro tota dioecesi.

Ut autem designati *Testes synodales* officio suo canonice obstringantur, advocamus eos, si adsint, ut coram Nobis promittant et coniurent, se susceptum munus fideliter pro Deo et propter Deum esse administraturos neque propter timorem nec propter praemium nec propter parentelam ullatenus Praesulem suum aut eius Missum veritatem celaturos esse.

Datum Marburgi, in festo s. Hermetis Martyris, die 30. mensis Augusti 1911.

Decretum
de Censoribus librorum imprimendorum.

MICHAEL,
Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

In constitutione apostolica *Officiorum ac munerum* VIII. Kal. Februar. 1896 ab incarnatione Dominica, decernitur titulo II. cap. 2. num. 38. quod sequitur: »Curent Episcopi, quorum muneris est, facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.«

Et in Pii PP. X. litteris encyclicis *Pascendi dominici gregis* de die 8. Septembris 1907 hoc statutum reperitur num. IV.: »Huiusmodi censorum institutum laudamus quam maxime: illudque ut ad omnes dioeceses propagetur, non hortamur modo, sed omnino praescribimus. In universis igitur Curiis episcopalibus *censores ex officio* adsint, qui edenda cognoscant: hi autem e gemino Clero eligantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, quique in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant. Ad illos scriptorum cognitio deferatur, quae ex articulis XLI et XLII memoratae constitutionis (Officiorum ac munerum scilicet) venia ut edantur, indigent. Censor sententiam scripto dabit. Ea si faverit, Episcopus potestatem edendi faciet per verbum *Imprimatur*, cui tamen praeponetur formula *Nil obstat* adscripto censoris nomine.«

Praedictis salutaribus decretis pie obsecundantes, eligimus in praesenti Synodo succedentes Censores librorum, publico prelo dandorum:

Plur rev. Dom. Iacobum Kavčič,
» » Dr. Iosephum Hohnjec,
» » Dr. Ioannem Jančič,

Rev. Dom. Dr. Antonium Jehart,
» » Franciscum Kovačič, Doctorem phil.
Adm. » » Dr. Franciscum Kruljc,
» » Dr. Franciscum Lukman,
» » » Dr. Antonium Medved,
» » Dr. Matthiam Slavič,
» » Dr. Iosephum Somrek.

Ut autem designati Censores librorum edendorum spem in Nobis certiorem faciant, se in officio suo obeundo fidem et diligentiam praestituros esse, invitamus eos, ut propositum suum iuramento in manus Nostras emittendo attestentur.

Datum Marburgi, in festo s. Hermetis Martyris, die 30. mensis Augusti 1911.

Consilium a vigilantia.

Ad rite firmiterque servanda, quae in litteris encyclicis de modernistarum doctrinis *Pascendi dominici gregis* de die 8. Septembris 1907 praecepta sunt, visum est ad universas dioeceses proferre, quod Umbrorum Episcopi ante annos plures pro suis decreverunt.

»Ad errores, *sic sapientes Iraesules*, iam diffusos expellendos atque ad impediendum, quominus ulterius divulgentur, aut adhuc extent impietatis magistri, per quos perniciosi perpetuentur effectus, qui ex illa divulgatione manarunt, sacer Conventus, sancti Caroli Borromaei vestigiis inhaerens, institui in unaquaque dioecesi decernit probatorum utriusque Cleri consilium, cuius sit pervigilare, an et quibus artibus novi errores serpant aut disseminentur, atque Episcopum de hisce docere, ut collatis consiliis remedia capiat, quibus id mali ipso suo initio extingui possit, ne ad animarum perniciem magis magisque diffundatur, vel quod peius est, in dies confirmetur et crescat.«

Tale igitur *Consilium*, quod a *vigilantia* dici placet, in singulis dioecesibus institui quamprimum, decrevit Papa Pius X. in supra laudatis litteris encyclicis. Viri, qui in illud adsciscantur, eo fere modo cooptabuntur,

quo de Censoribus statuitur. Altero mense statoque die cum Episcopo convenient: quae tractarint, decreverint, ea arcani lege custodiunto. Modernismi indicia ac vestigia tam in libris quam in magisteriis pervestigent vigilanter; pro Cleri iuventaeque incolumitate prudenter, sed prompte et efficaciter praescribant.

His iussis et praeceptionibus a Pio X. datis obsequentes, iam die 31. Martii 1908 in conventu Capituli cathedralis, Decanorum et Testium synodalium constituimus *Consilium a vigilantia*, quod nunc in Synodo quoque confirmamus.

Viri in illud electi sunt:

Praeses: Plur. rev. Dom. Dr. Ioannes Mlakar.
Substitutus eius: Plur. rev. Dom. Martinus Matek.
Consiliarii: Plur. rev. Dom. Franciscus Ogradi,
Adm. » » Franciscus Hirti,
» » Dr. Iosephus Hohnjec,
» » Dr. Franciscus Lukman,
» » » Dr. Antonius Medved,
» » P. Callistus Heric, O. F. M.,
» » Alphonsus Svet, O. F. Conv.

Normam agendorum pro designato Consilio a vigilantia praebet epistola encyclica *Pascendi dominici gregis*[1] nec non ea, quae statuta sunt in memorato conventu Capituli cathedralis, Decanorum Testiumque synodalium[2].

Datum Marburgi, in festo s. Hermetis Mart., die 30. mensis Augusti 1911.

Hoc Consilio cautum est, ne errores circa fidem vel mores vel pravae consuetudines in dioecesi locum obtineant, et provisum, ut illustrissimus Ordinarius loci, si qui irrepserint, de eis statim certior reddatur eosque in tempore reprimere valeat. Neque musicae ecclesiasticae pericula

[1] Folium officiale dioecesis Lavantinae de die 25. Octobris 1907. Nr XI. alin. 86. pag. 121—140. — [2] Idem, de die 10. Maii 1908. Nr. V. alin. 47. pag. 84—94.

desunt, nimirum ex altera parte negligi, ex altera vero genio profano infici potest, quod ne umquam in dioecesi fiat, societas instituatur oportet, quae musicae sacrae invigilet et praecaveat, ne ab alto fine suo aberret. Huius modi societati instituendae inservit

Decretum

de constituta Societate pro pervigilanda musica sacra.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Sanctissimus Dominus noster Pius, divina providentia Papa X., egregio *Motu proprio*[1] de die 22. Novembris 1903 peramplam instructionem de sacris musicis instaurandis edidit, in qua etiam praecipua arroganda media ostendit, quibus in studio, in elucubratione, in ecclesiasticae musices executione utendum est ad optatum finem assequendum.

Capite VIII. num. 24. celebris documenti pontificii profertur, quod sequitur: »Quae statuimus, ut rite serventur, Episcopi in propria dioecesi instituant *Societatem* virorum sacrae musicae expertium, qui ut aptius Episcopo videatur, pervigilandi musicam, quae in ecclesiis canitur, munus habeant. Curent insuper, ut musica optima sit, cantorum aequa viribus et semper optime canatur«.[2]

Cuius praescripti tenore constituimus *Societatem* virorum sacrae musices expertium, quorum ope in omnibus ecclesiis, in quibus auxilium cuiusdam collegii cantorum in sollemni cultu divino adhibetur, praescriptionum observantia urgeatur.

Societatem componunt hi musices consulti:

Praeses: Plur. rev. Dom. Iosephus Majcen.

Vices eius gerentes: Ven. Dom. Franciscus Trop,
Rev. » Dr. Franciscus Lukman.

---

[1] Ecclesiae Lav. Synodus dioec. anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pag. 579–587. — [2] Op. cit. pag. 586. cap. VIII. num. 24.

Socii ex numero sacerdotum:

Adm. rev. Dom. Iosephus Čižek,
» » Aloysius Čižek,
» » » Franciscus Dovnik,
» » Dr. Ioannes Jančič,
» » Dr. Antonius Jehart,
» » Antonius Kolar,
» P. Valerianus Landergott, O. F. M., Regens chori in Basilica Matris micordiae.
» Dom. Ioannes Markošek,
» » Iosephus Mešiček,
» » Ioannes Pajtler,
» » Stephanus Pivec,
» » Paulus Rath,
Adm. » » Antonius Ribar,
» » Dr. Matthias Slavič,
» » Dr. Iosephus Somrek,
» » Matthaeus Štrakl,
Ven. » Iosephus Trafenik,
Rev. » Carolus Tribnik.

Socii ex laicis:

Honorandus Dom. Rudolphus Wagner,
» » Carolus Bervar, organista Celeiae,
» » Theodorus Drolc, organista ad s. Georgii subter Tabor,
» » Silvester Šentjurc, organista ad ss. Petri et Pauli Petovii.

Societatis institutae officium erit, dubia enodare, perplexitates insurgentes propulsare, normas circumstantiis locorum convenientes suggerere. Societati porrigendae sunt musicales compositiones, ut referat de earum congruentia ob conformitatem ad characterem musices ecclesiasticae. Organistas admonebit commissio, ut dignas producant melodias vel praeludia vel interludia.

Episcopalis haec Societas pro viribus sedulam operam dabit instaurationi seu reformationi organorum, item

restaurationi cantus Gregoriani in psalmodiis, in executione cantuum communium, psalmorum et hymnorum melodia. Illa repertorium musices polyphonicae in sua sede asservabit, exposcentibus viris ecclesiasticis commendandum.

Datum Marburgi, in festo s. Hermetis Mart., die 30. mensis Augusti 1911.

Post hoc decretum Promotores Synodi instanter rogaverunt, ut materia Synodi porro tractaretur, quare reverendissimus Antistes Constitutionem *de foedere Missarum sacerdotali* proponi imperavit. Hoc foedere se sacerdotes Lavantini obstringunt, ut singuli pro quolibet confratre defuncto unum Sacrum litent. Ex Constitutione synoditae compererunt, foedus ex anno 1813 existere et magno solatio esse sacerdoti egeno, qui non habet, unde sacras Missas pro se mortuo fundare possit.

Dein lecta est Constitutio *de exstirpando vitio intemperantiae.* Discussione ferventiore inter synoditas instituta de mediis ad hanc luem inter dioecesanos, sacerdotes et laicos, pedetentim exstirpandam etiam confoederationis temperantiae, iam anno 1865 in dioecesi introductae, mentio facta est. Inter alia media, ut vitio intemperantiae limites ponerentur, parochus *Georgius Šelih* proposuit, ut quamdiu perfecta abstinentia potus inebriantis obtineri non posset, tres inducerentur abstinentiae gradus, quorum alius alio esset perfectior, et ut animarum pastores fidelibus inculcarent, ne vino sublimato fruerentur. Maxime autem decere affirmabat, ut sacerdotes sensati omnino a potu alcoholico abstinerent, itaque fidelibus sibi commissis bonum praeberent exemplum. Etsi propositionibus ab eo prolatis pauci tantum synoditae assentirentur, tamen ex fervida huius quaestionis ventilatione satis elucet, sacerdotibus dioecesanis istam curae esse, quapropter celsissimus ac reverendissimus Antistes parochum praenominatum cohortatus est, animo ne decideret, sed rem, quae ad bonum commune plurimum conferre potest, pro viribus foveret

et propagaret. Alcoholismi draco non uno ictu conciditur.

Denique de *confraternitate ss. Cyrilli et Methodii* ad Slavos in fide uniendos instituta, duo relatores disseruerunt eorumque elucubrationes, quum se compleant, in unam Constitutionem iungendae salutarem confraternitatis finem procul dubio inter fideles promovere valebunt.

Quia tempus iam Sessionis finiendae ursit, Promotores Synodi ad sedem reverendissimi Praestitis progressi, humiliter institerunt, ut proxima, tertia ac ultima Sessio publica indiceretur. Quum celsissimus Ordinarius instantiae annuisset, Lector Synodi legit

Decretum
indictionis tertiae et ultimae Sessionis sollemnis.

MICHAEL,
Dei grata miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum.

In nomine Domini decernimus et indicimus, proximam eamque postremam huius Synodi Sessionem sollemnem et publicam fore feria VI., quae erit dies 1. mensis Septembris, hora sexta matutina vel alia opportuniore.

Insimul recolitur festum s. Aegidii Atheniensis, regiae stirpis, qui a prima aetate divinis litteris et caritatis officiis ita deditus fuit, ut nihil praeterea curare videretur. Totum patrimonium in pauperes erogavit, quin etiam tunicam exuit, ut aegrotum egentem tegeret. Secessit in eremum, ubi diutius herbarum radicibus et cervae lacte admirabili sanctitate vixit. Qua Abbas administrationem monasterii, quod ad impulsionem regis Galliae in loco speluncae exstruxit, prudenter gessit usque ad suam migrationem in coelum.

Gloriemur igitur de felicissimo inclyti Abbatis fine in Domino, qui est mirabilis in sanctis suis, in quibus nobis et praesidium constituit et exemplum. Dehinc oremus Dominum ac Deum nostrum, ut meritis ac patro-

cinio beati Aegidii actiones nostras, quas aspirando praevenire dignatus est, adiuvando misericors et benignus prosequatur, ut cuncta nostra operatio per eum coepta fecunde finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Datum Marburgi, in festo s. Hermetis Martyris, die 30. mensis Sextilis 1911.

Cuius Decreti, sicut indictionis priorum Sessionum sollemnium, exemplar etiam valvis ecclesiae synodalis affixum est. Sessione ultima sollemni indicta, illustrissimus Ordinarius Synodi sodalibus sollemnem benedictionem pontificalem impertivit et eos in ostio sacrae aedis dimisit et in Palatium episcopale reversus est, atque ita Sessioni non una de causa celebri memoriaque dignae laetum finem datum esse, testamur.

Marburgi, in festo s. Hermetis Martyris, die 30. mensis Augusti 1911.

Dr. Ioannes Mlakar,
Notarius Synodi.

Dr. Ioannes Jančič,
Testis vocatus.

Dr. Matthias Slavič,
Testis vocatus.

Congregatio generalis tertia.

In festo s. Hermetis Martyris, die 30. Augusti 1911, ad Congregationem generalem tertiam hora post meridiem quarta celebrandam eodem modo, quo in Congregatione generali secunda reverendissimus Praesul in fanum s. Aloysii venit et a Capitulo cathedrali in eius atrio devote exceptus, per medios synoditas ad sedem suam, in latere altaris maioris positam, deductus est. Sanctissimo Sacramento adorato, statim cum synoditis *Vesperas cum Completorio* recitavit.

Deinde preces, pro initio Congregationis generalis praescriptas, absolvit et actutum Directori exercitiorum spiritualium benedictionem, ab eo rogatus, impertivit, qua

accepta ille secundam meditationem proposuit. Huius thema erat operatio sacerdotis in vinea Domini, sui ipsius sanctificationem et suorum ovium spiritualem eruditionem complectens.

Meditatione, salutarium monitorum plena, finita, Promotores Synodi ad reverendissimum sacrorum Antistitem progressi sunt ab eoque reverenter petierunt, ut actionem synodalem ulterius tractari iubere dignetur. Cui instantiae celsissimus Dominus sine mora annuit et Archidecanos et Decanos, Testes synodales, in altera Sessione sollemni publicatos, secundum hanc formulam iure iurando ad s. Evangelia devinxit:

Formula
iuramenti pro Testibus synodalibus.

Ego N. N. promitto, spondeo et iuro, me officium Testis synodalis libenter susceptum, quantum in me situm est, fideliter et veraciter executurum esse.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia!

Actum Marburgi in synodali ecclesia s. Aloysii, die 30. mensis Augusti 1911.

Sequuntur subscriptiones iuratorum Testium synodalium.

Quo facto reverendissimus Praestes Censores librorum typis edendorum ad iuramentum, quod praescriptum est, emittendum invitavit. Huius formula haec erat:

Formula
iurisiurandi pro Censoribus seu Revisoribus librorum imprimendorum.

Ego N. N. promitto, spondeo ac iuro, me officium demandatum iuxta constitutionem apostolicam *Officiorum ac munerum* et encyclicam *Pascendi dominici gregis* de prohibitione et censura librorum, quantum in me situm est, integre executurum esse.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia!

Actum Marburgi in synodali ecclesia s. Aloysii, die 30. mensis Augusti 1911.

Succedunt subscriptiones iuratorum Censorum pro libris imprimendis.

Tum Lector Synodi decretum de *reinstituta Congregatione pro custodiendis Constitutionibus synodalibus* praelegere iussus est.

Decretum

de reinstituta Congregatione pro custodiendis et vindicandis Constitutionibus synodalibus.

MICHAEL,

Dei grata miseratione Princeps - Episcopus Lavantinus.

Quaecumque in Synodis hucusque factis proposuimus, ordinavimus, decrevimus aut disposuimus, exacte debent custodiri ac servari. Optimae leges inutiles sunt, nisi observentur. Et parum est, iura condere, nisi sint, qui ea executioni demandari faciant, animadvertit sanctae memoriae Pius PP. IV. in Motu proprio *Alias nos* de die 2. Augusti 1564.

Propterea instituimus propriam *Congregationem*, tamquam custodem et vindicem Constitutionum synodalium. Si dubia et lites de vero sensu earum exoriri contigerit, si forsan versiones in quamcumque linguam postulentur, decisiones debitas curabit, Nobis duce et auspice. Pariter eam consulemus — salvo consensu vel consilio Capituli cathedralis — si quae in statutis synodalibus declaranda, corrigenda, mutanda erunt, uti nempe rerum adiuncta et personarum circumstantiae ferent.

Congregationis synodalis membra sunt:

Praefectus: Plur. rev. Dom. Carolus Hribovšek.
Substituti eius: » » » Dr. Ioannes Mlakar,
» » » Martinus Matek.

Consiliarii: Plur. rev. Dom. Iosephus Majcen,
» » » Iacobus Kavčič,
» » Dr. Iosephus Hohnjec,
» » Franciscus Kovačič,
Adm. » » Dr. Antonius Medved,
Secretarii: » » Dr. Franciscus Lukman,
» » » Dr. Ioannes Tomažič,
» » Dr. Matthias Slavič.

Ex adductis commissariis ad minimum quinque congregentur, quum grave aliquod negotium huc spectans pertractandum erit.

Datum Marburgi, in festo s. Hermetis Martyris, die 30. mensis Augusti 1911.

In materia synodali tractanda Constitutio de *pastoratione studiosorum* a relatore praelecta est et a synoditis, magna cum attentione, sed simul vero gaudio audita, unanimiter approbata est. Multa namque et alte pensanda momenta continet. Utinam bonos et uberes fructus suo tempore faceret!

Quum iam sero factum esset, clementissimus Pater, *rogatus ab ipsis synoditis, qui ultro faterentur, Constitutiones optime exaratas, in Congregationibus particularibus etiam accurate discuti,* ab aliis publicandis modo abstinendum esse censuit et preces, in fine Congregationis generalis praescriptas, persolvit et modo consueto in Aedes episcopales revertens congressores ad sua loca hora sexta et dimidia vespertina dimisit.

Marburgi, in festo s. Hermetis Martyris, die 30. mensis Augusti 1911.

Dr. Ioannes Mlakar,
Notarius Synodi.

Dr. Ioannes Jančič,
Testis vocatus.

Dr. Matthias Slavič,
Testis vocatus.

Congregatio generalis quarta.

In festo S. Raymundi Nonnati, die 31. Augusti 1911, hora septima matutina Congregatio generalis quarta habita est. Celsissimus Praestes praecise hora indicta venerat; a Capitulo cathedrali in limine sacelli synodalis reverenter exceptus et ad altare maius comitatus, statim *Tertiam* cum synoditis persolvit. Modo sacra Missa de die festo per Canonicum Martinum Matek lecta est. Illustrissimus Ordinarius huic Sacro, pluviali albi coloris indutus, in Sede sua astitit, synoditis interea Rosarium gloriosum devote recitantibus. Sacra Liturgia ad finem perducta, *preces synodales* dictae sunt, et reverendissimus Episcopus Directori exercitiorum pro tertia meditatione habenda benedixit. Hic ambonem ascendens, gravia verba de sacerdotis oratione et meditatione dixit, de earum scilicet necessitate et ubertate fructuum praemiorumque spiritualium inde emanantium. Meditationem, pro cuius pronunciatione reverendissimus Synodi Praestes Directori convenientes grates exhibuit clamando: *Deus retribuat modo largissimo omnem laborem ac sudorem*, secuta est continuatio materiae synodalis, et reverendissimus Praesul annunciavit, *epistolam Synodi ad Episcopos Lusitanos*, tristem apud eos condicionem Ecclesiae catholicae deplorantem, mittendam congressoribus modo proponi, ut si placuisset, nomine Synodi VI. Lavantinae suae destinationi traderetur.

Epistola Synodica consolatoria ad Episcopos Lusitaniae.

Illustrissime ac Reverendissime Patriarcha et Archiepiscope!

Excellentissime Domine!

Sanctissimus Dominus noster, Ecclesiam Christi gloriose gubernans Summus Pontifex Pius PP. X., sol-

licita ac paterna qua totum complectitur commissum sibi mundum christianum cura, Litteris encyclicis *Iamdudum in Lusitania* de die 24. mensis Maii anno MCMXI totius orbis catholici Antistites adhortatus est et rogavit, ut supplices sint Deo omnipotenti pro gravi temporum iniuria pressis solatioque indigentibus e Lusitania fratribus.

Cui supremi Christi in terris Vicarii voto obsecundantes Michael, Episcopus Lavantinorum, et sexaginta plus ducenti sacerdotes, Marburgi in Austriaca provincia *Styria* (Steiermark) sexta Synodo dioecesana congregati, haud possunt epistolam hanc synodicam non mittere ad manus Amplitudinis Vestrae Illustrissimae, quae eam pro suo arbitrio opportuno modo et tempore cum Reverendissimis Lusitaniae Pastoribus communicare ne dedignetur.

Etenim *multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra* (Rom. 12, 5), et dolore afflicto in Ecclesia Dei uno, necessario angimur et compatimur omnes. Quapropter Reverendissimum Lusitaniae Episcopatum una cum Clero nec non cum populo suo fideli impraesentiarum gravissimam pati tribulationem audivisse nostra quoque corda dolore perculit et moerore. Quisnam re vera non detestetur sanctiones, quibus dure pelluntur de medio familiae religiosorum; exstinguuntur pedetentim religiosae rei in actione vitae communis vestigia; violatur inviolabile matrimonii vinculum; excluditur a scholis publicis doctrinae christianae praeceptio atque deturbantur de sedibus sui honoris sacrorum Antistites?

Praesertim vero ubinam locorum inveniantur viri ecclesiastici, qui cum Beatissimo Patre non improbent abominabilem illam de Lusitana republica Ecclesiaque separandis legem, quae »Deum contemnit professionemque catholicam repudiat; quae pacta sollemniter conventa inter Lusitaniam et Apostolicam Sedem violenter rescindit; quae Ecclesiam de iustissima rerum suarum possessione deturbat; quae ipsam Ecclesiae libertatem opprimit divinamque constitutionem pervertit; quae denique maiestatem Pontificatus Romani, Episcoporum ordinem, Clerum populumque Lusitaniae . . iniuria contumeliaque afficit«!

Ideo quotquot hic sumus synodaliter congregati, preces nostras cum supremi in terris ovicularum Christi Pastoris precibus unimus atque Deum praepotentem divitemque in misericordia suppliciter oramus, ut *confundendo omnes iniqua agentes* (Ps. 24, 4) abbreviare dignetur dies afflictionis, qua in praesentibus gemit firma ad Ecclesiam Christi adhaesione a saeculis eminens gens regioque Lusitana.

Afferant faxit Deus praesentes litterae, compassionis nostrae nunciae, vel exiguum in aerumnis solamen et lenimen Amplitudini Vestrae Excellentissimae nec non caeteris in Lusitania gregis Christi Pastoribus, quorum fidei, constantiae magnique animi praeclara in conspectu universae Ecclesiae edita documenta miramur exemplaque, quum oportuerit, cupimus imitari posse! Obedientes enim *Deo magis quam hominibus* unanimiter parati estis *pro nomine Iesu contumeliam pati* (Act. ap. 5, 39. 41) et sustinere exilium, bonorum temporalium, immo vitae terrestris iacturam potius quam prodere iura Dei et sanctae Matris Ecclesiae praerogativas.

Quam generosam magnanimitatem accedentibus Summi Pontificis totiusque orbis catholici orationibus certo certius licet sperare tacturam esse Cor divini Salvatoris, ut mittat Vobis ab alto auxilium tempore opportuno. *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem,* scientes quod *adhuc modicum aliquantulum qui venturus est* ad Vos iuvandos et liberandos *veniet, et non tardabit!* (Hebr. 10, 35. 37).

Marburgi in Austria, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, die 29. mensis Augusti anno 1911.

Reverendissimo Officio Patriarchali et Archiepiscopali Ulyssiponensi Lissabon.
(Lisboa) Portugal.

Ad manus Illustrissimi, Reverendissimi ac Excellentissimi Domini Patriarchae Ulyssiponensis et Archiepiscopi Msgr. Antonii Mendes Bello, Lisbonae.

Responsum Reverendissimi Patriarchae.

Excellentissime ac Reverendissime Domine!

Epistola Tua synodica, die XXIX. Augusti proxime elapsi, Marburgi in Austria data, quam omnibus Lusitaniae Praesulibus opportune communicavi, eorum, sicut et mei ipsius, cordi, adeo amaritudine oppresso ac sub potenti manu Dei humiliato pergrata extitit solaminique fuit nobis: quapropter, Tibi, Frater colendissime, et cuncto Clero in illa sexta Synodo dioecesana congregato, multam gratiam habemus.

Vere mediis persecutionibus et acerbitatibus, quae nos undique premunt, magnum est nobis iuvamen scire Christi in terris Vicarium atque orbis catholici Episcopos nobiscum esse *unanimiter perseverantes in oratione* (Act. ap. 1, 14), *memores laboris nostri et fatigationis.* (I. Thess. 2, 9).

Utique, dilectissime Frater, *supra modum gravati sumus!* (II. Cor. 1, 8). Fere dicere possemus cum propheta: *Viae Sion lugent, eo quod non sint, qui veniant ad sollemnitatem; omnes portae eius destructae, sacerdotes eius gementes, virgines eius squalidae, et ipsa oppressa amaritudine.* (Thren. 1, 4). Ast *Dominus virtutum nobiscum* (Ps. 45, 12); *propterea non timebimus, dum turbabitur terra* (ib. 3). Spes et fiducia in Domino nobis est eritque velut anchora tuta ac firma, ad quam in omnibus his adversis confugimus, consilii S. Augustini memores: *Si procellae et tempestates tumultuentur, noli abrumpi ab anchora.*

Ita in nullo terrebimur ab adversariis, *adiuvantibus et vobis in oratione pro nobis* (II. Cor. 1, 11); nam *infirma mundi eligit Deus, ut confundat fortia.* (I. Cor. 1, 27).

Probe novimus, antequam ad transfigurationis montem pervenire possimus, oportere nos, Clerum populumque fidelem, crucem nostram usque ad Calvarium baiulemus post Dominum. Suo tempore Magister e somno

surget, et dissipabit inimicos eius: tunc fidelis Lusitania confitebitur et laudabit Dominum Deum suum.

Huius venturae salutis signa nobis arrident. Summus Pontifex, flens cum flentibus filiis, sua benedictione nos fortificavit, sua sapientia nos dirigit, necnon, *pro singulari qua nos diligit caritate, Deo Omnipotenti supplex est, ut diligentiae studioque nostro bonus faveat.*

Fratres nostri Episcopi, sicut Tu modo fecisti, Excellentissime Domine, nobis compatiuntur et pro nobis orant. Clerus noster — paucis sacerdotibus, qui misere defecerunt, exceptis — nobis est intime unitus, paratus *potius mori quam foedari.* Populique magna pars fidem et spem servat, quia Ssm. Iesu Cor et Deiparam Virginem Immaculatam ardenter colit et diligit.

Quid timebimus! *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* (II. Cor. 1, 5).

Nostri gratissimi animi testimonium hoc accipere dignare, Excellentissime ac Reverendissime Domine, hac epistola exhibitum, quam ego, nomine omnium Lusitaniae Episcoporum, libentissime subscribo.

Olyssipone, die 14. Octobris anno 1911.

† Antonius,
Patriarcha Ulyssiponensis.

Constitutionem de *centrali directione congregationum Marianarum* praelegit eius compositor et ad eam parochus D. *Aloysius Šoba* Zdolensis aliqua de propagandis Congregationibus Marianis inter iuventutem scholarem, item adnotationes aliquas adm. reverendus Dom. *Iosephus Sinko,* parochus ad S. Laurentii in Collibus slovenicis, proposuit. Utriusque animadversiones reverendissimus Ordinarius suo tempore respiciendas esse edixit.

Ex hac Constitutione uni vel alteri ex synoditis periculum III. ordini s. Francisci Ser. provenire posse videbatur, si congregationes Marianae iusto plus commen-

darentur. Hoc Adm. rev. P. *Callistus Heric* in mente habuisse videbatur, quum adnotaret, cavendum esse, ne III. ordo s. Francisci Ser. negligeretur, dum et ubi congregatio Mariana institueretur.

Huic enim, ait, illum non esse impedimento, sed instar scholae, in qua fideles ad eam praepararentur et bene disponerentur. Ad haec relator respondit, Marianas congregationes III. ordini s. Francisci Ser. neque opponi neque cum eo commisceri Constitutione, quam proponeret, sed illas et hunc laudari. Ita difficultas orta brevi sublata et Constitutio ipsa a Synodo approbata est.

Constitutio *de cantuario dioecesano*, a referente perlecta, a Synodi sodalibus approbata est, quippe quae practicis rebus non careret.

Constitutio *de stola regulanda* a Lectore Synodi perlecta est. Quum stola funebris pro ecclesia cathedrali et suburbiis Marburgensibus iam approbata sit, ad quaestionem reverendissimi Ordinarii Abbas Celeiensis, Praepositus Petoviensis et Archidiaconus Konjicensis responderunt, se huic iam approbatae taxae stolari funebri pro suis ecclesiis parochialibus assentiri. Adm. rev. Dom. *Franciscus Zdolšek*, parochus ad s. Georgii sub Tabor, proposuit, ut schema Decanis mitteretur, ab his vero sententia parochorum exquireretur. Vivaci discussioni, de hac quaestione ortae, celsissimus Episcopus finem dedit promittens tale schema se DD. Decanis missurum esse. Simul desiderio a nonnullis synoditis prolato illustrissimus Praestes annuit, ut in discussionibus decanalibus etiam organistae, maxima ex parte indigentes, respicerentur, persuasus, rem accedente accurata ventilatione et bona voluntate cooperante ad felicem exitum deduci posse. Caeterum omnes synoditae censuerunt, Constitutionem esse per opportunam.

Postremo Constitutio *de organisationum successu in dioecesi* publicata est et synoditae eam attenti audierunt ideoque de ea animose disputatum est. Quum hora iam paene undecima et dimidia esset, preces, in fine Congre-

gationis generalis dicendas, reverendissimus Ordinarius persolvit et synoditas in pace dimisit.

Marburgi, in festo s. Raymundi Nonnati, die 31. Augusti 1911.

Dr. Ioannes Mlakar,
Notarius Synodi.

Dr. Ioannes Jančič,
Testis vocatus.

Dr. Matthias Slavič,
Testis vocatus.

Congregatio generalis quinta.

Hora quarta post meridiem Synodi sodales omnes suis locis dispositi celsissimum Episcopum cum silentio expectaverunt et quum advenisset, a Capitulo cathedrali humiliter exceptus, Sanctissimum paulo adoravit et statim cum synoditis *Vesperas cum Completorio* persolvit. Deinde quum preces, ante Congregationes generales dicendae, peractae essent, Promotores Synodi ad illustrissimum Praestitem progressi instanter rogaverunt, ut materia Synodi continuaretur.

Secretarius Synodi vero excellentissimo Ordinario annunciavit, Procuratores Cleri aliqua vota proferre velle. Quapropter reverendissimus Antistes annuit, ut ea libere proferrent. Promotor Cleri, *Franciscus Dovnik* Decanus Gornjigradensis, itaque legit libellum supplicem.

Libellus supplex

Procuratorum Cleri sextae Synodi dioecesanae.

Clementissime ac Reverendissime Pater in Christo et Domine!

Nos, Procuratores Cleri, accedimus ad Paternitatem Tuam et cum debita modestia et reverentia vota et desideria nostra exponimus; sunt autem haec:

I. Ut congregationes Marianae, nunc temporis valde diffusae, quo meliore modo, temporis nostri indigentiis convenienter regi et moderari valeant, illarum rectores norma aliqua nova nostrisque temporibus adaptata, indigent, qua in moderandis congregationibus Marianis iuventur. Quapropter accedentes ad votum R. D. *Franc. Sal. Gomilšek*, die 18. Augusti anni decurrentis propositum, enixe petimus et instamus apud reverendissimam Amplitudinem Tuam, ut quae idonea conspiciuntur, providere dignetur, forsan per congressum rectorum, quae commemoratae sunt, congregationum dioecesis Lavantinae.

II. Sessio publica tertia eaque finalis pro die 1. Septembris hora matutina sexta vel alia suo tempore determinanda indicta est. Quum vero sat multi synodales via ferrea domum petituri sint, valde illis gratum foret, si Sessio finalis hora quinta cum dimidia inchoaretur et synoditae ante horam octavam in Christi nomine dimitterentur.

Quapropter nos, Procuratores Cleri, alia vota, de quibus decretis editis iam provisum est aut de quibus provideri nequit aut quae minus gravia videntur, praetermittentes petimus instamusque apud reverendissimam Celsitudinem Tuam, ut haec duo vota vel desideria synoditarum perpendere benigne dignetur.

Marburgi, die 31. Augusti 1911.

Procuratores Cleri:

Martinus Jurkovič, **Franciscus Dovnik,**
Iosephus Čižek, **Marcus Tomažič.**

Quae duo Cleri synodalis vota, rationes prolatas pensando, clementissimus Dominus benigne excepit et promisit, se circa organisationem congregationum Marianarum omnia iuxta mentem synoditarum dispositurum atque tempore opportuno directores dictarum congregationum ad conferentiam convocaturum. Insuper ordinavit, ut Sessio publica tertia iam hora quinta et dimidia ce-

lebraretur. Synoditae cum gaudio hanc pronunciationem exceperunt. Procurator Cleri tamen non recessit, sed sic reverendissimum Ordinarium allocutus est:

Excellentissime ac Celsissime Domine Domine Princeps-Episcope!

Nos, Procuratores Cleri, vehementer moti de magnifica liberalitate Tuae Reverendissimae Amplitudinis, qua Clerum Lavantinum, in hac Synodo congregatum, verbo salutari, monitis paternis, insuper et refectione corporali tempore Synodi aluisti, omnem benedictionem a Deo omnipotente adprecantes gratias humillimas in nomine Cleri hic congregati agimus; Deus ter optimus, cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, multiplicata benedictione Reverendissimam Amplitudinem adimpleat!

Marburgi, die 31. Augusti 1911.

Procuratores Cleri:

Martinus Jurkovič, **Franciscus Dovnik,**
Iosephus Čižek, **Marcus Tomažič.**

Tum reverendissimus sacrorum Antistes in materia Synodi tractanda Constitutionem *de sublevatione emigrantium in alienas terras* per relatorem praelegere iussit. Ad hanc Constitutionem disputatio orta est. Celsissimus enim Episcopus cum laude meminerat eximiae curae, quam reverendus Dominus *Gulielmus Köster*, Parochus in Hamborn, slovenicae plebi, in eius parochia mercedis comparandae gratia degenti, indefesse navaret, et ipse linguam slovenicam ex hoc fine sibi discendam censeret, ut emigrantium necessitatibus in propria ipsorum lingua subvenire posset. Quare Synodum celsissimus Ordinarius invitavit, ut tam sollicito animarum curatori gratias promeritas rependeret. Cui invitationi omnes grati obsequuti sunt.

Misera revera emigrantium sors est et gravia pericula eis imminent, quantum ad eorum necessitates spirituales pertinet, ideoque reverendissimus Ordinarius laudavit propositionem synoditae cuiusdam, ut in dioecesibus, in quibus huiusmodi emigrantes operantur, animarum curiones eis specialem curam adhiberent. Ad supplicationem Parochi cuiusdam, quatenus provideretur et de indigentiis spiritualibus emigrantium in dioecesim finitimam, reverendissimus Praesul respondit, hos quasi in patria degere et nullo non tempore, si vellent, posse reverti domum, quod eis, qui in longinquis commorantur, non esset tam facile; insuper illic publicata esse nomina confessariorum, paternum idioma eorum callentium. De caetero praestare, ut curiones dioecesis Lavantinae suos fideles monerent, ne e dioecesi facile migrarent, quia in dioecesi quilibet sibi quotidianum victum comparare posset, dummodo eum laboris non taederet.

Deinde Constitutio *de conservatione monumentorum ecclesiasticorum* praelecta et approbata est. Denique quaestio de transferendis festis quibusdam, modo de praecepto observatis, in dies Dominicas i. e. pro foro abrogandis, salva auctoritate Sedis Apostolicae, permittente illustrissimo Ordinario, a synoditis discussa est. In ea omnes fere festa, quae nunc in nostra dioecesi et universim in ditione austriaca celebrantur, reservanda esse censuerunt. Plerique enim timuerunt, ne populus fidelis, si quae festa abrogarentur, in fide etiam labasceret, dum res disciplinares cum rebus fidei confunderet. Alii, quum huiusmodi timore non premerentur, existimaverunt standum esse praescripto Motus proprii Pii PP. X. *Supremi disciplinae* de die 2. mensis Iulii 1911. Omnes autem synoditae panderunt desiderium, quatenus saltem quoad festum ss. Corporis Christi, utpote populo fideli peramatum, nihil innovaretur. Caeterum omnes in eo convenerunt, ut res competenti auctoritati Episcoporum committeretur. Reverendissimus Episcopus discussionem clausit et affirmavit, in proximo conventu Epi-

scoporum Vindobonae forsan de hac quaestione agendum esse ideoque occasionem voti synoditarum exponendi sibi fore datam.

In fine Congregationis celsissimus Ordinarius Officialibus Congregationum particularium, in quibus omnes Constitutiones ventilatae et acriter, prout respectiva quattuor protocolla commonstrant, examinata sunt, gratias egit et Congregationem hora circiter sexta et dimidia precibus praescriptis conclusit et Capitulo cathedrali usque ad sacelli ostium comitante in Aulam suam se recepit.

Marburgi, in festo s. Raymundi Nonnati, die 31. Augusti 1911.

Dr. Ioannes Mlakar,
Notarius Synodi.

Dr. Ioannes Jančič,
Testis vocatus.

Dr. Matthias Slavič,
Testis vocatus.

Sessio sollemnis tertia eaque ultima.

Ex desiderio synoditarum, in Congregatione quinta per Promotores Cleri proposito et a reverendissimo Nauclero acceptato, Sessio sollemnis ultima iam hora quinta et dimidia matutina in festo s. Aegidii Abbatis die prima Septembris 1911 incepit. Congressores, saeculares superpelliceo cum bireto, parochi insuper stola rubri coloris induti, regulares vero in vestimentis sui ordinis, illustrissimum Ordinarium in sacello synodali expectaverunt, et quum cappa indutus in atrium sacrae aedis venisset, a Capitulo cathedrali devote exceptus est et eodem Capitulo comite ad altare maius se contulit. Hora *Tertia* recitata, celsissimus sacrorum Antistes vestes sacras, in altari paratas, assumpsit s. Mis-

sam de Sanctissima Trinitate cum magna assistentia celebraturus.

Inter sacram Liturgiam schola musicorum munere suo egregie functa est,[1] ac Synoditae incensati et sanctae Eucharistiae sumptione refecti sunt. Dein *ablutionem* sumpserunt.

Celsissimus Princeps, Sacro finito, preces, quae ante Sessionem publicam tertiae diei dicendae sunt, pluviali rubri coloris indutus ad altare maius cum assistentia ritu sollemni persolvit et statim cathedram, in parte Evangelii positam, conscendit atque Synodi sodales sic allocutus est:

Allocutio finalis,

habita in tertia eaque ultima Sessione synodali, in festo s. Aegidii Abbatis, Kalendis Septembribus 1911.

Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. (II. Cor. 7, 4).

Venerabundi Domini synodales!

Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra, sic clamo cum divo Paulo in fine sacrae Synodi, ex cuius celebratione repletus sum suavi solamine ac levamine, et dulci gaudio superabundo, quod omnes aerumnas et labores exantlatos mihi supra modum suetum recompensat. Maxima in Domino laetitia affectus sum, ubi video tam salutarem tamque exoptatam

[1] Programma pro cantu cum musica sacra peragendo:

Feria II. In prima Congregatione generali: E. Frey, *Veni, Sancte Spiritus;* Dr. Fr. Witt, *Tantum ergo.*

Feria III. Rud. Wagner, *Ecce, sacerdos magnus,* pro vocibus inaequalibus ad arcus seu cum symphonia fidium, opus a componista dedicatum reverendissimo Antistiti *Michaeli.* — Aug. Weirich, *Missa sollemnis* in honorem s. Ioseph. *Introitus, Graduale, Communio* in cantu chorali. *Offertorio* recitato: Rud. Wagner, *Iubilate.* — In Sessione sollemni et in Congregationibus sequentibus: *Veni, creator Spiritus* in cantu chorali.

Feria IV. I. Mitterer, *Requiem* in As, pro vocibus inaequalibus comitante organo.

Feria VI. In Sessione ultima: P. Piel, *Missa* in honorem s. Clementis Papae, quattuor vocibus aequalibus concinenda. — *Te Deum* in cantu chorali.

rem, Deo bene iuvante, feliciter nuper inchoatam hodie prospere esse terminatam.

Fructus synodalium consultationum, quas vos, in Christo carissimi, sapienter moderati estis, erudite fomentavistis, multifaria experientia succolastis, indefessa sollertia sustentastis, benevolentia et facilitate animastis et laetas praestitistis et iucundas — egregiae sunt Constitutiones. Hisce resultatis ager Lavantinus, recipiendae salutari sementi destinatus, diligenter praeparatus, adcurate subactus, zizaniis, quae pullulationem eius impedire vel etiam in ipso ortu suffocare potuissent, repurgatus est, quaeve ad fovenda eius incrementa pertinent, iuste disposita sunt, ut adeo, si divini roris accesserit infusio, quod a gratia eius, qui dare potest incrementum quive dives est in miserationibus, cum fiducia speramus, laetam ex ea praevidere liceat segetem proventuram, messem abundantem.

Sed quid Synodus praesens sibi voluit et quid voluerunt Synodi praecedentes? Nihil aliud nisi Dei adorationem et gloriam augere omneque Lavantinorum bonum promovere. Ex Synodis celebratis universus nobis subordinatus Clerus perspiciet, Praesulem suum nihil reliquisse intentati eorum, quae ad spiritualia et quantum fieri potuit temporalia suorum in agro Dominico collaboratorum commoda possint conducere; eum porro suum animum ad id attendisse, ut omnes sacrae suae vocationis sublimitatem intus in praecordiis suis persentiscant illique digne per omnia ambulent; eum ulterius omnem adhibuisse operam, ut sublimi ordini sacerdotali constet honos; et si non cunctis desiderationibus satisfactum neque omnibus indigentiis uno quodammodo instante seu ictu subventum sit, id non defectui contentionis Naucleri, sed arduis rerum ac temporum adiunctis, quibus imperare non semper est positum vel in summarum potestatum manibus, esse adscribendum.

Ex Synodis nostris peractis perspicient omnes veritatis percipiendae capaces, nos *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*, in unum coadunatos, vere

catholico spiritu esse animatos, id quod est, nobis imprimis cordi esse, intemeratam custodire in dioecesi fidem, nos tenera erga petram illam, cui Salvator mundi suam superaedificavit Ecclesiam, ferri pietate summaque erga eum, qui cathedram huic firmae et solidissimae petrae impositam actu gloriose tenet, Summum Pontificem Pium PP. X., duci veneratione, promptissimo obsequii studio, sincerissima voluntate. — Item perspicient, Episcopum Lavantinum Clerumque erga augustum monarchiae austro-hungaricae Imperatorem, Franciscum Iosephum I., eo dirigi obsequii cultu, ea fidelitate et devotione, quam et datae ei a Deo potestatis sublimitas ac sanctimonia et perennis erga ipsum generosissimum libertatis Ecclesiae adsertorem gratitudinis ratio deposcit.

Sed et fideles, quos in via salutis dirigendos e summi Pastoris manibus recepimus, perspicient, pastores suos eo indefesso contendere studio, ut gravi suo pastorali muneri quo licet exactius respondeant, demonstrando oviculis virentia pascua aeternarum veritatum, praeservando eas a venenatis aquarum scaturiginibus, custodiendo diurnis nocturnisque curis, ne cedant in direptionem bestiarum agri. Christianus grex perspiciet et magis in dies convincetur, pastores suos iugiter sequi boni Pastoris exemplum, perditam ovem per praerupta montium perquirendo amanterque humeris imponendo.

Nunc iam omnes, clerici et laici, veritatis amantes videre possunt, per Synodos nulla singularium dioecesanorum iuribus parari pericula, ut potius maximum exinde omnibus accrescat robur et firmamentum. Dioecesanae Synodi tantum veritates, quae coelo delapsae sunt, in vitam moresque deducere mortalium volunt, quae cunctorum iurium, officiorum ac munerum inconcussam basim constituunt. Bismille fere annorum experientia evictum est hoc, ubi illud firmiter consistit fundamentum, illic salva esse singulorum iura, salvam tranquillitatem, salvam prosperitatem. Ubi econtra haec concussa est basis, inibi misere cuncta susque deque convelli et frustra alibi efficax inquiri malis reme-

dium, frustra captari, quaecumque speciosa videantur surrogata.

Caeterum haec non eo per me sensu dicta existimetis, quasi Synodis nostris rem omnem confectam arbitrarer. Grande adeo negotium, quale est hominum ad Deum vitaeque innocentiam reductio, uno momento, quamquam opportuno, aut uno ictu, quamquam is felix aut efficax censetur, perfici non potest. Id sane iugis laboris, continui studii, irremissae contentionis est opus. Ego solummodo innuere volui, celebratis Synodis nostris earumque saluberrimis Constitutionibus non exiguum factum esse passum, sed grandem gressum ad rem religionis ac probitatis vitae in dioecesi melius constituendam, ad regnum Dei in cordibus Christicolarum aptius et securius dilatandum, ad quaestionem quam vulgo vocant socialem, quae mundum commovet, rectius expediendam, ad organisationem christianam in dioecesi facilius perficiendam.

Praterea Synodus praesens, quinta inter dioecesana comitia a me convocata, fuit praeparatio ad mortem, fuit apparatio ad reddendam rationem de munere praesulatus in tremendo iudicio. Ultima namque est, nisi Dei adoranda voluntas aliter disposuerit, quam ego miser minister Lavantinorum coëgi ac tenui. *Media vita in morte sumus.*

Quotidie nempe nobis in memoriam revocatur, quam caduca sint omnia terrestria, in quotidie movemur a verbo divino: Transierunt omnia tamquam umbra et tamquam nuncius percurrens et tamquam navis, quae pertransit fluctuantem aquam, cuius quum praeterierit, non est invenire vestigium neque semitam carinae illius in fluctibus — aut tamquam sagitta, emissa in locum destinatum: divisus aër continuo in se est reclusus, ut ignoretur transitus illius: *Sic et nos continuo desivimus esse.* (Sap. 5, 9—13).

In Synodo mox finienda iamque dimittenda in nostram conscientiam, venerabiles cooperatores in agro Dominico, inquisivimus, utrum quieta esse posset nec

ne. In quantum onerata apparet, requiritur, ut pro futuro eam exoneremus, ut nos emendemus et deintus *eamus de virtute in virtutem.* (Ps. 83, 8).

Sollemniter spopondimus, ut abhinc iugiter persisteremus sacerdotes *moderni* solida scientia, tenera in Deum pietate, zelo domus Dei, studio orationis. Pro viribus manifestabimus et demonstrabimus futura vita nostra sacerdotali, quam salutarem influxum exercuerit in corda nostra sacra haec Synodus, cui omnes sodales religiosa modestia et sancta caritate interfuerunt, abstinentes a contentionibus, conspirantes vero animo et spiritu ad veritatis cognitionem in finem praefixum, ampliandae Dei gloriae ac promovendae animarum immortalium salutis. Revera res synodalis ita nobis evenit, ut non solum coëuntium frequentia aut ritus splendore, verum etiam et maxime ubertate fructuum ista Synodus, hodie quidem finiens sed recte incipiens, nobilitetur. Bona spe confido fore, ut, quod heic humano peragitur ministerio, Deus omnipotens perficiat ac solidet; atque inde fiat, ut in ecclesia Lavantina vetera sanctitatis exempla felicius instaurentur.

Eiusmodi synoditae indubie sancte observabunt et a subditis suis inviolabiliter facient observari statuta synodalia, id quod est et erit optimus Synodi effectus. Hac spe suffultus ac roboratus omnibus Synodo, modo claudendae, adstantibus promeritas laudes dico et meas grates quam maximas persolvo. Quo clariores et utiliores sunt Constitutiones synodales, eo maiora eis competunt laudum praeconia et ampliores gratiarum actiones, quippe qui potiores in elucubrandis statutis ceperunt partes, uti sunt omnes Officiales Synodi, praesertim Promotores, Secretarius, Notarius per eminentiam, quippe qui tulit pondus diei, Lector, dein Consultores quattuor Congregationum particularium et qui quasi primatum tenent — *assidui Relatores.*

Polliceor me habiturum gratias immortales erga omnes, qui magnas partes habuerunt in conficiendis Constitutionibus, qui indefessis studiis et curis et vigiliis

incubuerunt negotiis synodalibus quique me impigre adiuverunt corrigendo statuta, publico prelo data. Sed haec hactenus! Neque enim molestus accidere velim vestrae modestiae neque vestra ultra modum abuti patientia. Ingenue tantum exprompsi, quae dictabat conscientia ac mei muneris episcopalis postulabat ratio. Ut animi mei grati pignus et testimonium singularem vobis benedictionem a Deo, vitae et mortis Domino, de genu adprecor. Pro mea terrena et aeviterna salute vestra suffragia imploro, ad paria praestanda paratissimus.

Sub finem renovemus Sanctissimo Domino nostro Pio, divina providentia Papae X., plenam et perfectam adhaesionem in doctrina, quam tenet et docet Magister infallibilis. Deus Optimus Maximus suum visibilem hic in terris Vicarium iugiter conservet incolumem et cunctarum coelestium et terrestrium benedictionum et gratiarum in eum effundat abundantiam! — Consimiliter coniuremus filialem obedientiam et amorem Patri patriae, Suae caes. ac reg. Maiestati Apostolicae, Imperatori Regique Francisco Iosepho I. semper Augusto! Rex regum et Dominus dominantium iubilarem nostrum Caesarem ab omnibus tueatur adversis, impleat anhela cordis eius desideria, tribuatque felix imperium cum vera pacis Ecclesiae tranquillitate! — Dioecesis Lavantinae sit semper *laus et gloria*: Catholicae fidei tenacissima, romani Pontificis observantissima, Austriae eiusque Monarchae fidelissima!

Et nunc ultimum *Valete* vobis defero. Valete, viriliter agite, felices estote! Pro singulari, qua vos diligo caritate, Deo omnipotenti et misericordi supplex ero, ut coeptis vestris et studiis bonus faveat, ut messis in agro, quem elaborandum recepistis, abundantiam operetur; vos autem rogo, ut id ipsum officii mihi et laboribus meis praestare velitis.

Pax autem Christi, quae expellit timorem et compellit iubilationem, comitetur vos omnibus diebus vitae vestrae! Sit ista pax vis in morte! Sit vobis gaudium sempiternum in coelis!

Concludo cum lectione, quae desumpta ex secunda epistola beati Pauli apostoli ad Corinthios hodie in Missa de sanctissima Trinitate sollemniter a Subdiacono recitata est: *Fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Gratia Domini nostri Iesu Christi et caritas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis! Amen.* (II. Cor. 13, 11. 13).

Laudetur Iesus Christus!
In saecula saeculorum. Amen.

In hoc sermone reverendissimus Pater cor suum pientissimum ac Cleri populique fidelis amore plenissimum coram tota Synodo effudit et facundis verbis congressores adhortatus, ne animo deficerent, etsi in salute animarum curanda fructus sui laboris hinc inde frustrari experirentur, Officialibus et Relatoribus Synodi e paterno suo corde gratias rependit et ubi sermoni suo finem dedit, lectione Syllogae praesentium et absentium omissa, decretum de Synodo finienda et de Synodo proxima habenda praelegi iussit. Lector Synodi decretum de Synodo finienda e manu celsissimi Ordinarii accipiens legit:

Decretum
de conclusione Synodi.

MICHAEL,
Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus
Lavantinorum.

Omnibus et singulis, quae Spiritu Sancto suggerente ad Dei gloriam ac fidelium sanctificationem promovendam, ad fidem catholicam conservandam et disciplinam ecclesiasticam redintegrandam agenda et decernenda videbantur in Domino, divina opitulante gratia iam finitis et confectis, humillimas Deo bonorum largitori, qui nos misericorditer adiuvit et confortavit, gratias

reddentes, Synodum nostram dioecesanam sextam concludendam esse decernimus et conclusam enunciamus.

Datum Marburgi, in festo s. Aegidii Abbatis, die 1. mensis Septembris 1911.

Lector Synodi, ut hoc decretum praelegit, ad thronum reverendissimi Navarchi accessit et reverenter petiit decretum alterum, eoque de manu celsissimi Antistitis accepto, legit:

Decretum
indictionis Synodi futurae.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum, venerabili Clero et sacratae plebi plurimam dicit salutem et pacem exoptat sempiternam in Iesu Christo!

Secundum sanctionem Tridentinam (sess. XXIV. cap. 2. de reformatione) Synodus dioecesana quolibet anno celebranda est ab Episcopo. Et novissimum Concilium provinciale Salisburgi anno 1906 celebratum desuper habet: »Synodi dioecesanae ab Episcopo proprio indicantur pro temporum et locorum opportunitate in exercitiorum spiritualium decursu singulis annis.«[1]

Proinde aliam futuram Synodum indicimus habendam anno sequenti, nisi aliqua ex causa digna illam prorogare cogeremur.

Te igitur, clementissime Pater, per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus et petimus, ut accepta habeas et benedicas pia haec nostra vota et inita consilia!

Datum Marburgi, in festo s. Aegidii Abb., die 1. mensis Septembris 1911.

His ita absolutis Promotores Synodi ad sedem reverendissimi Antistitis reverenter progressi, sic illustrissimum Praesidem Synodi allocuti sunt:

[1] Acta et Constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 211.

Celsissime ac Reverendissime Princeps-Episcope!

Synodus dioecesana, quam pro indefessa pastorali sollicitudine iam quinto coadunasti, Deo adiuvante et opitulante, opera ductuque Celsitudinis Tuae ad finem optatum perducta est.

Opus grande et latum (II. Esdr. 4, 19), *opus non est unius diei vel duorum* (I. Esdr. 10, 13), sed mensium et annorum.

Subeundo hunc laborem sublimem, secutus es mandatum Spiritus Sancti, per os Apostoli gentium loquentis: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo!* (Act. ap. 20, 28).

Excipiendo grave onus, obsecundasti praecepto Ecclesiae et multum contulisti, ut satisfieret voto gloriose regnantis Summi Pontificis Pii X.: *Omnia instaurare in Christo.*

Si demum perpenditur, ad quem finem hoc opus grande aggressus es, responsum nobis reddit divus apostolus Paulus in epistola ad Ephesios: *Ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi* (Eph. 4, 12), in salutem fidelium Tuae superiori pastorali curae commissorum, in aedificationem et directionem Cleri, Tibi addicti, in exaltationem dioecesis Lavantinae, Tibi coniunctae, ut sit *sancta et immaculata.* (Eph. 5, 27).

Profecto, *a Deo factum est opus hoc* (II. Esdr. 6, 6) per Te. *Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu, ipse perficiet, confirmabit solidabitque* (I. Petr. 5, 10) opus Tuum in nobis.

Reverendissime Praesul!

Inter sex vitae decennia, per quinque in sacerdotio annorum hebdomadas ac per quattuor lustra in bono Episcopatus opere indefesse laborasti, viginti quinque templa ac undequadraginta altaria consecrasti et sacram litteraturam per plura septuaginta volumina locupletatus es, concedere dignare, ut sacerdotes, numero 260 Synodo

assistentes, maximas hisce grates referant et filialem reverentiam ac illimitatam obedientiam sincere promittant.

(Interea Celsissimo traditur pretiosum mnemosynum synoditarum).[1]

[1] Diploma memoriale, tabula marginata 10 centimetros lata inclusum, in charta firma 72 centimetrorum latitudinis et 56 centimetrorum altitudinis ita typis procusum est: Sub insigni celsissimi et reverendissimi Principis-Episcopi deaurato et corona coloris viridis circumcincto leguntur haec verba, quorum pars unacum nomine illustrissimi Praesulis colore aureo exornata est:

Reverendissimo, Celsissimo et Excellentissimo Domino Domino

Michaeli Napotnik,

Principi-Episcopo Lavantino,

Suae Sanctitatis Praelato domestico, Pontificio Solio Assistenti, Suae caes. ac regiae Apostolicae Maiestatis Consiliario intimo, Magna cum cruce caesarei Austriaci Ordinis Francisci Iosephi Ornato, Praeposito ecclesiae s. Mauritii et s. Magdalenae Frisaci in Carinthia, caes. et reg. Capellano palatino, Domus procerum atque Styriae Comitiorum provincialium Membro, Sacrosanctae Theologiae Doctori, Collegii Doctorum Theologicae Facultatis in caes. reg. Universitate scientiarum Vindobonensi Socio, Litterariae Societatis Leoninae austriacae Sodali honorario, Nummo bellico Decorato nec non Signo memoriae servitii militaris Distincto etc. etc. etc.

quintam Synodum dioecesanam

feliciter celebranti,

inter sex vitae decennia per quinque in sacerdotio annorum hebdomadas ac per quattuor lustra in bono Episcopatus opere indefesse laboranti, viginti quinque templa ac undequadraginta altaria consecrando et sacram litteraturam per plura septuaginta zeli Domini plena volumina locupletando, sacerdotes numero CCXXXVI Synodo assistentes maximas hisce grates referunt et filialem reverentiam ac illimitatam obedientiam sincere promittunt.

Marburgi, die 28. Augusti 1911.

Carolus Hribovšek, Praep. inful. Cap. cathedr. Lavant. — Dr. Ioannes Mlakar, Decanus Cap. cathedralis. — Iosephus Majcen, Can. sen. — Barthol. Voh, Canon. — Martinus Matek, Can. — Franciscus Moravec, Can. dec. Marb. a. r. D. s. — Iacobus Kavčič, Can. — Antonius Šlander, Can. hon. dec. Fori vet. — Simon Gaberc, Can. hon. dec. — Dr. Antonius Suhač, Can. hon. dec. ad s. Annam in Kremberg. — Franciscus Ogradi, Abbas inf. decanus Celeiensis. — Iosephus Fleck, Praep. et dec. Pettoviensis. — Franciscus Hrastelj, Archidiaconus et decanus Konjicensis. — Marcus Tomažič, dec. Kozjensis. — Adam Grušovnik, dec. Dravskopoljen. — Iacobus Hribernik, dec. Braslovčens. — Iacobus Caf, decanus ad s. Thomam. — Ios. Čižek, dec. Iarenin. — Martinus Jurkovič, dec. Ljutomericen. — Augustinus Hecl, dec. Mahrenberg. — Ioannes Bohanec, dec. Samarien. — Dr. Leopoldus Gregorec, dec. Neoecclesensis. — Franciscus Dovnik, dec. Gornjigraden. — Franciscus Šalamon, dec. Rogatcensis. — Iosephus Jurčič, dec. Vuzenicen. — Iosephus Kralj, decanus Zavrčensis. — Ioannes Rotner, decanus Scalensis. — Dr. Franciscus Kruljc, decanus Tyberiensis. — Iosephus Mešiček, adm. dec. Videmen. — Franciscus Bohak, dec. Slovenobistricensis.

Accipe benigne, Pater dilectissime, hoc signum reverentiae et dilectionis nostrae, in piam ac perpetuam memoriam huius Synodi, et benedic nos benedictione coelesti, ut opus sit perfectum!

Reverendissimus Ordinarius, de signo summae reverentiae Cleri synodalis grato sensu affectus, amoena verba, paternae dilectionis suae erga Clerum et populum suum plena, dixit et affirmavit, nihil se quaerere neque optare, nisi ut opera nostra gloria Dei semper augeretur et salus populi, nostrae curae commissi, ac nostra tutaretur:

In Christo carissimi synoditae!

In corde commotus grates congruas reddo Tibi, colende mi Domine Canonice, qui me adeo benevole allocutus es, easque exhibitas volo cunctis consodalibus, in quorum nomine ex quorumque mandato me tam pie salutavisti.

Pretiosum donum amodo mihi oblatum lubenti laetoque animo excipio. Istud erit mihi perenne memoriale Synodi hodie feliciter finitae omniumque residuarum Synodorum, quas celebrare intendi solummodo ad Dei gloriam amplificandam ac propriam Clerique populique sanctificationem promovendam.

Deum praepotentem et infinite misericordem supplex et acclinis rogo, ut vestrorum reverentiae et obedientiae votorum renovationem confirmare vosque sua coelesti benedictione ditare dignetur!

Sit nomen Domini benedictum!

Auspicem vero gratiae divinae se Synodo dare in episcopali benedictione, ait, sicut Promotores oravissent, e sincero suo corde. Ex hoc Synodi sodales omnes laeti, genuflexi, benedictionem dilectissimi sui Ordinarii acceperunt.

Ad altare denique maius illustrissimus Antistes accessit et sacris vestibus acceptis ad preces, in fine Sessionis publicae et ultimae dicendas, transiit. Itaque san-

ctissimum Sacramentum expositum est eoque incensato reverendissimus Antistes hymnum: *Te Deum* sollemni sono inchoavit, chorus vero et Clerus alta voce ad finem usque persolvit. ℣. et ℟. una cum oratione: *Deus, cuius misericordiae . .* dictis oratio finalis: *Nulla est, Domine* recitata est, et dedicatione dioecesis Lavantinae sacratissimo cordi Iesu renovata, congressores se laetabundi purissimo cordi beatae Mariae Virginis devoverunt.

Quod quum factum esset, incenso imposito et sanctissimo Sacramento incensato benedictio sacramentalis data est, postquam adagium *Sanctus* ter Cantores animati cecinerunt. Ea sacramentali benedictione ipsa Synodus finem accepit, et Ostiarii portas sacelli synodalis aperuerunt, et Lector Synodi, illustrissimo Ordinario annuente, praesenti populo fideli praelegit *publicationem indulgentiae plenariae:*

Publicatio
indulgentiae plenariae.

Tenor litterarum, a sacra Congregatione S. Officii die 29. Maii 1911 Nr. 2027/11 de concessione indulgentiae plenariae pro sexta Synodo editarum, est hic:

Beatissime Pater!

Episcopus Lavantinus, cum in eo sit ut celebret Synodum dioecesanam, diebus nimirum a 28. Augusti ad primam Septembris decurrentis anni 1911, ad pedes S. V. provolutus humillime petit, ut christifideles, qui, confessi ac s. communione refecti, aliquam civitatis Marburgensis ecclesiam praefato tempore visitaverint ibique ad mentem S. V. oraverint, semel plenariam indulgentiam defunctis quoque applicabilem lucrari valeant.

Et Deus.

Die 29. Maii 1911.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia PP. X. per facultates R. P. D. Adsessori Sancti

Officii impertitas benigne annuit pro gratia iuxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

(L. S.) **Aloisius Giambene** m. p.
Substitutus pro Indulgentiis.

Quibus perlectis concessio indulgentiae plenariae communicatur latine, theodisce et slovenice.

1. Vi facultatis a Sanctissimo Patre Pio X., per litteras S. Officii die 29. Maii 1911 Nr. 2027/11 obtentae, reverendissimus Dominus Michael, Dei grata miseratione Episcopus Lavantinus, occasione sextae Synodi dioecesanae Summi Pontificis nomine dat et concedit omnibus hic praesentibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta.

Rogate igitur Deum pro felici statu Sanctissimi Domini nostri Papae, Dominationis suae reverendissimae et sanctae matris Ecclesiae.

2. Kraft der von Seiner Heiligkeit Papst Pius X. durch das hl. Officium am 29. Mai 1911 Nr. 2027/11 erhaltenen Vollmacht erteilt der Hochwürdigste Herr Michael, durch Gottes Gnade und Barmherzigkeit Fürstbischof von Lavant, im Namen des Heiligen Vaters allen hier Gegenwärtigen, die ihre Sünden aufrichtig bereut, gebeichtet und die heilige Kommunion empfangen haben, in gewöhnlicher Kirchenform einen vollkommenen Ablass.

Lasset uns also beten für Seine Heiligkeit, für unseren Hochwürdigsten Oberhirten und für unsere Mutter die heilige Kirche!

3. Z ozirom na oblast, prejeto od svetega očeta papeža Pija X. s pismom svetega oficija z dne 29. maja 1911 štev. 2027/11, dovolijo in podelijo premilostljivi in prevzvišeni gospod Mihael, knezoškof Lavantinski, v imenu svetega očeta popolni odpustek po redu, določenem od svete Cerkve, vsem tukaj pričujočim, ki so svoje grehe resnično obžalovali, se jih izpovedali ter so sveto obhajilo vredno prejeli.

Molimo torej za svetega očeta rimskega papeža Pija, po previdnosti božji X., za našega milostljivega nadpastirja Mihaela in za našo mater sveto Cerkev!

Haec quum Lector Synodi clara voce praelegisset, celsissimus Episcopus synoditis et populo fideli indulgentias in forma praescripta pronunciavit et praesentibus laicis benedictionem sollemnem impertivit, Archidiaconus vero, iuxta reverendissimum Ordinarium stando, voce elata exclamavit: *Recedamus in pace!* Et reliqui responderunt: *In nomine Christi!* Statim Lector Synodi a reverendissimo Praeside Synodi reverenter *decretum de dimissione Synodi* expetiit et sic praelegit:

Decretum
de dimissione Synodi.

Ad gloriam Dei omnipotentis, ad laudem beatissimae Virginis Mariae et in honorem s. Michaelis archangeli Patroni nostri aliorumque coelestium Protectorum ecclesiae Lavantinae decernimus Synodum dimissam: ac propterea cuique eundum esse ad proprias ecclesias. Adhortamur autem omnes vos, fratres dilectissimi, ut tales vos praebeatis in ministerio vestro, quales maxime decet sacerdotem, ab omni mundanorum cura segregatum; illudque potissimum, quum redieritis, praestandum erit, ut populus vos ab hac Synodo non mediocrem fructum reportasse intelligat. Id fiet, si novo Spiritus Sancti luminè illustrati, quae magna Synodorum est vis ac virtus, caeteris in omni opere vestro imposterum praelucere studueritis et in omni parte officii vestri omnem diligentiam adhibueritis.

Priusquam vos, in Christo carissimi cooperarii in vinea Lavantina, remittamus ad novos labores, sudores et angores perferendos, Deum praepotentem et misericordem enixim exoramus, ut vos omni coelesti benedictione et gratia replere dignetur!

Datum Marburgi, in festo s. Aegidii Abb., die 1. mensis Septembris 1911.

His ita rite expeditis reverendissimus Dominus, vestimentis sacris depositis, Clerum synodalem in foribus ecclesiae s. Aloysii in nomine Domini dimisit atque de felici exitu grato animo affectus, in Aedes episcopales hora octava reversus est. Synodi socii vero ad suos quisque penates laeti redierunt.

Neque spiritualis eorum gaudii ratio defuit. Ex altera enim parte noverant, grande Synodi opus, quantum ad se pertineret, feliciter perfectum esse, ex altera vero se ei pro virili parte cooperatos esse.

Praeterea experti sunt, quanto labore opus fuisset eorum, qui materiam tam amplam, in Synodo tractandam, praeparaverant, et praecipue celsissimi sui Ordinarii, cuius maximae in illa partes fuerant.

Insuper mirati sunt, quod reverendissimus sacrorum Antistes, licet debili valetudine esset, nec corporis nec animae otio pepercisset, donec omnia, quae in Synodi actione pertractanda essent, ex praescripto peragerentur.

Itaque nos huic mnemosyno authentico cum sincero voto nostro finem damus, ut cunctis, qui huic Synodo patienter intererant eiusque Constitutiones fideliter servabunt, *et pax et caritas adimpleatur!* (Iud. 2).

Marburgi, in festo s. Aegidii Abb., die 1. mensis Septembris 1911.

Dr. Ioannes Mlakar,
Notarius Synodi.

Dr. Ioannes Jančič,
Testis vocatus.

Dr. Matthias Slavič,
Testis vocatus.

Depositio

Constitutionum, in proxima Synodo promulgandarum, in cancellaria princ.-episc. Ordinariatus.

Edictum invitatorium et promulgatorium, editum die 26. Aprilis 1911, quo sexta Synodus Lavantina notificatur et convocatur, disponit inter alia, quae sequuntur:

»Statuta, publicanda in Synodo ventura, omni quidem diligentia et circumspectione elaborantur nec non in quattuor Consiliis sive Congregationibus ad hoc deputandis acriter examinantur, exopto tamen animitus et volo, ut inde a die 5. evolventis mensis Augusti per quattuordecim dies in cancellaria princ.-episc. Ordinariatus prostent eum in finem, ut animarum pastores Lavantini ea legere, considerare et in plagulis adnexis adnotare queant, quaecumque eis digna esse videntur animadversione.«

Idcirco Constitutiones in proxima Synodo promulgandae inde a die 5. usque ad diem 19. mensis Augusti dilabentis anni in cancellaria princ.-episc. Ordinariatus depositae manebunt eum in scopum, ut ab eis, quorum interest, inspici possint.

Marburgi, in festo s. Dominici C., die 4. Augusti anno reparatae salutis 1911.

† **Michael,**
Ordinarius.

Pars tertia.

Constitutiones synodales.

Decretum,

quo Constitutiones Synodi dioecesanae Lavantinae, anno salutis 1911 congregatae et habitae, rite probantur publicanturque.

MICHAEL,

Dei grata miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum, Solio Pontificio Assistens, Suae caes. ac reg. Apostolicae Maiestatis Consiliarius intimus, sacrae Theologiae Doctor.

Ad Dei glorificationem eiusque Ecclesiae aedificationem atque ad Cleri populique Lavantini salutem Constitutiones in dioecesana Synodo, anno Domini 1911 celebrata, propositas ac stabilitas denique typis procusas, hisce approbamus auctoritate Nostra ordinaria easque sancimus, ratas validasque declaramus et iuris publici facimus eisque omnes eatenus, quos et quatenus respiciunt et in futurum respicient, inde a festo Omnium Sanctorum seu a die 1. mensis Novembris anni 1912 obligatos esse volumus atque mandamus.

Ad promptam statutorum salutarium observationem dioecesanos Nostros instiget ac moveat illa Spiritus Sancti beatitudo: *Qui custodit legem, beatus est* (Prov. 29, 18) eademque divini Redemptoris: *Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt!* (Luc. 11, 28).

Dabamus ex Curia Nostra principali-episcopali Marburgi, in festo s. Aegidii Abbatis, die 1. mensis Septembris anno a Christo nato 1911.

† **Michael,**
Princeps-Episcopus.

Martinus Matek,
Doctor romanus in iure canonico,
Secretarius Synodi.

Dr. Ioannes Mlakar,
Notarius Synodi.

Constitutiones synodales.

Constitutiones synodicae solito more dividuntur in *titulos* et tituli subdividuntur in *capita*, quae in libro praesenti numerantur ut reliqua capitum operis synodalis, anno 1907 typis divulgati.

Titulus primus.

De fide et doctrina catholica.

Fides catholica est salutis humanae initium et fundamentum necessarium. *Fides est* namque *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit.* (Hebr. 11, 1. 6).

Christianae fidei non solum cognitionem, verum etiam professionem et operationem necessariam esse, clare commonstrant divini Magistri verba: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.* (Matth. 10, 32. 33).

Discipulis, qui ob modicam fidem non potuerant sanare puerum lunaticum, dixit Iesus: *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis.* (Matth. 17, 20).

Fidem igitur, quae est iuxta sacrosanctum Concilium Tridentinum humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est ad filiorum Dei consortium pervenire (sess. VI. cap. 8), inviolate custodire eiusque depositum servare, primas nostrae curae pastoralis esse partes intendimus. Idcirco praeambula Constitutionum synodalium constituunt capita, quae fidem catholicam conservandam, profitendam ac defendendam propius tangunt. *Omnis, qui vivit et credit . . non morietur in aeternum.* (Ioan. 11, 26).

Caput CXLVI.

De observandis provincialis Concilii Salisburgensis Decretis, a Sancta Sede Apostolica anno Domini 1909 probatis et a Reverendissimo Metropolita in festo Paschatis 1910 promulgatis.[1]

In nomine sanctae et individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

NOS MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinorum, dilecto Clero et fideli populo dioecesano salutem bonumque omne in Domino!

Ad venerabile *decretum* Eminentissimi Metropolitae Domini Cardinalis Principis-Archiepiscopi, Salisburgi in festo Paschatis 1910 editum in opereque publici iuris facto, cui titulus: *Acta et Constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno Domini MCMVI celebrati:* paginis 55 et 56 republicatum, provocantes: officii ac muneris Nostri episcopalis esse ducimus, *Constitutiones*, quae in provinciali Concilio, Salisburgi anno 1906 habito, concordibus Episcoporum almae metropoliae votis sancitae, dein ab Eminentissimis Patribus S. Congregationis Concilii perpensae et recognitae atque a Summo Pontifice Pio, divina providentia X., cum laude probatae sunt, venerabili Clero Nostro et christifidelibus communicare. Id quod iam litteris Nostris die 24. mensis Aprilis 1910 fecimus et nunc etiam auctoritate synodali perficimus.

Per *circulare edictum* Consistorii Nostri de die 2. Novembris 1909 Num. 5067 parochis notificatum est, unum exemplar *Synodi provincialis* peculio singularum ecclesiarum curialium acquiri posse et debere. Insuper

[1] Folium officiale dioecesis Lavantinae de die 1. Iulii 1910, Nr. VII. alin. 55. pag. 114 et 115.

omnes animarum pastores comiter invitati sunt ad subnotationem egregii codicis legum provincialium. Subnotata sunt trecenta exemplaria. Porro *litteris* eiusdem Consistorii *circularibus* de die 17. Iunii 1910 Num. 2882 subnotantibus notum factum est, desideratum librum typis iam evulgatum esse et pretio 4 coronarum monetae austriacae prostare.

Communicantes itaque in nomine Domini *omnes et singulas Constitutiones*, a Patribus praefati Concilii ad maiorem Dei gloriam et spiritualem peramplae provinciae salutem datas nec non a supremo Sanctae Sedis arbitrio probatas, non solum Ipsi easdem animo, ad eas exequendas paratissimo, excipimus et recipimus, verum etiam auctoritate Nostra episcopali sancimus et ordinamus, ut a carissimo Clero et dilecto populo, curae Nostrae pastorali concredito, pari pietate et voluntatis promptitudine excipiantur et quantum pro personarum locorumque ac temporum conditione fieri poterit, religiose et sincere observentur.

Monemus itaque et in virtute ac sub merito salutaris obedientiae obligamus *omnes* huiatenus dioecesis animarum *pastores*, ut tamquam providi cooperatores episcopalis ordinis Nostri unita sacrorum Antistitum provinciae Salisburgensis conamina adiuvent et piissima *Constitutionum dilaudati Concilii* observatione oviculis, speciali singulorum curae commissis, praeluceant talique modo tum propriae sanctificationis augmentum tum reflorescentis in pervetusta hac provincia agri Dominici solamen et meritum acquirant.

Item monemus et obstringimus cuiuscumque ordinis sive tituli *superiores* et singulorum conventuum *rectores*, ut quantum uniuscuiusque sive dignitas sive munus ecclesiasticum exigit et permittit, *exequendis provincialibus decretis* omnes industriae nervos intendant, sedulo curantes, ut leges Ecclesiae piaque monita et mandata *Congressus metropolitici* subditis eorum opportune innotescant, oblata quavis occasione singularum *Constitutionum* executionem, prout spiritus et prudentia sugges-

serit, urgeant atque singulis observanda proponere non desistant.

In votis habemus et desideramus, ut *sacerdotes Lavantini* Constitutionum provincialium *codicem* sibi procurent, illum crebro pervolvant, lecta memoriae mandent, ne constituta salutaria in oblivionem veniant. Et quoniam maxime Nobis cordi est, ut *clerici* sacro Ecclesiae ministerio succrescentes inter caetera, quae ad disciplinam ecclesiasticam et curam pastoralem gerendam pertinent, leges Nostras provinciales adprime ediscant, cohortamur studii theologici *professores*, ut in praelectionibus suis data quavis occasione singula novissimi Concilii provinciae Salisburgensis decreta explicare haud praetermittant. Eum in finem per seminarii Nostri *superiores*, quantum fieri poterit, etiam peculiares instructiones cum de statutis Nostris synodalibus tum de decretis Concilii provincialis habendae sunt.

Commonemus tandem et auctoritate Nostra ordinaria obtestamur *dilectos Christicolas*, ut quae e praelaudatis Constitutionibus per parochos, concionatores et confessarios eis suggerentur, grati docilesque accipiant et fideliter observare conentur non ut verba hominum sed sicut eloquia ministrorum Dei.

Denique commune votum Nostrum communis etiam *oratio* prosequatur, ut Deo duce et auspice omnes inveniamur *legis non auditores tantum sed factores* (Iac. 1, 22), utque de cunctorum profectu in via salutis fiant gaudia aeterna et pastorum et ovium per Dominum Nostrum Iesum Christum, *cui honor et gloria in saecula saeculorum! Amen.* (I. Tim. 1, 17).

Dabamus in residentia Nostra princ.-episc. Marburgi, in Decollatione s. Ioannis Baptistae, Patroni ecclesiae cathedralis Lavantinae, die 29. mensis Augusti. 1911.

† **Michael,**
Princeps-Episcopus.

Caput CXLVII.

De foedere Missarum sacerdotali.

Multis abhinc annis et prout ex actis in archivo dioecesano erui potuit, certe inde ab anno 1813 in dioecesi Lavantina pia viget sacerdotum confoederatio, e cuius instituto omnes sacerdotes dioecesani pro defunctis confratribus sacrosanctum Missae sacrificium Deo offerunt. Quem in finem tertio quoque mense nomina sacerdotum infra hoc tempus vita functorum in dioecesi publicantur.

Sodalitati huic adscribebantur omnes sacerdotes dioecesani, qui accepto sacro Presbyteratus ordine, quomodocumque in cura animarum operabantur aut senio sive corporis imbecillitate impediti in quiescentia degebant.

Translata anno 1859 sede episcopali Lavantina ab oppido s. Andreae in valle Lavantina Marburgum et peracta nova huius dioecesis circumscriptione, sacerdotes decanatuum, usque ad id tempus ad dioecesim Seccoviensem pertinentium, nunc vero dioecesi Lavantinae adscriptorum, litteris princ.-episc. Ordinariatus Lavantini die 29. Novembris 1859 Nr. 2141 datis invitati sunt, ut nomen darent praedictae sodalitati. Quae litterae sic sonant:

An das hochwürdige F.-B. Dekanalamt

in

N. N.

Es ist ein heiliger und heilsamer Gedanke, für die Verstorbenen zu beten. (II. Mach. 12, 46). Noch heilsamer ist es nach der Lehre unserer heiligen katholischen Kirche, für unsere Glaubens- und Standesgenossen das heilige Meßopfer dem Allerbarmer darzubringen, als ein Unterpfand unserer gegenseitigen christlichen Liebe, die auch über die dunkle Pforte des Grabes und des Jenseits reicht und wirkt.

Von diesem frommen Gedanken beseelt, haben sich die Priester des alten Diözesananteiles vor vielen Jahren

verbunden, für jeden verstorbenen Diözesanpriester eine hl. Messe zu verrichten, um den Seelentrost zu haben, daß alle Mitbrüder des ganzen Kirchsprengels des verstorbenen Mitarbeiters im Weinberge des Herrn am Altare gedenken und so viele Seelenmessen für ihn gelesen werden, als es Priester in der Diözese gibt, was um so heilsamer erscheint, als viele Priester nicht in der Lage sind, für ihre Seelenruhe Stiftungen zu machen oder bedeutende Legate auf Lesung heiliger Seelenmessen zu bestimmen.

Demzufolge wird vom Ordinariate alle Quartale ein Verzeichnis der im letztabgelaufenen Vierteljahre im Herrn entschlafenen Diözesanpriester durch die Dekanalämter bekannt gegeben, damit sich die Verbrüderten dieselben in ihre Messenprotokolle vormerken und für jeden derselben sobald als möglich das heilige Meßopfer verrichten.

Weil aber geistliche Wohltaten niemandem aufgedrungen werden, so geschieht hiemit an alle wohlehrwürdigen Priester des neuen Lavanter Diözesananteiles die Einladung, den Beitritt durch ihre eigene Unterschrift bis Ende dieses Jahres zu erklären, damit ihnen vom 1. Jänner künftigen Jahres an die Namen der verstorbenen Mitbrüder kundgemacht werden.

Das hochwürdige Dekanalamt wird angewiesen, nach geschehener Bekanntgabe dieses Zirkulare, mit den Unterschriften der beigetretenen Priester versehen, anher rückzusenden.

F.-B. Lavanter Ordinariat zu Marburg, am 29. November 1859.

Anton Martin,
Fürstbischof.

Omnes sacerdotes, ad quos haec invitatio directa est, memoratae sodalitati libenti animo accesserunt, adiecta proprii nominis subscriptione.

Ut autem pia haec et laudabilis confoederatio gratiis etiam spiritualibus ditaretur, iam felicis recordationis

decessor Noster Iacobus Maximilianus anno 1877 sacerdotibus dioecesanis, pro defuncto sodali Sacrum peragentibus, a sancta Sede Apostolica indultum altaris privilegiati personale impetravit hisce precibus:

Beatissime Pater!

In dioecesi mea Lavantina iam multis abhinc decenniis inter presbyteros saeculares, immo et nonnullos regulares pia unio viget, vi cuius pro unoquoque sodali defuncto omnes sodales viventes unam sacram Missam legant et applicent.

Iam vero in conferentiis pastoralibus anni currentis a sodalibus motio valde laudabilis facta est, ut pro hac pia unione apud sanctam Sedem favores altaris privilegiati efflagitarentur, quatenus exinde sodales defuncti uberiores adhuc salutis fructus consequerentur.

Quibus votis innixus humillime infrascriptus orator Sanctitatem Vestram summa cum reverentia exorat, ut Sanctitas Vestra praefatae unioni favores altaris privilegiati clementissime concedere dignetur hunc in modum, ut omnis sodalis, quando pro defuncto sodali Sacrum peragit, pro hac vice personali altaris privilegio fruatur.

Ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, benedictionem Apostolicam humillime petit

Sanctitatis Vestrae . . .

Marburgi in Austria, die 14. Novembris 1877.

His precibus Sanctissimus Pater Pius PP. IX. clementer indulsit Brevi de die 27. Novembris 1877.[1]

Pius PP. IX.

Ad futuram rei memoriam. Omnium saluti paterna caritate intenti coelestes Ecclesiae thesauros humilitati Nostrae commendatos reseramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini Nostri Iesu Christi et Sanctorum suffragia meritorum assequi possint, quibus adiutae a purgatorii poenis ad aeternae vitae gaudia traducantur.

[1] Schlußprotokoll über die im Jahre 1877 in der Lavanter Diözese abgehaltenen Pastoralkonferenzen. Pag 8 et 9.

Eapropter, quum, sicut Nobis exponendum curavit venerabilis Frater Iacobus Maximilianus, Episcopus Lavantinus, in sua dioecesi pia quaedam presbyterorum saecularium ac regularium societas legitime constiterit ad ferenda suffragia sodalibus defunctis, pro quibus a Nobis exoptat privilegium Apostolicum Missarum, Nos huiusmodi societatis votis ab eodem venerabili Fratre commendatis adnuere lubenti animo volentes, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. eius auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos quilibet saecularis seu cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti regularis e praefata societate sodalis nunc et pro tempore existens, Missam ex instituto societatis praescriptam pro cuiuscumque ex eadem societate christifidelis presbyteri anima, quae Deo in caritate coniuncta ab hac luce migraverit, ad quodlibet cuiusvis ecclesiae altare celebrabit, animae seu animabus defunctorum christifidelium praedictae societatis olim sodalium, pro qua seu pro quibus Missae sacrificium huiusmodi celebratum fuerit, perinde suffragetur, ac si ad altare privilegiatum fuisset celebratum, tenore praesentium concedimus.

Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus ad decennium tantum valituris.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris, die 27. Novembris 1877, Pontificatus Nostri trigesimo secundo.

Pro D. Card. **Asquinio**
D. Iacobini, substit.

Quum privilegium, hoc Brevi benignissime concessum, iam anno 1887 exspirasset, Nos anno 1895 sequentem libellum supplicem sanctae Sedi Apostolicae substravimus:

Beatissime Pater!

In dioecesi mea Lavantina iam multis abhinc decenniis inter presbyteros saeculares pia unio viget, vi cuius pro unoquoque sacerdote defuncto singuli sacerdotes dioecesani sacram Missam celebrent et applicent.

Ad supplicationem p. m. praedecessoris mei Iacobi Maximiliani de die 14. Novembris 1877 Sanctissimus Pater Pius PP. IX. tenore Brevis de die 27. Novembris 1877 piae unioni huic benigne concessit, »ut quandocumque sacerdos quilibet saecularis seu cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti regularis e praefata societate sodalis nunc et pro tempore existens, Missam ex instituto societatis praescriptam, pro cuiuscumque ex eadem societate christifidelis presbyteri anima, quae Deo in caritate coniuncta ab hac luce migraverit, ad quodlibet cuiusvis ecclesiae altare celebrabit, animae seu animabus defunctorum christifidelium praedictae societatis olim sodalium, pro qua seu pro quibus Missae sacrificium huiusmodi celebratum fuerit, perinde suffragetur, ac si ad altare privilegiatum fuisset celebratum«.

Quum vero hocce privilegium altaris, ad decennium tantum valiturum, iamdudum exspiraverit, humillime supplico Sanctitati Vestrae, quatenus istud clementissime prorogare dignetur.

Ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, benedictionem Apostolicam humillime petit

Sanctitatis Vestrae . . .

Marburgi, die 7. Februarii 1895.

Breve Sanctissimi Patris Leonis PP. XIII., quo privilegium praedictum prorogatur, sonat, ut sequitur:[1]

Leo PP. XIII.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem!

Exponendum curasti Nobis, in tua ista dioecesi Lavantina piam presbyterorum sodalitatem pluribus ab-

[1] Kirchl. Verordnungs-Blatt für die Lav. Diöz. Nr. II ex 1895, alin. 1. pag. 1 et 2.

hinc annis erectam canonice fuisse, cuius ex instituto quum aliquis ex sodalibus supremum obierit diem, a caeteris omnibus eidem perlitatur.

Quo vero sacerdotes ex huiusmodi sodalitio animabus confratrum defunctorum, quae purgatorio igne detineantur, uberius succurrere valeant, Nos enixe rogasti, ut Missas, quas ipsi sint pro defunctis sodalibus celebraturi, coelestium munerum, quorum dispensatores Nos esse voluit Altissimus, largitate ditaremus.

Nos itaque piis hisce votis, quantum cum Domino possumus, obsecundare volentes, de omnipotentis Dei misericordia et BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque quilibet e presbyteris in praefatum sodalitium adlectis vel in posterum adlegendis sacrosanctum Missae sacrificium pro anima uniuscuiusque eiusdem societatis sodalis, quae Deo in caritate coniuncta ab hac luce migraverit, ad quodlibet cuiusvis ecclesiae altare celebrabit, animae seu animabus, pro qua vel pro quibus celebratum fuerit, perinde suffragetur, ac si ad privilegiatum altare fuerit celebratum, auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi concedimus atque indulgemus.

Non obstante Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus ad decennium tantum valituris.

Volumus, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris, die 16. Februarii 1895. Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

Pro Dom. Card. **De Ruggiero**
Nicolaus Marius Subsecr.

Anno 1905 nova prorogatio praefati privilegii a Nobis expetita et impetrata est hisce litteris supplicibus[1]:

Beatissime Pater!

In dioecesi mea Lavantina iam multis abhinc decenniis inter presbyteros pia unio viget, vi cuius pro unoquoque sacerdote defuncto singuli sacerdotes dioecesani s. Missam celebrent et applicent.

Ad supplicationem meam de die 7. Februarii 1895 fel. rec. Summus Pontifex Leo XIII. tenore Brevis die 16. Februarii 1895 editi piae huic unioni benigne concessit, »ut quandocumque quilibet e presbyteris in praefatum sodalitium adlectis vel in posterum adlegendis sacrosanctum Missae sacrificium pro anima cuiuscumque eiusdem societatis sodalis, quae Deo in caritate coniuncta ab hac luce migraverit, ad quodcumque cuiusvis ecclesiae altare celebrabit, animae seu animabus, pro qua seu pro quibus celebratum fuerit, perinde suffragetur, ac si ad privilegiatum altare fuerit celebratum.«

Quum vero hoc privilegium altaris, ad decennium tantum valiturum, die 15. Februarii anni vertentis, exspiraverit, humillime supplico Sanctitati Tuae, quatenus istud clementissime prorogare dignetur.

Ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, benedictionem Apostolicam devotissime peto

Sanctitatis Tuae humillimus et obedientissimus
filius et famulus

Marburgi in Styria, Austria,
die 16. Februarii 1905.

† **Michael,**
Episcopus Lavantinus.

Pergratum Nobis est, subnectere Breve Apostolicum, quo Christi regnum, sanctam Ecclesiam catholicam, nunc gloriose regnans Sanctissimus Pater Pius PP. X. petitioni Nostrae benigne annuit.

---

[1] Kirchl. Verordnungs-Blatt für die Lav. Diöz. Nr. IV ex 1905, alin. 27. pag. 73.

Pius PP. X.

Ad futuram rei memoriam. Cum, sicut accepimus, in dioecesi Lavantina pia quaedam presbyterorum saecularium unio canonice, ut asseritur, erecta exsistat, Nos oblatis Nobis precibus a venerabili Fratre Michaele hodierno Episcopo Lavantino benigne annuere volentes, de omnipotentis Dei misericordia et BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque quilibet ex presbyteris saecularibus dictae piae unioni adscriptis vel in posterum adscribendis sacrosanctum Missae sacrificium pro anima cuiuscumque dictae unionis sodalis in purgatorio detenta ad quodlibet altare cuiusvis ecclesiae celebrabit, animae, pro qua celebratum fuerit, perinde suffragetur, ac si ad altare privilegiatum fuerit peractum, Apostolica auctoritate vi praesentium concedimus et indulgemus.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad decennium valituris.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris, die 28. Februarii 1905. Pontificatus Nostri anno secundo.

Pro Dom. Card. **Macchi**
N. Marini.

Privilegium ergo praedictum usque ad annum 1915 perdurabit.

Anno 1895 confectus est index, in quo nomina inscribuntur omnium, qui sacrum Presbyteratus ordinem susceperunt ac proinde sodales fiunt huius piae unionis.

Quodsi sacerdotes regulares intra ambitum dioecesis Lavantinae degentes, sodalitati huic adscribi cupiunt, desiderium suum in scriptis pandant princ.-episc. Ordinariatui. Per se patet, eos suscipere debere obligationem offerendi Missae sacrificium pro defunctis sacerdotibus dioecesanis, ut Deus eis refrigeret.

Ut omnes, ad quos pertinet, obligationi susceptae satisfacere valeant, mandamus, ut iuxta consuetudinem iam introductam elapso tertio quoque mense notificen-

tur illis nomina sacerdotum, intra hoc temporis spatium in Domino defunctorum, quatenus omnes sciant, pro quibusnam confratribus Missae sacrificium Deo offerre debeant.

Item omnibus sacerdotibus in memoriam revocamus, quod alio iam loco ordinavimus et praescripsimus, ut nempe Missas pro defunctis sacerdotibus dioecesanis aut in separato catalogo aut sub finem catalogi, pro Missis manualibus inscribendis destinati, adnotent.[1]

Caritas enim Christi urget nos. (II. Cor. 5, 14). *De caritate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis.* (I. Thes. 4, 9). *Caritas fraternitatis maneat in vobis!* (Hebr. 13, 1).

Caput CXLVIII.

De sodalitate sacerdotum dioecesis Lavantinae mutuo levamini instituta.

Christus Dominus, cui angeli ministrabant, loculos habuisse legitur ac in eis, quae mitterentur, servavisse. (Ioan. 12, 6). Neque arbitrandum est, hoc sine ratione Ecclesiae modo aedificandae contigisse, nam *Dominus*, ut divus Paulus observat, *ordinavit eis, qui evangelium annunciant, de evangelio vivere.* (I. Cor. 9, 14). Ex his patet, in Ecclesia Christi beneficium recte propter officium dari eaque, beneficium et officium, inter se sic connexa esse, ut is, qui officium suscipit, beneficio sustentetur.

Iniuria temporum tamen fieri potest et solet, ut reditus beneficii officii indigentias non exaequent, et huic aliunde succursu opus fiat. Huiusmodi succursui, quandoque clericis praestando, sodalitatis institutio, de qua agitur, destinata est. Etenim Cleri curati conditio materialis hinc inde ea est, ut singuli ne nummulum quidem reponere possint, quo difficultates, si quod in-

[1] Ecclesiae Lavant. Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXII. pag. 528.

fortunium irruerit, inde eis ortas, cum status sui decore superare valeant, nisi eis auxilium aliunde venerit.

Hoc auxilium praedecessor Noster piae memoriae *Iacobus Maximilianus* primo afferre voluit sacerdotibus emeritis, dum »fundum quem vocant emeritorum« anno 1863 institueret. Hoc enim anno statuta sodalitatis, »fundi emeritorum« nuncupandae, Clero dioecesano proposuit eumque speciali modo invitavit, ut qui ea probaret, societati se adiungeret.

Statuta illa quinque paragraphis componuntur, quarum prima de fine sodalitatis agit, scilicet subsidii sacerdoti dioecesano, socio egeno »fundi emeritorum« et sine sua culpa in statu deficientiae versanti vel emerito, praestandi. Altera inter media sodalitatis sodalium tributa, dona, legata refert. Tertia statuit, ut omnes sacerdotes dioecesani sodales esse possint, sive iam in cura animarum sunt sive postea erunt, modo sodalitati annumerari velint et certas eius conditiones impleant. Quarta modum sodalitatis administrandae et subsidii sociis praestandi describit. Quinta denique de sodalitatis dimissione eiusque facultatum ultima destinatione tractat.[1]

Hic »fundus emeritorum« ex se sociis suis, in penuria inculpata existentibus, multa subsidia praestitit suoque fini liberaliter satisfecit, reliquo tamen Clero parum utilitatis praebuit. Quoniam vero sacerdotes, cura animarum occupati, non in meliore redituum conditione versabantur, multis opportunum videbatur, ut aut hi quoque beneficia »fundi emeritorum« participarent aut, quod praestaret, ut curionum sodalitas institueretur. Etenim eorum conditio materialis non solum infirmitate debilitaretur, sed etiam infortuniis et iniqua tempestate reditus minuerentur, ideoque ipsi auxilio saepe numero aliunde indigerent. Quocirca celsissimo praedecessore Nostro annuente et omnium consensu »fundus emeritorum« fundo dioecesano et sodalitati, de qua tractamus, locum cessit. Edicto enim reverendissimi princ.-episc. Ordina-

[1] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese, 1863. Num. IX. alin. 2. pagg. 1—4.

riatus de die 28. Decembris 1872 num. 3569 enunciatum est, sodalitatem sacerdotum dioecesis Lavantinae institutum iri, dum dimidia pars eorum illi se adiungeret.

Statuta huius sodalitatis typis excusa et die 16. Maii 1873 singulis sacerdotibus transmissa sunt.[1] Interea caes. reg. gubernium statuta recognovit et princ.-episc. Ordinariatus confirmavit, ut »sodalitas sacerdotum dioecesis Lavantinae mutuo levamini instituta« die 14. Decembris 1873 comitia sodalitati instituendae celebrare potuerit.[2] Sodalitas ista statuta sua, in primis comitiis sodalium generalibus accepta, per tria fere decennia integra reservavit, in comitiis sodalium die 11. Novembris 1903 tamen recognita sunt et eo immutata, ut sodales, simulatque sodalitati se adiunxerunt, beneficia sodalitatis participare possent. Haec modificata statuta a Nobis die 10. Decembris 1903 num. 4114 confirmata[3] et a caes. reg. gubernio die 26. Ianuarii 1904 num. 1632 exhibita sunt. Haec statuta, in lingua vernacula concepta et sub margine posita,[4] singuli sacerdotes in suo accessu accipiunt, et in latino sermone sic sonant:

---

[1] Haec legi possunt in „Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese“ 1873. Litterae adiectae de die 16. Maii 1873. — [2] Acta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1883 celebratae. Marburgi, 1883. Cap. XIV. pag. 82 et 83. — [3] Verba confirmatoria sunt haec:

Št. 4114.

Mnogočastitemu predstojništvu „družbe duhovnikov Lavantinske škofije“ v Mariboru.

Kn.-šk. ordinariat rad potrdi izpremembo pravil „družbe duhovnikov Lavantinske škofije“, kakor jih je občni zbor te družbe dne 11. novembra 1903 sklenil in jih je mnogočastito predstojništvo dne 30. novembra 1903 št. 327 tukaj predložilo, ker izpremenjena pravila določajo, da ima vsak družbenik takoj po svojem pristopu tudi pravico do društvenih dobrot, kar je važno zlasti za naš duhovski naraščaj, in ker tudi druge izpremembe pravil merijo le na to, razvoj hvalevredne družbe pospešiti.

Bog blagoslovi času primerno družbo in njeno karitativno delovanje!

Kn.-šk. Lavantinski ordinariat v Mariboru, dne 10. decembra 1903.

† MIHAEL,
knezoškof.

[4] **Pravila družbe duhovnikov Lavantinske škofije.**

Člen I.

Ime, pokrovitelj in sedež.

§ 1. *Ime* in *pokrovitelj*. Med duhovniki Lavantinske škofije se je osnovala družba v medsebojno pomoč, ki se imenuje *družba duhovnikov Lavantinske škofije*. Njen pokrovitelj je *premilostljivi knez in škof Lavantinski*.

Statuta

sodalitatis sacerdotum dioecesis Lavantinae mutuo levamini institutae.

Articulus I.

Nomen. Protector. Sedes.

§ 1. *Nomen* et *Protector.* Inter sacerdotes dioecesis Lavantinae sodalitas in mutuum levamen erecta est et *sodalitas sacerdotum dioecesis Lavantinae* appellatur. Eius Protector ***reverendissimus Princeps et Episcopus Lavantinus*** est.

§ 2. *Sedes.* Sedes sodalitatis est *Marburgum.*

Articulus II.

Finis sodalitatis.

§ 3. Finis sodalitatis duplex est:

1. Subsidium *activorum* sodalium, quorum paupertas demonstrata est, vel qui iniqua tempestate aut alio infortunio oppressi sunt.

2. Levamen *infirmorum deficientium* ac *emeritorum* sodalium.

Articulus III.

Reditus sodalitatis.

§ 4. Reditus sodalitatis sunt:

1. Substantia »fundi emeritorum« accepta.

---

§ 2. *Sedež.* Družba ima svoj sedež v *Mariboru.*

Člen II.

Namen družbe.

§ 3. Namen družbe je dvojen:

1. Podpora *služečih* družbenikov, katerih uboštvo je dokazano, ali kateri so od elementarnih ali drugih nesreč zadeti.

2. Podpora *bolnih*, *onemoglih* in *dosluženih* družbenikov.

Člen III.

Dohodki družbe.

§ 4. Dohodki družbe so:

1. Premoženje nekdanje zaloge za „dosložene“ duhovnike (Emeritenfond).
2. Vloge družbenikov:
   a) njih ustanovnina, *b*) njih letnina.
3. Darovi in izporočila duhovnikov in drugih dobrotnikov.
4. Obresti glavne zaloge.

2. Tributa sodalium:
   a) fundamentalia, *b)* annua.
3. Dona et legata sacerdotum et aliorum benefactorum.
4. Foenora fundamentalium facultatum.

Articulus IV.

Fundamentales facultates.

§ 5. Fundamentales facultates, quae numquam insumendae sunt, sed quarum solae usurae consumi possunt, componuntur:

1. Substantia »fundi emeritorum« (§ 4, 1).
2. Tributis fundamentalibus sodalium.
3. Tributis sodalium annuis semel pro semper solutis.
4. Donis et legatis, nisi speciales fines additi sunt. — Nihilo minus consilio delecto permittitur, ut dona et legata, si mobilia traduntur et si indigentia gravis est, per partes vel etiam integra insumat.

Articulus V.

Sodales.

§ 6. *Acceptio.* Sodales sunt:

Omnes sacerdotes dioecesis Lavantinae, si sodalitati se adiungunt.

Accessus sodalitatis praesidio annunciatur.

Člen IV.

Glavna zaloga.

§ 5. Glavna zaloga, ki se ne sme nikdar načeti, ampak se rabijo le njene obresti, se sestavlja:

1. Iz premoženja nekdanje zaloge za doslužene duhovnike (§ 4, 1).
2. Iz ustanovnin družbenikov.
3. Iz letnin družbenikov, ki se enkrat za vselej plačajo.
4. Iz darov in izporočil, ako jim niso pristavljeni posebni nameni. — Vendar je odboru dopuščeno, darove in izporočila, ki se oddajajo v premakljivem blagu, ako je potrebščina silna, deloma ali tudi popolnoma porabiti.

Člen V.

Družbeniki.

§ 6. *Sprejem.* Družbeniki so:

Vsi duhovniki Lavantinske škofije, ako k družbi pristopijo. Pristop se naznani društvenemu predstojništvu.

Kdor v dveh letih po nastopu službe v Lavantinski škofiji ne pristopi k družbi, mora pri poznejšem pristopu plačati letnino za toliko let nazaj, kolikor je odlagal svoj pristop.

Qui in biennio, ex quo munere sacerdotali intra dioecesim Lavantinam fungitur, sodalitati non accesserit et postea accedere velit, tributum annuum tot annorum solvere debet, per quot accessum distulerit.

§ 7. *Obligationes.* Unusquisque sodalis se obligat ad sequentia:

1. Tributum fundamentale 100 K una vice vel per quinque partes annuas solvat.

2. Annuatim 2 K aut 40 K semel pro semper contribuat.

3. In suo testamento tantum quantum sodalitati leget.

4. In s. Missa sodalium ac benefactorum vivorum et defunctorum pie meminerit.

5. Neopresbyteris, si sodalitati accedere volunt, conceditur, ut primos tres annos sui muneris sacerdotalis annuum tantum tributum et inde a quarto anno fundamentale solvant.

§ 8. *Iura.* 1. Unusquisque sodalis, ex quo sodalitati accesserit, ius in beneficia in articulo VI. annotata habet.

2. Unusquisque sodalis ius habet participandi sodalitatis comitia, in eis secundum ordinem, in actionibus observandum, loquendi, rogationes suffragiaque ferendi et ita in omnibus negotiis cooperandi, quae § 21. comitiis generalibus committuntur.

§ 9. *Egressus.* Sodalis esse cessat:

1. Qui suum egressum in scripto annunciat.

---

§ 7. *Dolžnosti.* Vsak družbenik se zaveže:

1. Plačati ustanovnino po 100 K ali naenkrat ali v petletnih obrokih.

2. Plačevati letnino po 2 K ali pa mesto nje enkrat za vselej 40 K.

3. V svoji oporoki kolikor toliko družbi izporočiti.

4. Pri sveti maši se pobožno spominjati živih in mrtvih družbenih članov in dobrotnikov.

5. Novoposvečenim mašnikom, ki želijo pristopiti, se dovoli, da plačujejo prva tri leta samo letnino ter začnejo šele četrto leto plačevati ustanovnino.

§ 8. *Pravice.*

1. Vsak družbenik ima po svojem pristopu pravico do dobrot, v členu VI. zaznamovanih.

2. Vsak družbenik ima pravico, udeleževati se društvenih zborov, po določilu opravilnega reda tam govoriti, predlagati, glasovati in tako pri vseh poslih sodelovati, katere prilastuje § 21. občnim zborom.

§ 9. *Izstop.* Družbenik neha biti:

1. Kdor svoj izstop pismeno naznani.

2. Kdor iz zaveze Lavantinske škofije izstopi.

2. Qui e dioecesi Lavantina egreditur.

3. Qui anno peracto, scripto monitus, sodalitatis obligationes intra sex hebdomadas non reparavit vel prolongationem termini non petiit, quam concedere apud praesidium est.

Sodales egressi omnia iura in beneficia sodalium amittunt atque in restitutionem tributorum, quae sodalitati solverant.

Articulus VI.

Subsidia.

§ 10. Singula subsidia regulariter 200 K excedere non debent.

Eidem sodali semel tantum intra annum subsidium concedi potest.

§ 11. Unumquodque subsidium scripto, sufficienter probando, a consilio delecto petendum est. E petitione patere debet imprimis: paupertatem veram et *inculpatam* esse.

§ 12. Sanis et in suo munere adhuc versantibus sodalibus subsidium solum in adiunctis in § 3, 1 annotatis concedi potest.

Articulus VII.

Sodalitatis regimen.

§ 13. Ad sodalitatem regendam in sede sodalitatis regimen constituitur, et eo sodalitatis comitia convocanda sunt.

---

3. Kdor po preteklem društvenem letu pismeno opominjan, v šestih tednih ne poravna zaostalega plačila ali ne prosi za podaljšanje obrokov, katere dovoliti ima predstojništvo pravico.

Družbeniki, ki so izstopili, izgubijo vso pravico do podpor iz društvene blagajne in do povračila že plačanih vlog.

Člen VI.

Podpore.

§ 10. Podpora navadno ne sme biti večja od 200 K.

Istemu družbeniku se sme le enkrat v letu podeliti podpora.

§ 11. Za vsako podporo se mora prošnja, dostojno opravičena, pri odboru pismeno vložiti. Iz prošnje mora biti zlasti razvidno, da je uboštvo resnično in *nezadolženo*.

§ 12. Zdravim in še v službi stoječim društvenikom se sme podpora podeliti le v razmerah v § 3. 1 zaznamovanih.

A. Regimen.

§ 14. *Partitio.* Regimen 9 membra habet, scilicet praesidem, praesidis vicarium, secretarium et arcarium atque 5 socios.

§ 15. *Electio.* Comitia sodalitatis generalia 9 sodales deligunt et hi e suo gremio eligunt praesidem, eius vicarium seu vices gerentem, secretarium atque arcarium. Absentes possunt ad hanc electionem sua suffragia scripta comitiis mittere.

Omnia regiminis membra ad triennium deliguntur et vel Marburgi vel in huiusmodi locis habitare debent, unde facile in conventus venire queant. Consilium delectum ius habet in locum comitum, qui inter hoc triennium e sodalitate fors egrediuntur, usque ad proxima comitia generalia alios sodales subrogandi.

§ 16. *Ambitus actionum.* Ad ambitum actionum consilii delecti pertinet:

1. Sodalitatem immediate regere et omnia eius bona, mobilia et immobilia, administrare.
2. Subsidia concedere.
3. Sodalitatem in negotiis cum magistratibus per praesidem vel eius vicarium repraesentare.

Člen VII.

Društveno vodstvo.

§ 13. Za vodstvo družbe se sestavi na njenem sedežu predstojništvo, in tamkaj se sklicujejo društveni zbori.

A. Predstojništvo.

§ 14. *Razvrstitev.* Predstojništvo ima 9 odbornikov. Vrstijo se v predsednika, predsednikovega namestnika, tajnika, denarničarja in 5 odbornikov.

§ 15. *Volitev.* Občni zbor izvoli 9 odbornikov, in ti volijo izmed sebe predsednika in predsednikovega namestnika, tajnika in denarničarja. — Nepričujoči smejo glas za to volitev poslati pismeno občnemu zboru.

Vsi odborniki se volijo na tri leta, in morajo ali v Mariboru ali na takih krajih stanovati, da lahko dohajajo k sejam.

Odbor ima pravico, odbornike, ki med volitvenim obrokom izstopijo, do prihodnjega občnega zbora nadomestiti.

§ 16. *Področje.* V odborovo področje spada:

1. Družbo neposredno voditi in vse njeno premakljivo in nepremakljivo premoženje opravljati.
2. Podpore priznavati.
3. Družbo v občevanju z javnimi uradi zastopati po predsedniku ali njegovem namestniku.

4. Mutationem statutorum vel etiam dimissionem sodalitatis comitiis suadere.

5. Sodalium dissidia componere; haec in rebus sodalitatis sententia dicta componuntur. In deputationem pacificantem alterutra pars binos iudices intra octo dies eligit et hi quattuor iudices praesidem, non tamen e suo numero, eligunt. Quod si intra octo dies non perficitur, consilium ipsum et iudices et praesidem eligit. Per sententiam, ab hac deputatione latam, causa finita est.

6. E sacerdotibus omnium decanatuum virum quem *confidentialem* vocant eligere, quocum in rebus sodalitatis, si necessitas fert, consilia confert quique ius habet ex se consilio delecto referendi, quidquid ipsi in sodalitate administranda necessarium vel utile esse videtur.

§ 17. *Conventus.* Ut consilium istud suo munere rite fungatur, invitatione per praesidem facta — regulariter ter per annum — convenit. Huiusmodi conventus etiam convocari debet, si tres consiliarii scripto a praeside eum poscunt.

Petitiones sodalium, si valde urgent, praeses solus, secretario et arcario consultis, expedire potest, in proximo tamen consilii conventu suam actionem iuste exponere debet.

§ 18. *Modus res in conventu decernendi.* Ut in conventu sententiae valide dicantur, omnes comites in conventum

---

4. Izpremembo pravil ali tudi razpuščenje družbe občnemu zboru nasvetovati.

5. Društvene razpore poravnavati, ki se v družbenih zadevah poravnajo po razsodbi. Za mirilno sodnijo voli vsaka stranka v osmih dneh dva razsodnika. Vsi štirje razsodniki volijo načelnika, pa ne iz svoje sredine. Ako se to v osmih dneh ne zgodi, tedaj voli odbor razsodnike in načelnika. Kar ta mirilna sodnija izreče, obvelja.

6. Izmed duhovnikov vsake dekanije si izvoliti *zaupnega moža*, s katerim se, ako treba, posvetuje v društvenih zadevah, kateri pa ima tudi pravico, odboru vse samolastno poročati, karkoli mu je v zadevah društvenega vodstva izvedeti potrebno ali koristno.

§ 17. *Seje.* Za opravljanje teh poslov se shaja odbor po predsednikovem povabilu — navadno trikrat v letu — k sejam. Seja se mora tudi sklicati, ako jo trije odborniki pismeno zahtevajo od predsednika.

Vloge v posebno nujnih zadevah more rešiti tudi predsednik sam po posvetovanju z denarničarjem in s tajnikom; vendar mora v prihodnji odborovi seji dostojno opravičiti svojo določbo.

invitari debent et saltem quinque conveniant oportet, inter hos praeses vel eius vices gerens.

§ 19. *Suffragia.* In suffragiis latis vota absolute maiora valent; si numero paria sint, praeses vel eius vices gerens dirimit.

B. Comitia sodalium vel Congregationes generales.

§ 20. *Convocatio.* Pro necessitate praeses comitia convocare *potest* quovis termino.

Debet vero ea saltem tertio quovis anno convocare vel si 20 sodales convocationem comitiorum postulant.

Comitia sodalium generalia in folio quodam domestico proclamantur. Tempus et locus comitiorum consilium delectum decernit.

§ 21. *Iura.* Praeter facultatem in § 15. annotatam habent comitia generalia haec iura:

1. Relationes consilii delecti acceptandi et rationes consilii probandi.
2. Tres inspectores rationis probandae et confirmandae eligendi.
3. Agnoscendi praemium secretario et arcario, si iustum videtur.
4. Immutandi statuta sodalitatis.
5. E propositione consilii delecti sententiam dicendi, ut sodalitas dimittatur.

---

§ 18. *Sklepanje.* Da se more veljavno sklepati, je treba, da se povabijo vsi odborniki in da se jih snide najmanje pet, med njimi predsednik ali njegov namestnik.

§ 19. *Glasovanje.* Pri glasovanju odloči nadpolovična večina glasov, pri enakih glasih glas predsednika ali njegovega namestnika.

B. Občni zbor.

§ 20. *Sklicanje.* Ako treba, *sme* predsednik kadar koli sklicati občni zbor. *Mora* ga sklicati skrajno vsako tretje leto, ali ako to zahteva najmanj 20 družbenikov.

Občni zbor se naznani v primernem domačem listu. Čas in kraj zborovanja določi predstojništvo.

§ 21. *Pravice.* Razen oblasti, v § 15. omenjene, ima občni zbor še naslednje pravice:

1. Jemati na znanje opravilstvena poročila in račun predstojništva.
2. Voliti tri pregledovalce za presojo in potrjenje računa.
3. Priznati nagrado tajniku in denarničarju, ako se dozdeva primerno.
4. Izpreminjati društvena pravila.
5. Po predlogu predstojništva skleniti razpust družbe.

§ 22. *Modus res in actionibus comitiorum decidendi.* Comitia valide sententiam dicere possunt, modo viginti sodales adsint. Si hora stata viginti sodales non adfuerint, comitia quolibet praesentium numero dimidia post hora celebrantur.

§ 23. *Suffragia.* Comitia eligunt et decernunt per vota relative maiora, solum de sodalitate dimittenda votorum duae tertiae praesentium requiruntur.

Articulus VIII.

Finalis decisio de facultatibus sodalitatis.

§ 24. Si quando sodalitas cessaverit vel magistratuum sententia soluta fuerit, universae eius facultates, mobiles et immobiles, in dominium princ.-episc. Ordinariatus Lavantini transeunt. Hic eas pro suo arbitrio in similes beneficos fines insumit, quin cui rationem de eis reddere debeat.

Excipiuntur tamen illa bona, de quibus pro hoc casu benefactores vel fundatores aliquid speciale statuerint. Haec ultimo exequi reverendissimo princ.-episc. Ordinariatui competit.

Norma in sodalitatis agendis servanda.

§ 1. Protector.

Protector quovis tempore a consilio delecto postulare potest, ut sibi negotia sodalitatis, relationes sodalium atque facultatis applicationes exponat.

---

§ 22. *Sklepanje.* Občni zbor more veljavno sklepati, ako je pričujočih 20 družbenikov. Ako ob določeni uri ni navzočnih 20 rednih udov, se vrši občni zbor pol ure pozneje pri vsakem številu navzočnih.

§ 23. *Glasovanje.* Občni zbor dovršuje volitve in dela sklepe z ozirno večino glasov; le pri razpuščenju družbe sta potrebni dve tretjini glasov vseh pričujočih udov.

Člen VIII.

Slednja določba zastran društvenega premoženja.

§ 24. Ako bi družba kdaj propadla, ali bila po oblastvih razpuščena, pripada vesoljno družbino premakljivo in nepremakljivo premoženje preč. kn.-šk. Lav. ordinariatu, katero naj, ne da bi bil dolžen komu odgovora, porabi po lastni volji za enake dobrodelne namene. Izvzete bi bile le one istine, zastran katerih so darilci ali ustanovniki za ta slučaj že kaj posebnega določili: ta določila izvrševati, bi pripadalo nadalje prečastitemu kn.-šk. ordinariatu.

§ 2. Praeses.

Praeses cum consilio delecto regit et administrat omnia sodalitatis negotia, convocat iuxta § 20. statutorum comitia sodalium generalia et propria auctoritate conventus consilii, eos aperit et concludit, definit programma, quod initio comitiorum annunciat et si de re valde gravi agitur, una cum invitatione eam proclamat. Is moderatur actiones easque claudit; aperit et inspicit omnes sodalium petitiones easque tradit vel secretario vel alii comiti in comitiis vel in consilii conventu tractandas aut diiudicandas. Is porro protocolla comitiorum subscribit et consilii conventuum aliaque consilii acta; inspicit negotia arcae sodalitatis, praecipit vel motu proprio vel consilii iussu, ut semel vel etiam saepius in anno arca sodalitatis revisatur, atque de statu eiusdem consilio rationem reddit. Omnes attestationes, rationes et subventiones sodalibus concessas, a secretario insimul signatas, arcario tradit exsolvendas.

§ 3. Praesidis vicarius.

Si praeses impeditus est vel eius locus vacat, omnia iura et obligationes eius ad vices gerentem pertinent.

Opravilni red.

§ 1. Pokrovitelj.

Pokrovitelj zamore vsak čas od predstojništva terjati, da mu razloži razmere društvenega vodstva, opravilstva in rabe premoženja.

§ 2. Predsednik.

Predsednik vodi in opravlja v zvezi z odborom vse društvene posle, sklicuje po § 20. pravil občne zbore in samolastno odborove seje, jih prične, določi dnevni red, ki ga prebere ob začetku zbora; v posebno važnih zadevah pa naznani dnevni red že z vabilom vred. On vodi razprave in jih konča; odpre in pregleda vse vloge in jih odkaže ali tajniku ali kateremu drugemu odborniku, da v občni ali odborovi seji o njih poroča in stavi predloge. On podpiše zapisnike občnih in odborovih sej, kakor tudi vsa druga pisma; nadzoruje opravljanje društvene denarnice, zaukaže po lastnem nagibu ali odborovem sklepu enkrat ali tudi večkrat v letu njeno natančno pregledanje in odboru o tem poroča. Vse od tajnika obenem podpisane pobotnice, račune in dovoljene podpore odpravlja do denarničarja, da jih izplača.

§ 3. Predsednikov namestnik.

Ako je predsednik zadržan, ali je njegovo mesto izpraznjeno, pripadajo vse njegove pravice in dolžnosti njegovemu namestniku.

§ 4. Secretarius.

Secretarius sodalitatis cancellariam administrat, accipit a praeside omnes litteras petitorias sodalium, curat eas in actionum libro insignandas, concipit rescripta de eis, quae ipsi a praeside expediendae committuntur, alias iuxta praesidis dispositionem aliis expediendas transmittit, componit protocolla de eis, quae in comitiis vel in conventu consilii peracta sunt. Is ulterius curat, ut omnes petitiones, necessario comitibus inspiciendae, eis exhibeantur. Omnia acta reponit in armario litteris destinato. Conscribit et in ordinem redigit elenchum sodalium, perlegit et una cum praeside subscribit omnes apochas et rationes solvendas prout et alias litteras, componit omnes annunciationes et annuas relationes, ad administrationem pertinentes, quae, a praesidio signatae, suo tempore comitiis proponuntur.

§ 5. Arcarius.

Sodalitatis facultates in speciali arca, tuto loco posita, servandae sunt. Haec duas clausuras habeat, quarum alteram clavim arcarius, alteram alius comes a praeside designatus habeat. Pro currentibus expensis consilium ex arca summam convenientem arcario exponit et hic eam se ex arca accepisse scripto testatur. Is porro curat, ut tributa sodalium solvantur et statim utiliter elocentur. Omnes expensas, a praeside et secretario si-

§ 4. Tajnik.

Tajnik opravlja društveno pisarnico, prejemlje od predsednika vse vloge, skrbi, da se vpišejo v opravilno knjigo, izdela rešitve tistih, ki jih predsednik njemu določi, druge po predsednikovi določbi razdeli med odbornike, spisuje kratke zapisnike pri občnih in odborovih sejah, v katerih zaznamenjuje napravljene sklepe. On skrbi, da gredo odbornikom iz rok v roke tiste vloge, katerih pregledanje je vsem potrebno. Vse listine shranjuje v pisemski shrambi. On sestavlja in v redu drži imenike družbenikov, on prebere in podpiše s predsednikom vred vse za izplačilo pripravljene pobotnice in račune, kakor tudi vsa druga pisma. On sestavi tudi vse opravilstva se tikajoče objave in letna poročila, katera se potem, ko jih je predstojništvo potrdilo, predložijo občnemu zboru.

§ 5. Denarničar.

Družbeno premoženje se shranjuje v posebni, na varnem mestu stoječi denarnici, ki ima dve ključavnici; en ključ ima denarničar, drugega pa od predstojništva za to imenovani odbornik. Za tekoče stroške odkaže odbor denarničarju na prejemnico potrebni denar iz denarnice. Denarničar skrbi, da se redno plačujejo vloge družbenikov, dolgovi po letnih obrokih in obresti od

gnatas, solvit easque in libro una cum impensis inscribit. Ut vero impensae summam 200 K attingunt, eam e consilii decreto tuto et utiliter elocat. Quotannis die 31. Decembris rationem anni elapsi concludit et in quibusvis comitiis vel in consilii conventu de arcae statu refert.

§ 6. Caeteri consiliarii.

Quemadmodum ii, de quibus modo sermo fuit, ita caeteri quoque consiliarii in consilio sedem et suffragia habent, excipiunt litteras, quae eis expediendae committuntur, de eisque in consilii conventu referunt.

§ 7. Rationum inspectores.

Tribus inspectoribus, in comitiis electis ad rationes probandas, comitia sodalium generalia facultatem etiam concedant, rationis, si non conveniat, reiiciendae; si vero conveniat, eiusdem approbandae et arcario scripti testimonii exhibendi de rationis convenientia. Comitiis proximis de sua actione referunt.

§ 8. Consilii delecti conventus.

In quovis conventu secretarius primo praelegit protocollum ultimi conventus; postea petitiones ea serie tractantur, quam praeses proposuit, denique illae propositiones, quas singuli consiliarii exhibent, discutiuntur.

---

vloženih listin, izplačuje na pobotnice vse izdatke, katere sta mu predsednik in tajnik odkazala za izplačilo, zapisuje vse dohodke in stroške v dotične knjige in prihajajoče dohodke, kakor hitro narastejo do 200 K, po odborovi določbi varno in plodovito naloži. Vsako leto dne 31. decembra sklene račun preteklega leta ter ga poda odboru, ki ga pregleda, potem pa pregledovalcem izroči. Denarničar poroča tudi v vsaki občni in odborovi seji o stanju blagajnice.

§ 6. Drugi odborniki.

Kakor dosihmal imenovani, imajo tudi vsi drugi odborniki v predstojništvu pravico sedeža in glasovanja; prejemajo vloge, ki se jim za izdelovanje odkažejo in o njih v sejah poročajo.

§ 7. Pregledovalci.

Trem pregledovalcem, katere je občni zbor za pregledanje letnih računov naprej izvolil, naj da občni zbor obenem tudi oblast, da smejo račun, ko bi ne bil pravilen, ovreči; če je pa pravilen, ga potrditi in denarničarju podeliti pismeno izpričbo potrjenja. Prihodnjemu občnemu zboru poročajo o svojem delovanju.

§ 8. Odborove seje.

V vsaki seji bere najpoprej perovodja poročilo zadnje seje; za njim sledi obravnava došlih vlog po vrsti, določeni od predsednika. Slednjič se razgovarja o predlogih, koje utegnejo staviti posamezni odborniki.

§ 9. Comitia sodalium generalia.

In comitiis praesidet praeses et curat, ut omnia secundum legem tractentur et statuta et urbanitas serventur. Obiecta ea serie, quae a praeside praescripta est, in discussionem sumuntur et in suffragia mittuntur. In discussionibus ortis praeses sodalibus eo ordine facultatem loquendi concedit, quo eam rogaverunt. Si propositio, ut discussio finiatur, accepta est, illi soli licet adhuc loqui, qui propositionem exhibuit. In quaestionibus propositio discussionem differendi ante alias suffragiis exhibenda est. Si duae propositiones concurrunt, illa prior suffragiis exponatur, quae si accipitur, altera reiecta est. Praeter hunc casum latior propositio aliis praeferatur.

Emendationes propositionum priores decidendae sunt quam ipsae propositiones. Ubi omnes propositiones, a praeside signatae, pertractatae sunt, propositiones praecise exaratae, quas quilibet sodalis proferre potest, ea serie, qua oblatae sunt, pertractantur. De omnibus huiusmodi propositionibus discussio generalis permitti potest. Si autem de qua propositione etiam sententia dicenda est, ea tribus ante comitia diebus consilio delecto in scriptis exhibenda est, ut de ea decernat, quid in comitiis circa eam referre possit. Póstremo protocollum de his comitiis legitur et vel approbatur vel corrigitur et comitiis finis datur.

§ 10. Tributi fundamentalis et annui solutio.

Sodalibus facultas conceditur, ut tributum tam fundamentale quam annuum via sui quisque decanatus

§ 9. Občni zbor.

Občnim zborom predseduje predsednik in skrbi, da se vse godi po postavi, pravilih in spodobnosti. Predmeti prihajajo po vrsti, določeni od predsednika, na posvetovanje in glasovanje; pri razpravah, ki nastanejo, podeli predsednik družbenikom besedo po tisti vrsti, po kateri so se za njo oglasili. Ako se predlog na sklep razprave sprejme, ima pravico govoriti le še tisti, ki je stavil predlog razprave. Pri vprašanjih se mora dati predlog „na odložbo“ pred vsemi drugimi predlogi na glasovanje. Pri dveh samostalnih predlogih naj pride prvi na glasovanje tisti, po čigar sprejetju odpade drugi predlog. Razen tega slučaja ima širji predlog prednost pred drugimi. Izboljševalni predlogi (amendement) naj se dajo prej na glasovanje ko pristavki h glavnim predlogom. So vsi predmeti, katere je predsednik odredil, obravnani, pridejo v razpravo določno osnovani predlogi, katere staviti ima vsak družbe-

vel quod modo suadetur, per chartas postales directe arcario mittant. Attestatio tributi annui accepti hinc inde in folio domestico dabitur. —

Ut praecedentium statutorum, si necessitas urserit ea noviter prelo dandi, textus sive latinus sive slovenicus ex hoc libro synodali exscribatur, hisce ordinamus.

Quartum paene decennium ad finem vergit, ex quo sodalitatis sacerdotum dioecesis Lavantinae mutuo levamini institutae fundamenta iacta sunt. Exigua quidem illa fundamenta neque sine formidine, ne sinistris temporum adiunctis corruerent, iacta esse multis visa sunt. Contra tamen ac hi timuerunt, evenit. Ex quo enim activi quoque sodales beneficia sodalitatis participare potuerunt, numerus sodalium in dies magis augetur et tributa uberiora solvuntur, ut ipse praedecessor Noster, sub cuius auspiciis sodalitas hodiernam formam induit, de »inopinato felici successu gloriatur, quem haec reformata sodalitas nacta est.«[1]

Impraesentiarum sodalitas duas aedes, alteras in vico Doberna, circa decem millia K aestimatas, alteras in Vetere foro prope ab oppido Windischgraz, et praeterea substantiam capitalem 172.688 K 80 h propriam habet, subsidia vero ab anno 1873 usque ad annum 1910 inter 906 sodales 138.383 K distribuit.

Dehinc summae sint Deo misericordi gratiae pro incredibili successu, quam sodalitas nostra, annuis relationibus contestantibus,[2] fluxu temporis nacta est. Ut

nik pravico, in sicer po vrsti, po kateri so se naznanili. O vseh takih predlogih se more splošni razgovor dovoliti; ako se hoče pa o takem predlogu tudi sklepati, je treba, tri dni pred zborom pismeno ga predstojništvu v pripravljalno posvetovanje podati, da more v občnem zboru že o njem poročati. Naposled se bere zapisnik te seje in se ali potrdi ali pa popravi in s tem branjem se konča seja.

§ 10. Plačevanje ustanovnine in letnine.

Družbenikom je na voljo dano, ustanovnino in letnino pošiljati ali po dekanijskih uradih ali pa, kar je sedaj še bolj pripravno, po poštnih nakaznicah oziroma položnicah naravnost denarničarju.

Potrjenje prejete letnine se bode od časa do časa razglaševalo v domačem javnem listu. —

[1] Acta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1883 celebratae. Marburgi, 1883. Cap. XIV. pag. 83. — [2] Relationes de statu materiali sodalitii, per comitia generalia approbatae, quovis triennio, typis excusae, eduntur.

vero sodalitii huius arbor bona, quam caritas plantavit, fraterna beneficientia irrigavit, Deus autem miris incrementis foecundavit, meliores adhuc et uberiores in futurum ferat fructus, in hac Nostra Synodo dioecesana venerabiles consodales pro symbola, quam haud raro cum abnegatione sui ipsius ultro obtulerunt confratribus adiuvandis, iure meritoque collaudamus; eos vero, qui nondum introierunt in fraternam societatem, ad hunc introitum ardenter invitamus. Iuniores praesertim sacerdotes graviter commonemus, ut nomen dent omnes huic revera fraternae sodalitati et stipem quoque conferant neve tunc demum eius recordentur, quando in angustiis positi sunt oeconomicis.

Insimul omnes presbyteros in Domino cohortamur, ut in testamentis suis sodalitatis nostrae egregiae lubenter meminerint. Si sacri canones clericos ad pias causas testamenta condere iubent, re sane vera pro nostri aevi adiunctis inter Clerum eiusdem dioecesis vix reperitur causa nobilior atque laude dignior ea, quam nostrum prosequitur sodalitium. Divus Paulus reprehendit eos, *qui suorum et maxime domesticorum curam non habent* (I. Tim. 5, 8); ergo laude celebrandi sunt, qui hanc curam in fratres egenos impendunt.

Haec itaque, carissimi, dum mente pervolvimus, fieri non potest, quin sensu piae memoriae eorum, qui olim sodalitatem provide instituerunt et per octo fere lustra circumspecte servaverunt, grati afficiamur. Profecto haec sodalitas digna est, cui omnes sacerdotes nomen dent. Ita Clero Lavantino in siccis redituum diebus erit *quasi hortus irriguus et sicut fons aquarum, cuius non deficient aquae.* (Is. 58, 11).

Caput CXLIX.

De directivis pro catholicis societatibus et unionibus in dioecesi.

Ecclesia catholica, societas amplissima et late per orbem diffusa, non ex solis physicis seu singularibus personis coalescit, sed personas etiam morales

et minores societates in sinu suo continet. *Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus* (I. Cor. 12, 12), qui Ecclesia intelligitur.

Istae societates, quamvis finem aliquem specialem prae se ferant et subsistentiam per se stantem quodammodo habeant, fini tamen ecclesiastico supremo et auctoritati Ecclesiae obnoxiae esse debent. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo.* (Rom. 12, 4. 5). Sed *Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore; sed idipsum pro invicem sollicita sint membra.* (I. Cor. 12, 24. 25). Societates tamen ab Ecclesia diverso modo pro vario earumdem fine dependent.

1. Societates, quibus scopus religiosus praefixus est, quum sint Ecclesiae homogeneae, Episcopi dioecesani potestati cum legiferae tum voluntariae subiacent. Ad id enim, quod est supernaturale, homo non habet proportionem per se, sed eam accipit a Deo, facto positivo sive immediate uti Ecclesia, sive mediate uti personae physicae vel morales sub Ecclesiae regimine. Boni autem publici religiosi omnis cura data est ipsi Ecclesiae.[1]

Verum etiam societates, quae finem non pure religiosum habent, sed utilitatem temporalem, praescindendo a fine religioso, intendunt, competentiae Ecclesiae subtrahi non possunt. Sicut omnes humanae relationes, in quantum quaestiones legis christianae moralis quoad educationem hominum super his terris attingunt, Ecclesiae subsunt; ita et istae societates competentiae ecclesiasticae in rebus fidei et morum subiiciuntur.

Possunt quidem huiusmodi societates formam organisationis determinare, conditiones quoad membra societatis statuere, de mediis ad finem suum assequendum

[1] Felix Cavagnis, Institutiones iuris publici ecclesiastici. Pars II. specialis. Romae, 1889. Pagg. 326 sq. — Dr. Franciscus Heiner, Kath. Kirchenrecht, I. Bd. Paderborn, 1893. Pag. 31.

opportunis consilia inire, quando vero operatio societatis fidem sive legem moralem christianam tangit, dependentia indirecta ab Ecclesia habetur. Finis enim Ecclesiae primarius non est, esse unicam creatricem mundanae culturae, sed esse mediatricem coelestium veritatum et gratiarum.

Propter intimam connexionem naturalium et supernaturalium rerum Ecclesiae incumbit invigilare, ne veritas revelata quidquam detrimenti capiat neve lex moralis christiana violetur. Talis autem influxus Ecclesiae in res mundanas negativus potius est, praeventivus et refrenativus, quam positive iubens, sicut et mater in liberos minus impellendo et imperando dominat, quam sola praesentia sua, qua tacite arcet omnia, quae indecentia sunt.[1]

Haec autem Ecclesiae operatio pastoralis non eo usque extenditur, ut determinatas formas et organisationes ad promovendum bonum morale modo obligatorio praescribere possit e. gr. ad fovendam scientiam, artem, politicam socialem, curam pauperum; sed in his rebus pollet Ecclesia potestate imperandi contra malum tantum. Cuius devitationem ut obtineat, poenis quoque ecclesiasticis et mediis coërcitionis uti potest.

Si agitur de organisationibus, quae finem habent, malum reprimere, bonum vero morale promovere, auctoritas dioecesana curare quidem debet, ut organisationes tales praesto sint, fideles quoque cohortari, ut his organisationibus nomen dent, non autem ipsos obligare potest, ut his tantum organisationibus utantur. Hoc est enim magnum et sublime officium muneris pastoralis, vires dormientes ad operationem excitare, ut voluntaria pronaque subiectione sub regimine Ecclesiae ad communem actionem coadunentur.

Proinde relate ad illas quoque societates, quae ecclesiasticae administrationi et legislationi haud subiacent, Ecclesiae debet concedi ius decidendi in singulis casibus, utrum haec vel illa eiusdem actio moraliter licita vel

[1] Der Katholik. Mainz, 1910. Pag. 130.

illicita, moraliter bona vel mala sit. Haec dependentia ab auctoritate ecclesiastica in quaestionibus fidei ac morum pro operatione societatis nedum onus, sed potius commodum dici debet.

Sicut ergo *Deus temperavit corpus.. ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra* (1. Cor. 12, 24. 25), ita *corpus Christi* (I. Cor. 12, 27), quod est Ecclesia, capitis et membrorum coniunctione perdurat; ac proinde eius membra mirum in modum organice disposita et invicem subiecta, omnia autem ad finem Ecclesiae communem ordinata esse debent. Ne igitur societates in laboribus invicem turbent, neve sibi impedimenta parent, sed fines suos speciales prosequendo fini communi, id est bono religionis subiiciantur, eas sub inspectione et directione Ordinarii dioecesis coadunari oportet.

Tali enim ratione societatum operationes ad finem communem diriguntur, hominum animi illa unitate coniunguntur, quam tantopere a Christo Domino commendatam in evangelio legimus. (Matth. 18, 20; Ioan. 17, 21).

2. Principiis expositis inhaerentes et, ut praecepto, die 31. mensis Decembris anno 1909 dato, referendi ad Sedem Apostolicam de societatibus, in dioecesi existentibus,[1] facilius satisfacere valeamus quoad societates in Nostra dioecesi existentes, *etiam politicas,* quae sequuntur, statuimus vel potius repetimus statuta, et observanda, quae generatim iam hucusque observata sunt, praecipimus.

a) Unaquaeque societas, quae rei catholicae operam dare atque praesidio et benedictione Episcopi huius dioe-

[1] „Referatur.. utrum adsint in dioecesi opera illa quae *socialia* dicuntur, quibus dum consulitur bono morali et religioso fidelium, prospicitur etiam eorum temporali utilitati vel necessitati, ut asyli pro infantibus, patronatus pro iuvenibus utriusque sexus, circuli pro iuventute catholica, aut pro studiis peragendis, consociationes operariorum, agricolarum, mulierum in hunc vel alium pium finem vel mutuum subsidium, arcae nummariae, aliaque similia. — Utrum consociationes et opera haec socialia, et potissimum qui eis praesunt, *debitam in omnibus Ordinario et Summo Pontifici reverentiam praestent,* et in iis quae fidem, mores et iustitiae leges attingunt, S. Sedis directioni et moderationi omnino subsint." (Ordo, servandus in relatione de statu ecclesiarum. Cap. XV. num. 143 et 144. — Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale, die 20. Ianuarii 1910. Ann. II. vol. II. num. 1. pag. 33).

cesis frui desiderat, a princ.-episc. Ordinariatu confirmationem statutorum petere debet. Quod si in condenda societate omissum est, hoc quam primum, saltem infra tres menses, postquam haec statuta obligare coeperint, fieri debet.

Quando necessarium et expediens esse videtur, ut societas a civili quoque potestate approbetur, hoc fieri debet post confirmationem statutorum a princ.-episc. Ordinariatu obtentam. Hac autem approbatione societatis a magistratu civili impertita, exemplum statutorum approbatorum transmitti debet, ut reponatur in archivo princ.-episc. Ordinariatus, pro societatibus destinato.

Eundem in finem omnes societates hucusque approbatae exemplum statutorum princ.-episc. Ordinariatui tradant. In exemplo annotetur, quando societas approbata sit a potestate ecclesiastica et quando a magistratu civili.

b) Quaelibet societas finito anno mittat ad princ.-episc. Ordinariatum relationem de operatione in societate, in qua haec potissimum exponi debent:

α) Nomina moderatorum societatis eorumque habitatio;

β) Utrum et quando facta sit revisio aerarii societatis, statutis praescripta, quale fuerit resultatum revisionis, et a quibus facta sit revisio;

γ) Ubi elocata sit pecunia societatis et qua ratione administretur;

δ) Quantus sit numerus membrorum societatis; utrum respectu habito ad annum praecedentem auctus vel imminutus sit;

ε) Utrum congregationes, statutis praescriptae, habitae et electiones moderatorum factae sint;

ζ) Quae memoratu digna anno praeterlapso gesta sint.

c) Societates, quae publicant vel typis vel alio modo, quae in societate gesta sunt, vel edunt ephemerides ad scopum societatis promovendum, publicationum harum exemplar transmittere debent, ut reponatur in archivo princ.-episc. Ordinariatus.

d) Nullam societatem dissolvi licet, nisi prius obtento consensu princ.-episc. Ordinariatus. Quare ante dissolutionem forsitan faciendam certiorari debet princ.-episc. Ordinariatus, expositis quoque rationibus dissolutionem suadentibus.

e) Quilibet parochus habeat catalogum societatum catholicarum, in parochia existentium, hasque societates saltem semel in anno visitet et verbis cohortationis promoveat.

Decani, quando visitationes canonicas peragunt, inquirant, utrum societates catholicae foveantur.

Princ.-episc. Ordinariatus ius sibi servat invigilandi actionibus societatum per princ.-episc. commissarios, hunc in finem constitutos.

f) Societates, eundem scopum habentes, uniones dioecesanas ineant, sicut in societatibus opificum adiutorum catholicorum factum est, et princ.-episc. Ordinariatui statuta, hunc in finem concinnata, proponant.

Ultro, carissimi in Domino cooperatores in vinea et agro Domini, agnoscimus et laudamus, quae a Clero sive saeculari sive regulari magno animo et zelo ardenti hac in re in dioecesi Nostra iam facta sunt.[1]

Quum vero Sedes Apostolica, considerando praesertim magnum influxum, quem partes nomini christiano adversae per strictam organisationem obtinuerunt, crebrius impensissime commendasset, ut societates catholicae instituerentur eisque favor specialis exhiberetur; Nos hac quoque vice, sicut iam prius factum est,[2] provocamus vos, dilectos fratres et filios Nostros, ut societates catholicas iam existentes auxilio vestro muniatis, et ubi tales societates nondum existunt — praeprimis in patrocinium iuventutis e schola dimissae et maximis periculis expositae — eas excitare et studiose fovere

[1] Personalstand des Fürstbistums Lavant für das Jahr 1912. Marburg, 1912. Pagg. 264—278, n. VIII ; 278—288, n. IX. — [2] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pag. 233 sq. — Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata, Marburgi, 1904. Pag. 259 sq. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pag. 231 sq.

contendatis. Hac enim ratione curae animarum modernae gravis pars exercetur.

Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate. (Ephes. 4, 15. 16).

Caput CL.

De organisatione mulierum.

Plura iam diximus in Synodis Nostris dioecesanis[1] de relationibus socialibus mulierum, sed in hac Synodo speciatim proponere volumus principia christiana de conditione mulierum in societate humana earumque organisatione, ut, quantum in ipsis positum est, ad quaestionem socialem rite expediendam conferant.[2]

Quaestio enim socialis, in quantum mulieres attingit, profecto dimidiam partem quaestionis socialis continet. Dimidia namque pars hominum mulieribus constituitur, dimidia pars laborum a mulieribus perficitur, dimidia pars passionum et dolorum a mulieribus exantlatur. Sors viri indivulse cohaeret cum sorte mulieris, et impossibile est, ut societas humana in statum felicem redigatur, nisi mulieribus detur, quod ipsis competit.

Quaestio de conditione mulierum, sicut quaestio socialis in genere, non est quaestio quasi per se subsi-

[1] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pag. 258 sq. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pagg. 207—219; 226—228; 232. — [2] P. Augustin Rösler C. SS. R., Die Frauenfrage vom Standpunkte der Natur, der Geschichte und der Offenbarung. Freiburg im Br., 1907. — Viktor Cathrein S. I., Die Frauenfrage, Freiburg im Br., 1901. — P. Aug. Rösler C. SS. R., Übung der Charitas durch die Frauen und an den Frauen. Freiburg im Br., 1903. — J. Mausbach, Die Stellung der Frau im Menschheitsleben. M. Gladbach, 1906. — J. Mausbach, Altchristliche und moderne Gedanken über Frauenberuf. M. Gladbach, 1906. — H. Lange, Die moderne Frauenbewegung in ihren modernen Problemen. Leipzig, 1907.

stens, sed est complexus problematum difficilium. Hinc ea ex ordine considerare oportet.

1. Imprimis ut fundamentum ponatur, explicanda est mulieris destinatio, quae duplex est.

a) Altera destinatio mulieribus et viris qua hominibus communis est, videlicet servire Deo et tali ratione tendere ad vitam aeternam. Salvator mundi hanc destinationem expressit verbis: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata!* (Matth. 19, 17).

Primum autem officium hominis sicut est generalissimum ita etiam summum, cui reliqua officia subordinari debent. *In hoc officio explendo mulier viro omnino aequiparatur.* Ambo habent easdem obligationes et eadem media ad hunc finem assequendum. Sub hoc respectu christiana religio omnimodam paritatem viri et mulieris restituit iuxta verba s. Pauli: *Omnes, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis; hic non est neque Iudaeus neque Graecus, neque servi neque liberi, neque vir neque mulier, nam vos omnes unum estis in Christo.* (Gal. 3, 27. 28).

Mulieres quidem in christiana religione a sacerdotio et a functionibus inde pendentibus excluduntur, sed quoad omnia sacramenta et media gratiae, *quae perfectionem et sanctificationem susceptoris immediate intendunt,* viris plane aequiparantur. Sicut vir, ita et mulier assequi potest summum apicem christianae perfectionis; neque mirari debemus, si Ecclesia iam ab initio tot mulieres quot viros in numerum Sanctorum retulerit, ex omni aetate et conditione et statu.

b) Altera destinatio mulieri propria est, nimirum ut sit *socia* et *adiutrix* viri, praeprimis et maxime in *matrimonio* et *familia.*

Exinde minime sequitur, mulieres omnes matrimonio iungi debere. Praeter statum enim matrimonialem datur etiam status *virginitatis*, qui in se perfectior est statu matrimoniali. Communem enim legem, ut Deo serviant et hoc modo salvae fiant, in statu virginali mulieres per se melius assequi possunt quam in statu matrimoniali. Propterea ait s. Paulus: *Qui sine uxore est, solli-*

citus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quae autem nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro. (I. Cor. 7, 32—34.). Sed Apostolus adiungit, non agi de praecepto sed de consilio. *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; et qui non iungit, melius facit.* (I. Cor. 7, 38).

Status virginitatis est status perfectionis, qui ordinarias vires humanas superat et propterea ex communiter contingentibus paucior est. *Non omnes capiunt verbum istud,* dicit Dominus, *sed quibus datum est.* (Matth. 19, 11).

Maxima pars mulierum semper ambulabit in lata via vitae matrimonialis. Exinde sequitur, socialem conditionem mulierum determinari primarie per conditionem mulieris in familia.

Natura enim studet vitam super hac terra, in quantum fieri potest, aeternam reddere; et quia vitam individualem permanenter conservare non potest, nova semper individua eiusdem speciei procreat. Hoc valet etiam de homine. Ast haec conservatio generis humani non est unicus finis matrimonii, quod ad salutem quoque coniugum ordinatur.

Divina dispositione natura utriusque, viri et mulieris, ad communem vitam destinata est; utriusque enim essentia ideo distincta est, ut non ad easdem res utilis sit, sed ex parte ad diversas, cum subordinatione tamen ad finem communem. Nam natura virum fecit fortiorem, mulierem debiliorem, ut haec formidine cautior, ille fortitudine ad defensionem aptior, alia res domesticas servet, alius res externas acquirat, alia ad negotia domestica sedula, at ad vitam externam debilior, alius ad quietem parum aptus, sed ad indesinentem industriam sanus sit.

Virum inter et mulierem *amicitia*, a natura postulata, existat. Vir enim a natura magis ad matrimonium

quam ad civilem societatem destinatus, quia familia prior et magis necessaria est republica, et procreatio prolis omnibus animantibus est communis.

Occupationes utriusque non eaedem sunt; alia officia habet vir, alia mulier. Mutuo sese complent, uterque conferendo, quod suum est, ad perfectam communionem vitae.

Vir rector familiae est; est enim a natura ad regimen magis idoneus. Sit tamen dominatio viri in mulierem mitis et amicitiae congrua.

Filii constituunt vinculum inter parentes, quia commune bonum sunt. Mater nutrit, pater educat.

c) Clarius quam ratio revelatio christiana sortem mulieris eiusque relationem ad virum explicat. *Non est bonum esse hominem solum: Faciamus ei adiutorium simile sibi!* (Gen. 2, 18). Hisce verbis creatio mulieris introducitur eiusque destinatio in genere innuitur, videlicet esse *adiutorium* viri.

Quia ista intentione creator in creatione mulieris ducebatur, procul dubio etiam eius naturam ita formavit, ut ad istam destinationem sit idonea.

A prima vero parente omnes mulieres essentialiter eandem naturam et destinationem obtinuerunt. Hinc ista verba non de muliere tantum matrimonio iuncta, sed certo sensu de mulieribus universim valent.

Mulier porro de viro formata est; est ergo os ex ossibus eius et caro de carne eius, *quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una.* (Gen. 2, 23. 24).

Hisce verbis satis clare exprimuntur proprietates matrimonii, scilicet *unitas* et *indissolubilitas*, quae ad finem matrimonii obtinendum omnino requiruntur.

Mulier sit socia, amica et adiutrix viri quasi unum corpus cum ipso. Hoc autem obtineri non potest, nisi unitas et indissolubilitas matrimonii supponantur.

Ubi enim plures uxores permittuntur, mulier fit ens subordinatum, quod vir sustentat ad libidinem suam et generationem prolis. Aemulatio mulierum inter se non

admittit intimam illam amicitiam, quae in familiis vigere debet. Pater quodammodo dividitur inter plures familias. Si accedit dissolubilitas matrimonii, in servitutem mulier redigitur.

In hac indigna servitute mulier fere ubique reperitur, excepta religione christiana. Sola religio christiana mulieri restituit dignitatem eamque fecit parem sociam et amicam viri, quod praestitit maxime per *unitatem* et *indissolubilitatem* matrimonii. Proclamatio unitatis et indissolubilitatis matrimonii per religionem christianam aequipollet emancipationi mulieris e servitute viri.

Christus vero matrimonium etiam sacravit, allevando illud ad dignitatem *sacramenti*, ut coniuges ad finem matrimonii rite obtinendum gratia supernaturali instruantur. Propterea s. Paulus matrimonium vocat *magnum sacramentum in Christo et in Ecclesia.* (Eph. 5, 32). Hinc viros admonet: *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret . . . Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua.* (Eph. 5, 25. 28). Simili modo cohortatur mulieres: *Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae: Ipse, salvator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.* (Eph. 5, 22—24). Coniunctio viri et mulieris signum sit unionis Christi cum Ecclesia, tam intima, sacra, plena amoris et indissolubilis sicut ista!

Cum matrimonio christiano fundatum est etiam sacrarium familiae christianae. Nexum est vinculum supernaturalis dilectionis, quae coniuges vere christianos inter se et cum liberis suis connectit. Haec supernaturalis, ex corde crucifixi Redemptoris profluens dilectio vitam familiarem mirum in modum clarificavit et ad apicem tam idealem evexit, ut eius ne vestigia quidem extra religionem christianam reperiantur.

d) Ex praemissis clarescit, quae sit destinatio mulieris, sive ut *mater* sive ut *uxor* consideratur.

Tamquam *matri* incumbit immediata cura *corporalis* educationis, insuper etiam spiritualis et religiosae et moralis eruditionis, praesertim in primis annis infantiae. Natura ipsa hac in re omnibus gentibus viam rectam monstravit.

Primis annis, ut cum s. Thoma Aquinate loquamur, infans in quodam spirituali utero matris est. Sed etiam post hoc tempus usque ad annos maturiores immediata cura liberorum posita est potissimum in manu matris.

Est autem mulier ad hoc officium quam maxime idonea. A natura ipsa largiter tributae sunt ei omnes hunc in finem necessariae proprietates. Exposcit enim hoc officium teneram, perseverantem, ad servitia, diu noctuque exhibenda, promptam dilectionem, quae non invenitur nisi in corde matris. Exigit vivam phantasiam, sensum pro rebus occurrentibus et concretis, intimam teneritatem animi, quae aetati infantili respondent et matri facultatem tribuunt, sese totaliter accommodare infantis cogitationibus et sensibus, passionibus et gaudiis.

Postulat misericors, compatiens cor pro quotidianis indigentiis infantis, dexteritatem in parvis servitiis, quae imbecillibus et aegrotis tam sunt necessaria. Exposcit studium ordinis et puritatis, in genere curam indeficientem pro rebus minimis, in quibus infantis cogitationes versantur. Istae proprietates, sicut in muliere eminent, in viro desunt.

Mulier ergo ut mater in sensu eximio *educatrix* et *magistra* iuventutis dici debet et quasi inspectrix inamovibilis. In hoc posita est ipsius dignitas summa.

Ad ipsam spectat, infantem ab adolescentia sua erudire ad cognitionem et amorem Dei et certe non est per accidens, quod creator posuit in corde mulieris magnam propensionem ad pietatem.

Maxima ex parte ad matrem quoque pertinet moralis educatio et cultura ingenii infantis. In homine non omnia reguntur coecis motibus et instinctu. Data est ipsi ratio et fides, quibus vita ordinetur.

Ideo infans a prima iuventute a matre sollerti studio induci et instrui debet, ne passiones suas et licentias sequatur, sed rationem et fidem. Primi anni quam maxime determinant mores et omnem vivendi rationem hominis. Inde magnus et manens influxus mulieris in societate humana.

e) Mulier autem non tantum mater, sed etiam *uxor*, socia et adiutorium viri est. Finis principalis matrimonii propagatio quidem et educatio generis humani est, sed subordinate intendit etiam salutem coniugum. Mulier sit adiutorium viri in relationibus spiritualibus et corporalibus. S. Paulus manifeste dicit, mulierem esse propter virum. Quoniam vir *imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* (I. Cor. 11, 7—9).

Mulier ergo fidelis amica, adiutrix et consolatrix viri sit. Intimo amore et inconcussa fidelitate ipsi adhaereat, quodam modo unam personam cum ipso efficiat. Adiuvando in omnibus conditionibus, consiliis et solatiis assistendo, gaudiorum et passionum viri sui particeps sit.

Natura ipsa duplicem sexum ita disposuit, ut se invicem mirum in modum compleant. Debilitates et defectus unius praerogativis et virtutibus alterius tolluntur vel mitigantur. Vir per maiorem vim physicam, maiorem perseverantiam et intrepiditatem protector mulieris et familiae est; repraesentat domum. Ipsi praesertim natura imposuit officium comparandi familiae victum necessarium. Mulier hunc in scopum sufficientibus viribus non pollet.

E contra mulier in rebus domesticis facultates suas egregie explicare potest. Eis, quae a viro acquiruntur, praeparat habitaculum amoenum, in quo a negotiis turbulentis vitae publicae vir requiem inveniat. Vir consilio quoque et solatio, adiutorio et cohortatione saepius indiget. Haec vero apud uxorem et in familia inveniuntur. Et si laboribus defatigatus domum revertitur

vel rebus adversis opprimitur vel morbo corripitur, in domo sua intimam compassionem et diligentem curam reperit.

Si mulier sua agendi ratione in rebus domesticis virum familiae annectere scit, vita familiaris magnum praesidium moralitati coniugum erit et uber fons dulcium gaudiorum. Si his spiritus verae christianae pietatis associatur, felicitas familiae firme fundata est, etiam si interdum miseria et paupertate prematur.

f) Etsi vinculum proprium, quo coniuges et tota familia conglutinantur, mutua dilectio sit et pietas, nihilominus etiam auctoritas necessaria est, cuius gestator est *pater familias*. Ipsi mulier obedire debet.

Doctor gentium hanc doctrinam saepius inculcat. Ad Ephesios scribit: *Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris . . . Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.* (Eph. 5, 22—24). Colossenses commonet: *Mulieres subditae estote viris, sicut oportet in Domino.* (Col. 3, 18). Cum Apostolo gentium convenit princeps Apostolorum: *Mulieres subditae sint viris suis; ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram.* (I. Petr. 3, 1. 2).

Immo haec doctrina de subiectione mulieris sub potestate viri iam initio generis humani haud ignota erat. Post primum peccatum Hevae et eius filiabus poena annunciata est verbis: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* (Gen. 3, 16). Hisce autem verbis edictum non est, quod secluso peccato originali mulier non esset subordinata viro. Iam ante peccatum mulier, ut docet s. Augustinus,[1] ita creata erat, ut vir dominaretur eius, et ipsa servitio ad virum inclinaret. Ut sit adiutorium viro, ad hoc mulier destinata est creatione. (Gen. 2, 18). Sed haec dominatio esset levis et iucunda; per peccatum autem facta est gravis et molesta.

---

[1] De genesi ad litteram lib. XI. c. 37.

Etiamsi verba ad Hevam dicta in mulieribus tantum matrimonio iunctis plene verificentur, valent tamen certo sub respectu de omnibus mulieribus. Haec manifeste docet s. Paulus, qui provocando ad ista verba subordinationem omnium mulierum in Ecclesia docet: *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse sicut et lex* (Gen. 3, 16) *dicit.* (I. Cor. 14, 34).

»Vir est familiae princeps«, animadvertit Leo XIII.[1], »et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus eius, subiiciatur pareatque viro, in morem non ancillae sed sociae; ut scilicet obedientiae praestitae nec honestas nec dignitas absit. In eo autem qui praeest et in hac quae paret, cum imaginem uterque referant, alter Christi, altera Ecclesiae, divina caritas esto perpetua moderatrix officii.«

Quia autem fieri potest, ut viri limites a Deo positos transgrediantur et potestate sua abutantur, aequum est, ut legibus quoque positivis humanis mulieribus praesidium impertiatur.

Ex praedictis apparet, quam longe a veritate aberrent, qui vel *absolutam aequalitatem iurium* viri et mulieris statuunt, vel matrimonium *contractum privatum*, a voluntate partium dependentem earumque arbitrio dissolubilem, esse opinantur.

Error quoque magnus et perniciosus esset, adimere parentibus ius educandi filios illudque exclusive tribuere statui civili.

2. Etsi non exclusive, magna tamen ex parte quaestio mulierum est *quaestio victus.*

Quamdiu merces opificio producebantur, quod in familia vel in nexu intimo cum familia fieri solebat, mulieres vel in propria domo vel saltem in aliqua familia laborem quaestuosum, ipsis accommodatum, exercere poterant. Hinc mulieres manebant in sphaera, ipsis a natura praecipue determinata.

Haec vero nostris temporibus magnas immutationes subierunt. Dictio illa antiqua, mulieris proprium locum

[1] Litt. encycl. *Arcanum divinae sapientiae* de die 10. Febr. 1880.

esse domum, in sua generalitate amplius sustineri nequit. Nova industriae incrementa novisque euntes itineribus artes opificium fere omnino excluserunt, et ita mulieres magis magisque coguntur extra familiam quaerere quaestum.

Quae immutationes officium grave iniungunt eis, quorum interest, procurandi, ne propter commoda materialia progressus industrialis bona altiora et idealia amittantur.

Quapropter haec regula generalis statui potest: *Mulieres ad omnes labores quaestuosos admitti possunt, ad quos sufficientem habilitatem possident, supposito, minime obstare rationes moralitatis vel bonum familiae.*

a) Sub *necessaria habilitate* intelligimus corporalem et spiritualem idoneitatem mulieris ad labores quaestuosos. Utraque idoneitas plerumque intime ad invicem coniungitur, quia vita spiritualis hominis multifariam a vita corporali dependet.

Ad quosdam quaestus mulieribus deficiunt vires corporales. Respectus quoque sanitatis excludit mulieres a quibusdam laboribus, praesertim si matres fieri volunt. Si habilitas mulieris dubia est, res convenienter experimento deciditur.

b) Moralitas altera conditio est, sub qua labor mulierum considerari debet. Hoc respectu habito iam plures prodierunt leges civiles, certos labores prohibentes. Ipsi quoque heri hac in re gravibus ligantur officiis.

c) In diiudicando labore respectus haberi debet etiam ad *bonum familiae.* Mediate et remote hic respectus valet pro omnibus mulieribus, immediate et proxime pro *matrimonio iunctis.*

Mulier matrimonio iuncta familiae reservari debet. Sine assidua fere praesentia mulieris in domo salutaris vita familiaris et bona educatio prolis impossibilis redditur. Sanitas quoque mulieris sub tanta mole laborum magnum detrimentum capere debet in damnum prolis et viri.

Plures quidem inspectores et viri periti enunciarunt, in nostra rerum conditione mulieres matrimonio iunctas

a laboribus in fabricis excludi non posse, quia viri merces pro sustentatione familiae insufficiens est. Nihilominus haec exclusio mulierum finis esse debet, ad quem aspiret sana politica socialis.

3. A *rebus politicis*, quibus praesertim ius activum et passivum eligendi et correspondentem influxum in legislationem significamus, ordinarie mulieres excludendae sunt. Hoc enim postulat bonum familiae.

Fundamentum omnis societatis est familia, ex qua prosperitas generis humani efflorescit. Dehinc familia intacta quoad omnia servari debet, quod fieri non potest, nisi mulier in subordinatione sub viri potestate bono familiae tota se devovet.

Neque hac in exclusione mulieris a rebus politicis quidquam indigni reperitur. Naturalis enim vocatio mulieris est cura rei domesticae et educatio prolis, quae vocatio tam excellens et pro felicitate et bono tam singulorum quam communitatis tanti momenti est, ut vocationi viri nulla in re cedat.

In communitatibus et corporationibus maxima ex parte administrativis, quia de rebus proprie politicis non agitur, ius eligendi mulieribus concessum facilius tolerari posset. Istis enim electionibus mulieres a familia minus abducuntur quam politicis. Sed etiam in hac re caute procedendum est.

4. Si agitur de quaestione, utrum mulieres ad *studia* admittendae sint, certe sermo non est de *institutione elementari*, quae ipsis iam ubique committitur.

Neque quaestio moveri potest, utrum puellis altiorum classium statui conveniens eruditio impertiatur. Nam ut mulier viro par sit socia, crescente cultura viri, illa mulieris quoque promoveri debet. Et revera in omnibus terris cultis scholae puellarum diversi generis existunt.

Istae vero scholae sub duplici respectu considerari possunt. Sunt enim vel *praeambula* pro diversis vocationibus vitae publicae, ad quas mulieres idoneae sunt et quae maiorem gradum eruditionis efflagitant. Admissio

mulierum ad varias vocationes consequenter expostulat, ut ipsis occasio praebeatur, sufficientem sibi acquirere eruditionem. Sub hoc respectu scholae puellarum omnino necessariae sunt. Aliae scholae *ut praeparatio ad universitates* considerari debent, proin aequiparantur gymnasiis.

Quae enim puellae idoneae sunt pro studiis altioribus, admitti possunt ad universitates, quamvis minime silentio praeteriri possunt pericula, moralitati et religioni in universitatibus imminentia. Praesertim haec valent de arte medicinae. Sed ipsa peculiaris indoles mulieris vix permittet, ut perseveranter et cum sufficienti experientia variis vocationibus, ad quas praeparant studia universitatum, cum successu operam dare possit.

5. Praecipua pars operationis socialis mulierum in *operatione caritativa* consistit.

Hoc in campo caritatis mulieres inde ab initio christianae religionis mirabilia operatae sunt. Quis nescit operam diaconissarum et mulierum temporibus persecutionum? Deinde per omnia saecula hac in operatione cum viris certaverunt et ipsos multis in rebus superaverunt.

Nostris quoque temporibus hac in re mira operantur. Existimamus tamen, illas ad hoc opus caritatis magis magisque excitandas esse, ut operatione sua caritativa, quantum in ipsis est, ad solvendam quaestionem mulierum, immo expediendam quaestionem socialem in genere conferant.

a) Sunt quidem plurimae mulieres vel laboribus quaestuosis vel cura rei domesticae ita occupatae, ut ipsis neque tempus neque occasio ad opera caritativa supersint. Sed praeter istas magnus numerus talium invenitur, quae istis curis non omnino detinentur. Inter ipsas mulieres matrimonio iunctas dantur quaedam, quibus saltem pars aliqua temporis restat. Plures inveniuntur inter viduas et separatas; plurimae vero inter solutas mediorum et altiorum statuum.

b) Numerus earum, quae nubere nolunt quaeve invitae innuptae manent, in Ecclesia catholica valde imminuitur

per *ordines mulierum*, qui pro sociali conditione mulierum maximi momenti sunt.

Magnae enim illae animae, quae cum omnibus viribus suis Deo se dicant, solutae a mundanis curis, in agro socialis operationis sub intuitu cum spiritualis tum corporalis salutis hominis multa laborant.

Existunt nempe ordines, qui institutioni et educationi puellarum in diversa aetate operam dant; sunt ordines, qui aegrotis curandis inserviunt. Adsunt sorores de bono pastore, quae puellis vel periculo perversionis expositis vel lapsis curam impendunt. Aliae orphanotrophiis praesunt. Tandem congregationes, quae in missionibus multa operantur, silentio praeterire non licet.

Tali ratione mulieribus magnanimis multa occasio praebetur, ut illa tantum cogitent, quae Domini sunt, et se totae devoveant servitio hominis, nil inde sperantes nisi praemium Domini.

c) Vere religiosae mulieres quasi sua sponte ad operationem caritativam ducuntur, nam operosa dilectio proximi non est nisi ramus in arbore amoris divini.

Mulieres, quae insumunt tempus in otio vel voluptatibus vel in inanibus negotiis, ad operationem socialem adduci debent, ut in sphaera, ipsis a natura determinata, hominibus utiles fiant.

Quanta est miseria humana! Non obstantibus progressibus humanis nostri temporis, tanta nihilominus ubique inopia invenitur! Legislatio quidem in pluribus regnis in eo versatur, ut conditio socialis pauperum sublevetur et ipsis sors tolerabilior praeparetur. Sed quanta facienda remanent, quae legislatione publica sublevari non possunt!

Hic locum habet operatio privata, quae magno animo cooperationi in sublimi opere renovationis socialis se dedicat. Ad hanc cooperationem mulieres praesertim vocantur. Sunt enim a natura promptiores et magis idoneae, succurrere indigentiis proximi.

Nihil namque pulchrius, nil iucundius cordi nobili esse potest, quam beneficia distribuere, lacrimas abster-

gere, corda fracta erigere et calorem caritatis divinae in domus pauperum et miserorum spargere.

Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. (Matth. 25, 40). Quam admirabile verbum dilectionis divinae et misericordiae! Minimus mendicus certo sensu substitutus Christi est, ut per ipsum Filius Dei beneficia oblata recipiat.

Vere viva fides in omnibus bonis christianis mirabilia cooperatur, ut christianos patientes membra Christi cognoscant et compatienti caritate complectantur.

d) Variis autem modis haec opera caritatis exerceri valent. Quaelibet mulier iam in vicinitate sua quoad mores, quoad religionem et relate ad res oeconomicas multa operari potest, ut miseriae spirituali ac temporali occurratur.

Hac in re *famulorum domesticorum* ratio habenda est. Certe aliquando causa in famulis et famulabus posita est, ut contractus servitii tam cito solvatur, sed non semper. Frequentius causa etiam in agendi ratione erga famulos et famulas quaerenda est, immo innocentiae eorum etiam laquei parantur.

In servitoribus ergo praesertim mulieres christianae caritatis operationem incipiant. Recordentur verbis apostoli Pauli: *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.* (I. Tim. 5, 8). Ad domesticos autem pertinent etiam servi et servae, qui et quae in sensu christiano quodammodo membra familiae sunt et bonorum vitae familiaris participes. Exinde institutum, *Marianum* dictum, iterum commendamus.[1]

Latus locus operationis caritativae in *proximis*, forsan sub eodem tecto viventibus, invenitur. Mulier opibus abundans et vero spiritu christiano animata, facile occasionem reperiet succurrendi alienae miseriae. Sicut mulier fortis *manum suam aperiet inopi et palmas suas extendet ad pauperem.* (Prov. 31, 20).

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Pag. 264.

Alia pars operationis caritativae est *cura pauperum et orphanorum.* Etsi ex parte communitatum et provinciarum, potissimum ab Ecclesia catholica, pro cura pauperum, aegrotorum et orphanorum multa fiant, haec tamen operatio non sufficit, praesertim in urbibus maioribus. Multa miseria et inopia ab hominibus absconditur. Hic maxime mulieres, rebus terrenis haud destitutae, operam suam exercere possunt.

e) Operatio vero caritativa, ut magna et quae manent efficiat, permanenter organisata esse debet. Huic scopo inserviunt *societates* et *uniones*, pro variis finibus socialibus constitutae. Vires enim unitae crescunt et operantur ultra tempus vitae singulorum membrorum.

Ecclesia catholica, quae numquam non pauperes summo studio commendatos sibi habuit, pro variis speciebus indigentium congregationibus religiosis providit. Lacunae tamen inveniuntur, quae a mulieribus divitibus et religiosis expleri debent.

In Nostra dioecesi iam existunt *societates mulierum catholicae activae caritatis* Marburgi, Celeiae, Petovii,[1] quae fere eundem finem eamque organisationem habent ac societates s. Vincentii a Paulo, cum eo tantum discrimine, ut curam mulierum pauperum et aegrotarum praecipue gerant. Praerogativa harum societatum in eo consistit, ut altiores status *in persona* se demittant ad pauperes et tali ratione abyssum illum expleant, qui inter ordines altiores et pauperes nostris temporibus existit.

Alia societas mulierum in Nostra dioecesi est associatio mulierum christiana Marburgi et Petovii[2], quae membrorum indigentiis subvenire studet.

Patronatus puellarum a s. Philippo Nerio Marburgi curam gerit, ut puellae a periculis mundi praeserventur, et *Congregatio Mariana* apud sorores scholares Marburgi magistris et aspirantibus ad magisterium tutelam praebet. Istae societates tam numero quam activitate in dies augentur.

---

[1] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pag. 232. — [2] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pag. 232.

Eximium locum occupat quoque *societas a perpetua adoratione sanctissimi Sacramenti,* quae pauperibus ecclesiis dioecesis Lavantinae quovis anno permulta paramenta sacra, a piis matronis gratis confecta, distribuit.[1]

His autem societatibus aliae pro necessitate dioecesis adiungantur. Sunt vero pro mulieribus matrimonio iunctis *societates matrum,* quae scopum habent, ut bona christiana educatio non in membris tantum, verum etiam in aliis promoveatur.

Utilem socialem finem prosequuntur *societates operariarum,* quae *religiositatem* et *moralitatem* protegunt, familiarem honestam delectationem curant et institutionem convenientem praebent.

Denique silentio praeteriri non potest *unio caritatis,* quae ordinatum exercitium operum pietatis in theoria et praxi intendit, et coadunationem et organisationem virium in campo caritatis laborantium, praesertim societatum et institutorum perficere cupit. Quotannis congregatio generalis habetur, ubi refertur de operatione caritatis et quaestiones caritativae discutiuntur ac ventilantur. Unio fundationem quoque coniunctionum dioecesanarum intendit, quam et Nos pro Nostra dioecesi exoptamus.[2]

Occasiones ergo pro operatione caritativa mulieribus profecto non desunt. Quamquam vero opera pietatis ipsis maxime propria sunt et accommodatissima, tamen minime excluduntur ab exercitio artis vel litterarum, si facultates necessarias possident et praeparatione requisita haud destituuntur.

Quae in muliere aestimantur et diliguntur, non est gratia vel pulchritudo, sed *vera religiositas* et *moralis eminentia,* amor, mansuetudo, patientia, pietas, cura ipsius assidua in familia uti uxoris et matris. Quae vero valent de muliere in familia, ea valent de mulieribus in genere.

Omnis vero operatio mulierum, ut fini ipsis proposito respondeat, *spiritu vere christiano* imbui debet. Prop-

[1] Venite, adoremus! Družba vednega češčenja presvetega rešnjega Telesa in za podporo ubožnih cerkev Lavantinske škofije. Maribor, 1901. — [2] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese. Jahrgang 1907. Cerkveni zaukaznik za Lavantinsko škofijo. Letnik 1907. Pagg. 90—101.

terea quaestio de mulieribus, sicuti essentialiter religiosa est, nonnisi principiis christianis solvi potest. *Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium eius . . . Fallax gratia et vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.* (Prov. 31, 10. 30).

Cap. CLI.

De vetita clericis temporali administratione.

Quum iam ipse beatus apostolus Paulus s. Timotheum monuerit: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* (II. Tim. 2, 4), Ecclesia, memor huius apostolici verbi, clericos a negotiis et administrationibus saecularibus constanter avocavit suoque servitio perfecte mancipatos esse voluit.

Hinc iam in sexto canone sanctorum apostolorum occurrit dispositio: »Episcopus aut presbyter aut diaconus saeculares curas non suscipito; alioquin deponitor.«[1]

Ideo a primis Ecclesiae temporibus rei tantum domesticae rationabilis administratio clericis permissa est. Id quod potissimum obtinet, si clerici *bona ecclesiae* administrant, quae ut providi patres familias administrare tenentur.[2] Haec enim administratio clericos neque a divinis officiis vel obligationibus proprii status avocat neve implicat negotiis saecularibus.

Quia Ecclesia priscis saeculis proprios reditus exiguos habebat, clericis etiam illa administratio, quae ad *propriam sustentationem* necessaria erat, interdicta non fuit, sed illa tantum, quae turpis lucri causa exercebatur.[3] Quae exceptio de casu necessitatis vel ipso iure Decretalium et Concilii Tridentini[4] non est sublata.

Quod nostram aetatem attinet, viri docti contendunt, clericos non prohiberi, quominus etiam honestis societatibus commercialibus vel industrialibus v. gr. ferroviarum, iam constitutis, pecuniam mutuent sive *obligationes* vel

4. D. [1] In C. I. C. post Decretum Gratiani. — [2] c. 1. 6. X. III. 50. — [3] c. 3. D. 91; c. 2. 9. 10. D. 88. — [4] Conc. Trid. sess. XXII. cap. 1. de ref.

actiones illarum sibi comparent, *quin tamen in earum administratione partes habeant.*[1]

In Nostra Synodo dioecesana, anno 1896 celebrata, quoad munera saecularia statutum est: »Munus vel officium mere civile e. gr. in communitate, in districtu, nemini sacerdotum licet suscipere, quin prius facultatem ad id ab Episcopo obtinuerit.«[2]

De societatibus vero cooperativis *pro consummatione* in Synodo dioecesana, anno 1900 instituta, edita est dispositio: »Circa societates autem cooperativas *pro consummatione* agendum est maxima cum prudentia et circumspectione. Si in *circumstantiis* prorsus singularibus, attentis omnibus momentis, earundem erectio necessaria videbitur, earum moderatio committatur honestis et in hisce rebus bene versatis laicis.«[3] Et quicumque huic monitioni obtemperaverunt, a magnis damnis, sive in rebus temporalibus sive in bonis famae, servati sunt.

Recenter Archiepiscopi et Episcopi imperii austriaci in litteris pastoralibus ad Clerum datis die 16. Novembris 1910 haec praescripserunt: »Clerus huic (sociali) actioni salubriter intentus semper prae oculis habeat, ut dum terrenis indigentiis levamen aliquod affert, Christi spiritum in christiana plebe vivificet. Insuper memor sit Clerus in actione sua sociali iam memorati moniti apostolici: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.* (II. Tim. 2, 4). Ideo in institutionibus oeconomicis et industrialibus regendis nonnisi consulto Ordinario partes praecipuas agat nec inconsulto Ordinario munus praesidis aut arcarii pecuniarum subeat.«[4]

Novissime vero Summus Pontifex Pius X. per decretum sacrae Congregationis Consistorialis *Docente Apostolo* de die 18. mensis Novembris 1910[5] de vetita clericis temporali administratione, quae sequuntur, decrevit:

[1] Franciscus Xav. Wernz S. I., Ius Decretalium. Romae, 1899. Tom. II. pag. 315 sq. — [2] Gesta et statuta Syn. dioec. Lav. anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pag. 209. — [3] Actiones et constitutiones Syn. dioec. Lav. anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Pag. 264. — Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese, 1900. Num. III. pagg. 58–60. — [4] Folium officiale dioecesis Lavantinae, 1910. Nr. XIII. alin. 116. pag. 191. — [5] Folium officiale dioecesis Lavantinae, 1910. Nr. XII. alin. 103. pag. 174.

Docente Apostolo Paulo, *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* (II. Tim. 2, 4), constans Ecclesiae disciplina et sacra lex haec semper est habita, ne clerici profana negotia gerenda susciperent, nisi in quibusdam peculiaribus et extraordinariis adiunctis et ex legitima venia. »Cum enim a saeculi rebus in altiorem sublati locum conspiciantur«, ut habet sacrosanctum Tridentinum Concilium (sess. XXII. cap. 1. de ref.), oportet ut diligentissime servent inter alia, quae »de saecularibus negotiis fugiendis copiose et salubriter sancita fuerunt«.

Quum vero nostris diebus quam plurima, Deo favente, in christiana republica instituta sint opera in temporale fidelium auxilium, in primisque arcae nummariae, mensae argentariae, rurales, parsimoniales, haec quidem opera magnopere probanda sunt Clero, ab eoque fovenda; non ita tamen, ut ipsum a suae conditionis ac dignitatis officiis abducant, terrenis negotiationibus implicent, sollicitudinibus, studiis, periculis, quae his rebus semper inhaerent, obnoxium faciant.

Quapropter Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X., dum hortatur quidem praecipitque, ut Clerus in hisce institutis condendis, tuendis augendisque operam et consilium impendat, praesenti decreto prohibet omnino, ne sacri ordinis viri, sive saeculares sive regulares, munia illa exercenda suscipiant retineantque suscepta, quae administrationis curas, obligationes, in se recepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii horumque similium. Statuit itaque ac decernit Sanctissimus Dominus Noster, ut clerici omnes, quicumque in praesens his in muneribus versantur, infra quattuor menses ab hoc edito decreto, nuncium illis mittant, utque in posterum nemo e Clero quodvis id genus munus suscipere atque exercere queat, nisi ante ab Apostolica Sede peculiarem ad id licentiam sit consequutus. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, ex aedibus sacrae Congregationis Consistorialis, die 18. mensis Novembris anno 1910.

L. S. C. Card. **De Lai**, Secretarius.
S. Tecchi, Adsessor.

Actio, quae audit socialis, magnam prudentiam et cautionem exigit a sacerdote. Sancta mater Ecclesia desiderat quidem atque vult, sacerdotes actioni sociali provehendae sollertem impendere curam. Inclytae memoriae Leo XIII. in encyclica *Graves de communi* de die 18. Ianuarii 1901 aperte affirmavit, prodire in populum in eoque salutariter versari opportunum esse. Verum in hac quoque re certi fines sunt, intra quos sacerdotem se continere oportet, ut decori et dignitati suae consulat.

Quo securius ac sine fidelium offendiculo sacerdos ea in re agat, instar normae sibi sumat praelaudatum decretum sacrae Congregationis Consistorialis diei 18. Novembris 1910 de vetita clericis temporali administratione. Non est mens Sanctae Sedis, instituta temporalibus commodis condita inde vel minimum detrimentum capere, sed hocce decretum id tantum consilii prosequitur, ut sacerdotum ad actionem socialem cooperatio prudenter temperetur, ne nimiis curis a suae conditionis sacerdotalis officiis abstrahantur, vel ne ex malo successu temporalium negotiorum eorum auctoritas discrimini exponatur.

Hoc tunc maxime timendum est, quando malus successus sacerdotis imperitiae vel levitati tribuendus est. Quo etiam fit, ut sacerdotes sibi et universo coetui plebis odia adsciscant. Plebs namque odia a religionis ministris ad ipsam sacram religionem transferre consuevit. Quamobrem praedictum decretum religiose a curionibus observandum est, ut securo gressu operam suam ad actionem socialem conferre valeant.

Ut huic decreto quo citius ac melius satisfiat, et ab arcis quoque nummariis omne damnum arceatur, a princ.-episc. Consistorio editum est Circulare de die 11. Ianuarii 1911 Nr. 145, in quo prae caeteris illud incul-

catum est, Sanctissimum Dominum Pium PP. X. minime intendere, omnem cooperationem clericorum ab his institutis excludere. Hortatur enim Summus Pontifex ac mandat, ut Clerus in hisce institutionibus condendis, tuendis augendisque operam et consilium impendat. Sed hoc decreto illa tantum pericula a Clero removeantur, quae his rebus semper inhaerent.

Idcirco ab officiis parochialibus expetita sunt responsa, quo tempore hoc decretum absque ullo damno quoad omnes suas partes executioni dari possit, et quot sacerdotes interim munere vel praesidis vel a secretis vel arcarii vel moderatoris fungi debeant.[1]

---

[1] Tenor huius Circularis est:

Z ozirom na besede sv. Pavla apostola: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* (II. Tim. 2, 4), se je na našem škofijskem zboru leta 1896 določilo to-le: „Munus vel officium mere civile e. gr. in communitate, districtu et huiusmodi nemini sacerdotum licet suscipere, quin prius facultatem ad id ab Episcopo obtinuerit.“ (Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pag. 209).

V pastirskem listu avstrijskih nadškofov in škofov do svojih duhovnikov z dne 16. novembra 1910 pa se nahaja naslednje določilo: „In institutionibus oeconomicis et industrialibus regendis nonnisi consulto Ordinario partes praecipuas agat Clerus nec . . munus praesidis aut arcarii pecuniarum subeat.“

Sedaj so pa sveti oče z odlokom sacrae Congregationis Consistorialis *Docente Apostolo* z dne 18. novembra 1910 zastran denarnih zavodov in zadrug izdali to-le prepoved: „Ne sacris ordinis viri, sive saeculares sive regulares, munia illa exercenda suscipiant retineantque suscepta, quae administrationis curas, obligationes, in se suscepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii horumque similium.“

S to prepovedjo sveti oče nikakor ne nameravajo zabraniti vsakega sodelovanja pri teh zavodih, ker se v dekretu poudarja: „Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X. hortatur praecipitque, ut Clerus in hisce institutis condendis, tuendis augendisque operam et consilium impendat“; ampak hočejo samo odstraniti to, kar bi moglo duhovski časti škodovati: „Haec quidem opera magnopere probanda sunt Clero ab eoque fovenda; non ita tamen, ut ipsum a suae conditionis ac dignitatis officiis abducant, terrenis negotiationibus implicent, sollicitudinibus, studiis, periculis, quae his rebus semper inhaerent, obnoxium faciant.“

Da se zadosti zgoraj imenovanemu naročilu svetega očeta, in da se tudi zadruge obvarujejo vsake škode, dokler ni mogoče v popolnem obsegu izvršiti tega dekreta, se naroči, da se kmalu odgovori na nastopna vprašanja:

1. Do katerega časa bi bilo mogoče zadostiti terjatvi tega dekreta?

2. Koliko duhovnikov bi moralo sedaj še ostati v načelstvu, in sicer kot načelnik, tajnik, blagajnik ali kot člani načelstva?

Ta okrožnica se vpošlje potom kn.-šk. dekanijskega urada vsakemu kn.-šk. župnijskemu uradu z naročilom, da na vprašanja nemudoma odgovori in okrožnico istim potom vsaj do 1. februarja 1911 semkaj vrne, da se more vse potrebno o pravem času iz Rima preskrbeti.

Kn.-šk. Lavantinski konzistorij v Mariboru, dne 11. januarja 1911.

Ex responsis ad hoc Circulare innotuit, nonnullos sacerdotes istis muneribus iam nuncium misisse, alios proximo tempore hoc facturos esse, in aliis vero institutis, ne quid damni ipsis vel actioni catholicae inferatur, praelaudato decreto s. Congregationis Consistorialis *Docente Apostolo* de die 18. mensis Novembris 1910 nonnisi sensim sine sensu satisfieri posse, donec viri idonei inveniantur vel excolantur, quod per cursus speciales obtinere student.

Edocti hac ratione de vero statu huius rei in dioecesi Lavantina pro facultate necessaria ad s. Congregationem Consistorialem sequentem petitionem misimus:

Beatissime Pater!

Decretum S. Congregationis Consistorialis de vetita clericis temporali administratione, quod incipit »Docente Apostolo«, de die 18. mensis Novembris 1910, quo opera et consilium Cleri in condendis, tuendis et augendis institutis nummariis sapientissime temperantur, ut damna et pericula, quae his rebus semper inhaerent, a Clero arceantur, animo obedientissimo et obsequentissimo recepi.

Quod decretum ut in dioecesi Lavantina omni meliori modo executioni mandetur, quoad dicta opera, ex quibus commoda haud parva in fideles redundant, investigationem instituendam curavi. Hac ratione innotuit mihi, in nonnullis institutis dispositionibus praelaudati decreti vel iam satisfactum esse vel illico satisfieri posse, in aliis vero, ne quid damni ipsis inferatur, nonnisi pedetentim, donec viri idonei inveniantur vel excolantur.

Quapropter ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime supplico, quatenus Sanctitas Vestra mihi facultatem indulgere gratiosissime dignetur, licentiam, si opus fuerit, sacerdotibus concedendi, officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii horumque similium retinere vel suscipere ad tempus, donec decretum supra memoratum quoad omnes partes et ubique in praxim deducatur.

Et Deus . .

Marburgi, in festo s. Catharinae de Riccis, die 13. Februarii 1911.

† **Michael,**
Episcopus Lavantinus.

A Sede Apostolica dein Ordinariis ditionis austriacae ad communes preces haec peculiaris facultas ad biennium hac in re est concessa.

Rescriptum
Sacrae Congregationis Consistorialis.

Num. Protoc. 185/11.

Romae, die 15. Februarii 1911.

Beatissime Pater!

Archiepiscopi et Episcopi Ditionis Austriacae ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, humillime postulant, ut Sanctitas Vestra saltem ad tempus Clerum dioecesium Austriacarum dispensare dignetur super Decreto Consistoriali *Docente Apostolo.*

Et Deus etc.

Die 15. Februarii 1911. — Sacra Congregatio Consistorialis vigore facultatum a Sanctissimo D. N. Pio X. sibi tributarum, Archiepiscopis et Episcopis oratoribus facultatem ad biennium iuxta petita concedit, ut licentia detur sub lege curandi, ut interim laici viri experti et probatae fidei sensim sufficiantur sacerdotibus, et constito in singulis casibus, quod nulla irregularitas in administratione arcae nummariae seu mensae adsit, ita ut pericula quaelibet scandalorum et processuum ex mala administratione remota sint. Contrariis quibusvis non obstantibus.

L. S. C. Card. **De Lai,** Secret.

Innitendo huic rescripto princ.-episc. Consistorium Lavantinum litteris circularibus de die 21. Martii 1911

Nr. 1281 omnes sacerdotes, qui decreto *Docente Apostolo* de die 18. Novembris 1910 ligantur et eiusdem praescripto pro tempore illico satisfacere non valent, invitavit, ut licentiam necessariam petant.

In his litteris expositum quoque est, prohibitionem ad opera, in temporale fidelium auxilium instituta, imprimis ad arcas nummarias, mensas argentarias, rurales, parsimoniales referri, eaque teneri omnes et solos, qui administratione pecuniaria occupati sunt, ut praesides, moderatores, a secretis, arcarii et generatim omnes, qui membra sunt directionis.

Non autem prohibentur sacerdotes, quominus socii, consiliarii et inspectores talium institutorum sint, dummodo exinde nulla obligatio in re pecuniaria sequatur.[1]

Ad preces dein oblatas in casibus circiter septuaginta licentia ad biennium concessa est oratoribus permanendi in suis muneribus, servatis conditionibus in rescripto expressis.

Speramus vero, omnes sacerdotes collaboraturos esse, ut decreto *Docente Apostolo* quam primum in omnibus partibus satisfieri possit.

Nos non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est. (I. Cor. 2, 12). *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra . . in curis huius vitae!* (Luc. 21, 34).

[1] Litterae circulares huius tenoris sunt: Da se začasno uredijo razmere duhovnikov do denarnih zavodov, kakor veleva odlok sacrae Congregationis Consistorialis *Docente Apostolo* z dne 18. novembra 1910, se naroči vsem duhovnikom, ki še ne morejo sedaj izstopiti iz načelstva, da si nemudoma izprosijo od prečastitega kn.-šk. ordinariata tozadevno dovoljenje, ako tega še niso storili.

Pripomni se, da tega dovoljenja ne potrebujejo: 1. Duhovniki, ki so člani načelstva drugih zadrug, katerim ni denarni promet glavni namen; 2. Duhovniki, ki so udje nadzorstva denarnih zavodov; 3. Duhovniki, ki sicer sodelujejo pri denarnih zavodih, toda niso člani načelstva.

Kn.-šk. Lavantinski konzistorij v Mariboru, dne 21. marca 1911.

Caput CLII.

De successu organisationis christianae in dioecesi ab origine usque ad praesens tempus.

»»Humanum genus, posteaquam a creatore munerumque coelestium largitore Deo, invidia diaboli, miserrime defecit, in *partes duas diversas adversasque discessit*; quarum altera assidue pro veritate et virtute propugnat, altera pro eis, quae virtuti sunt veritatique contraria. Alterum *Dei est regnum*, vera scilicet Iesu Christi Ecclesia, cui qui volunt ex animo et convenienter ad salutem adhaerescere, necesse est Deo et Unigenito Filio eius tota mente ac summa voluntate servire. Alterum satanae est regnum, cuius in ditione et potestate sunt, quicumque funesta ducis sui et primorum parentum exempla secuti, parere divinae aeternaeque legi recusant et posthabito Deo multa contra Deum contendunt. Duplex hoc regnum, duarum instar civitatum contrariis legibus contraria in studia abeuntium, acute vidit descripsitque Augustinus et utriusque efficientem causam subtili brevitate complexus est hisce verbis: »Fecerunt civitates duas *amores duo:* terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, coelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui.«[1]

Dei regnum in terris fundavit ipse Dei Filius assumpta, *quando venit plenitudo temporis* (Gal. 4, 4), in divinam Personam humana natura, quam Spiritus Sancti virtute accepit ex beata Maria Matre semperque Virgine. Hic nempe Iesus, qui vocatur Christus, mundum vitiis et quasi senectute senescentem ipse per se et in se divinitus instauravit, quum in terris versatus divinam suam doctrinam spargeret hominibus, morte sua sanctissima mundum totum omnesque homines redimeret a peccatis atque a satanae servitute liberaret, gratias humano generi promereretur uberrimas, quae a cruce eius

[1] Leonis XIII. litt. encyclicae *Humanum genus* de die 20. Aprilis 1884.

per sacramenta quasi per canales manarent ferrenturque in genus hominum totum.

Propagatores ac gubernatores regni Dei Dominus noster constituit apostolos eorumque successores, Episcopos et sacerdotes, tales igitur viros, in quorum cordibus secundum exemplum Principis apostolorum amor Dei ardebat atque ardet usque ad contemptum sui. Quae Christi caritas, primario accensa in corde Iesu Dei-hominis indeque concepta in cordibus eorum, qui de sacerdotali participant charactere Christi, coelestem illam civitatem aedificavit, quae vera Christi Ecclesia est et societas eorum, qui pro veritate et virtute propugnant, quaeque semper dimicare debet contra satanae regnum.

Idcirco illorum, quos ipse Christus tamquam Dei amatores vocavit ad ministerium suum quosque fecit dispensatores mysteriorum Dei (I. Cor. 4, 1), est omnibus modis procurare ac omnibus mediis adlaborare ac niti, ut omnes, quorum cura ipsis commissa est, homines huic Dei regno inserantur, Christo ingenerentur, in Ecclesiae societate, quae verus completusque organismus est, immo in terra perfectissimus, quum nihil aliud sit quam verum corpus sub capite Christo, tamquam viva membra vigeant, instructi omnibus mediis tam supernaturalibus quam naturalibus, quibus cum finis proximi in terra tum ultimi in coelo capessendi facultatem habeant. Haec vero summa illius actionis est, quae *organisatio* dicitur *christiana*.

De seminariis clericorum ac puerorum qua fundamentis christianae organisationis.

Principale, immo unicum organisationis christianae munus opusque est aedificatio et conservatio Ecclesiae, quae iuxta hymni ecclesiastici in festo Dedicationis Ecclesiae verba viventibus saxis, hominibus nempe, coalescit extolliturque ad astra tamquam »coeli corusca civitas«. Saxa vero, antequam inaedificentur domui, caedi debent et dolari atque poliri. Hoc idem in vivis mem-

bris Dei civitatis praestandum concinne ac praeclare describit iam allegatus hymnus.

Malleus scilicet doctrinae et disciplinae, quo tundi debent tam aures quam corda hominum, *principale est instrumentum organisationis christianae.*

Unde sacerdotes amplae dioecesis Lavantinae, in quorum cordibus ardebat atque ardet ille, quem s. Augustinus tam egregie praedicavit, amor Dei usque ad contemptum sui, Antistite ipsorum semper cohortante, regno Dei in mundo et in cordibus hominum erigendo, dilatando, communiendo firmiter insistebant tum assidua verbi Dei praedicatione, tum sollicita sacramentorum administratione et, quae illam consequitur, hominum sanctificatione per gratiam ac virtutes.

Quoniam vero sine fabro domus exstrui non potest, semper Nostrae et praedecessorum Nostrorum curae erat, ut fabri illius coelestis urbis Ierusalem compararentur et ad munus suum gravissimum sancte diligenterque instituerentur.

Felicis memoriae praedecessor Noster Antonius Martinus (1846—1862), qui verbo, missionibus, scriptis multum insudabat in fide et scientia religiosa in populo adaugenda et in exstirpandis ultimis surculis illius tepiditatis religiosae, quae vulgato nomine Iosephinismus appellatur, ardenter, prouti Nos quoque cupimus, cupiebat, ne parum haberet cooperatorum in vinea Domini utque hi in sede episcopali sub oculis Episcopi educarentur. Quod multis praetergressis transactionibus actibusque praeparatoriis tandem feliciter evenit, quum scilicet studium theologicum in proprio seminario clericorum Marburgi inchoatum esset die 10. Octobris anno 1859, quo sedes episcopalis Lavantina ex oppido s. Andreae in valle Lavantina Marburgum translata est.[1]

Nostrum *seminarium clericorum*, in quo mansio et sustentatio parata est pro 69 alumnis, qui numerus nunc temporis fixus habetur alumnorum sumptibus fundi

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Pag. 406 sqq.

religionis in seminario alendorum, qui tamen numerus magno Nostro dolore pluribus iam decurrentibus annis non amplius est completus, hoc igitur clericorum seminarium nomen suum plane prorsusque meretur tum quod ad scientiarum sacrarum pertinet studium, tum quod moralem spectat clericorum institutionem. Quot enim iam ex eo prodierunt boni egregiique sacerdotes, viri scientia et pietate instructi, prospere operantes in vinea Domini, optime meriti de salute populi tam spirituali quam corporali!

Praeter clericorum illius quoque, quod minus vel *puerorum* vocatur, *seminarii* curam Episcopis mandat Concilium Tridentinum.[1]

Tali enim instituto inopiae consulitur illorum adolescentium, qui clericis adscribi velint, et efficitur, ut semper praesto adsint iuvenes, qui ad futurum munus et statum sacerdotalem iam a teneris annis ad vitae innocentiam, religionem, modestiam et ecclesiasticum spiritum informentur.

Ad nostram quod attinet dioecesim, quaedam seminarii puerorum initia, praedecessore Nostro Antonio Martino auctore, anno 1847 Celeiae facta sunt. Sex annis post speciali eius epistola, die 15. Augusti 1853 Clero et populo Lavantino missa, proprie seminarium nomine Maximiliani conditum est Celeiae, anno vero 1861 gravi huius Antistitis epistola die 16. Augusti Marburgi nomine Victorini constitutum est. Utrumque seminarium paucis post annis coniunctum est mansitque Celeiae usque ad annum 1871, donec Kal. Maiis 1878 hoc seminarium, nunc Maximilianum-Victorinum nuncupatum, in novis aedibus, unitis Cleri populique Lavantini viribus exstructis, sollemniter aperiretur. Quum domus haec iuvenibus petentibus, ut acceptarentur, non sufficeret, felicis memoriae praedecessoris Nostri Iacobi Maximiliani (1862—1889) munificentia aedes denuo adaptatae et auctae sunt, ita ut 80 iuvenes excipere possint.[2]

[1] Sess. XXIII. cap. 18. de reformat. — [2] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pagg. 393sqq. Fu-

Nos quoque sacrum seminarii finem et Ecclesiae ac reipublicae proficuum aestimantes nummos non mediocris summae exsolvimus, quo adamantini iubilaei presbyteratus nunc iam in Domino quiescentis Leonis PP. XIII. et aurei iubilaei imperii Suae caes. ac reg. Apostolicae Maiestatis Francisci Iosephi I. perennis in seminario memoria habeatur.[1]

Quae Deo O. M. favente sanctisque Maximiliano et Victorino benigne intercedentibus prospere successisse nemo est, qui neget. In his tamen non acquiescimus. Vehementer nempe Nobis in votis est et optatis, ut in dioecesi Nostra secundum adhuc et tertium (Celeiae nimirum atque Petovii) erigatur seminarium puerorum. Hoc nostrum intimum et ardens desiderium, quotiescumque occasio data est, manifestum fecimus atque in populum protulimus litteris pastoralibus anno 1909, his verbis usi: »Ad perpetuam laetam memoriam aurei iubilaei felicis translationis sedis episcopalis de s. Andrea Marburgum animo Nobis proposuimus atque intendimus alterum viridarium puerorum dioecesanum ad eruditionem proborum ac idoneorum theologorum erigendum, quo sacerdotum in dies crescens inopia praecaveatur. Qua in re firmam fiduciam habemus divinae clementiae ac gratiae simulque confidimus in generoso benefaciendi animo reverendorum sacerdotum ac dilectorum laicorum. Certe est uniuscuiusque dioecesanorum excellens officium, ut statui clericali idoneos comparet candidatos. Neque quisquam id, quod superfluum habet rerum temporalium, melius ac Deo gratius insumere potest, quam illud tradendo ad id, ut semper succrescat et etiam nunc augeatur debitus proborum sacerdotum numerus.«[2]

---

sius hac de re tractat liber: „Vtisnite si te moje besede v svoja srca in v svoje duše!“ (Devter. 11, 18). *Govor* do semeniščanov in semeniške zgodovine *obris* v spomin na praznovanje brezmadežnega spočetja device Marije v Mariborskem dijaškem semenišču dne 8. grudna 1909, priobčil *Dr. MihaelNapotnik*, knezoškof Lavantinski. V Mariboru, 1910. — [1] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Pagg. 441 sqq. — [2] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese, de die 11. Februarii 1909. Nr. III. pag. 27.

Deus, qui mirabilis est in operibus suis, Nos voti Nostri sinceri benigne faciat compotes!

De piis sodalitiis et congregationibus.

Quum sacerdos sui muneris vi pastor sit animarum, illas revera pascere debet. Pascere vero hoc primum est docere. Sic nempe Deus per Ieremiam prophetam promittebat: *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.* (Ier. 3, 15). Et s. Paulus protestatur: *Vae mihi est, si non evangelizavero!* (I. Cor. 9, 16). Praeter pabulum doctrinae christianae pastor animarum ovibus Christi sibi commissis et illud praebere debet coeleste pabulum, quod Christus Dominus in synagoga Capharnaum promisit, in ultima coena primum dedit apostolis et omnibus in se credentibus ad finem temporis usque dandum mandavit, quod est ipse Iesus Christus, Deus-homo, vere, realiter et substantialiter praesens in Eucharistia.

Si quidem ars artium est regimen animarum, nunc temporis non succedet animarum curator administrando hanc artem, nisi adhibeat illud hodierni temporis efficax et fertile medium, quod *congregatio* dicitur vel *unio* vel *coalitio.*

Homo natura sua propensus atque proclivis est ad se uniendum cum alio, ut ope aliena adiutus mala evadat, quae ipse fugere non potest, et viribus consociatis certum adipiscatur finem, sibi aliisque salubrem. Quod ipsa Scriptura his exprimit verbis: *Melius est duos esse simul quam unum; habent enim emolumentum societatis suae. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Vae soli, quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se.* (Eccle. 4, 9. 10).

Quam indolem hominis naturalem, qua adversarii Ecclesiae et status, freti illo rerum usu probato principio *vis unita fortior,* ad conamina sua funesta perficienda abutuntur, sacerdos satellitem et ministram faciat muneris sui, quod est *instaurare omnia in Christo* (Ephes. 1, 10), *ut sit omnia et in omnibus Christus.* (Coloss. 3, 11).

Quod pias attinet consociationes, Nos omnem nacti occasionem et opportunitatem vel maxime in omnibus Synodis Nostris inde a prima vos, venerabiles in Christo fratres, cohortati sumus atque nunc vos commonemus, ut congregetis ac uniatis populum, curae Nostrae commissum, ut pias sodalitates, ubi adhuc desunt, constituatis, constitutas moderemini et provehatis, spiritu et caritate imbuti summi Pastoris animarum hominumque omnium Redemptoris et memores monitionis illius, quam s. Paulus dedit dilecto filio suo Tito: *In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum* (Tit. 2, 7), et iterum Timotheo, cui praecepit: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate!* (I. Tim. 4, 12).

Conspectus consociationum testatur, in dioecesi Lavantina pia sodalitia exstare permagno numero illaque esse tum extensive tum intensive aeque frequentia. Quam ampla lateque diffusa *organisatio precum fundendarum atque sanctissimae Eucharistiae suscipiendae et caritatis christianae exercendae!* Quam potenter accenditur et efficaciter fovetur per tales consociationes spiritus precum! Si in dioecesi Nostra — Deo sint gratiae — valida adest et creberrima acies precantium atque supplicantium utriusque sexus, omnis status et aetatis, tales ex his piis sodalitatibus congregari et etiam atque etiam confluere experientia constat.

Laetamur quoque exprimere Nos verbis ac confirmare posse, quod experti sumus tum in adultis tum in iunioribus, quod scilicet cum veneratione et amore beatae virgineae Matris Mariae creverit et in dies crescat *studium rosarii Marialis* recitandi, ad quod promovendum Leo PP. XIII. tot olim edidit praeclarissimas litteras, et quod integer mensis October secundum mentem Leonis XIII., qui epistola encyclica *Supremi apostolatus officio* de die 1. Septembris 1883 hunc mensem primum dicavit paciferae Reginae a rosario atque devovit, iuxta ordinationes Sedis Apostolicae a dioecesanis Lavantinis in omnibus parochiis quotannis observetur libenter et cum magno spirituali emolumento.

Susceptionem sacramentorum, praesertim sanctissimae Eucharistiae, per catholicas sodalitates valde promoveri, pariter nemo est, qui neget. Quae piae sodalitates certe plurimum quoque conferent, ut desiderium, immo decretum Suae Sanctitatis Pii PP. X. de quotidiana sanctissimae Eucharistiae communione effectui mandetur, quantum possibile est, semper et ubique. Profecto, si quod pium sanctumque votum pro plebe curae vestrae concredita corde fovemus, illud prorsus singulare est, ut fideles ad Regem in tabernaculo residentem adducatis. In adoratione sanctissimae Eucharistiae frequentique immo quotidiana eius sumptione mater Ecclesia nostris diebus votorum suorum summam reponit.

Sitis ergo, venerabiles fratres, horum Ecclesiae sacrorum desideriorum ad populum praestantes interpretes, sitis proprii populi ad Iesum eucharisticum duces! Deducite ad effectum decreta Pontificia huc valentia! Obstringite vos omni cum diligentia, ut crebra et quotidiana communio in consuetudinem veniat! Hac aemulatione a vobis educabitur novum genus, *genus electum, gens sancta, populus acquisitionis* (I. Petr. 2, 9), in quo Rex regum stabilem constituet thronum, amore et pace regnaturus. Adveniat ad nos regnum Iesu Christi eucharisticum!

Grato, quo erga Deum, auctorem omnis boni operis, repleti sumus animo, referimus ac laetis his verbis significamus, organisationem *perpetuae* quoque *adorationis* sanctissimae Eucharistiae sacramenti in dioecesi Nostra esse perfectam. Inde a I. Dominica Adventus, die 27. Novembris 1904, quo haec adoratio inchoata est, nulla amplius dies percurrit, quo non alicubi in Lavantina dioecesi exponatur hoc augustissimum Sacramentum ad publicam et sollemnem adorationem. Iesu Christo, vero Deo veroque homini, praesenti sub speciebus eucharisticis, honor et gratia, quod institutio perpetuae adorationis a populo dioecesano ubique accepta sit piis precibus ac canticis exuberanti gaudio, et quod fideles paratissimis et libentissimis animis undique congregentur

in ecclesiis, ut Deum eucharisticum adorent fide viva ac devotione sincera atque se quam plurimi, prouti expertum habemus, in sacra communione coniungant cum Deo suo ac Redemptore, latente sub panis accidentibus.

Sic igitur Dominus ac Salvator noster in Eucharistia evasit firmum centrum et validissimum adiumentum omnis vere christianae organisationis in populo nostro fideli, et si hic populus iam devicit multos adversarios, saluti eius tum aeternae tum temporali insidias tendentes, et si, quod futurum esse speramus in Domino, adhuc superabit, bene cognovimus, unde haec victoria sit. *Haec est,* profitetur sacra Scriptura, *victoria, quae vincit mundum, fides nostra.* (I. Ioan. 5, 4).

Mentionem quoque facere iuvat illius cultus summae suavitatis, qui ipsius Eucharistiae venerationem magnopere adauxit, quatenus homines, si ita dicere licet, propius admovit ad infinitum Iesu Dei-hominis amorem in pectore eius ardentem atque quasi ex praecordiis Eucharistiae radiantem, *cultus* scilicet sacratissimi *cordis Iesu.* Postquam Pius IX. decreto de die 23. Augusti 1856 festum cordis Iesu ad universalem extendit Ecclesiam et Leo XIII. decreto sacrae Congregationis Rituum de die 28. Iunii 1889 illud elevavit ad festum duplex I. classis, cultus hic pulcherrimus ac saluberrimus in singulas sensim diffundebatur parochias atque in dies adhuc crescit tum quoad numerum tum quoad pietatem colentium. Iam diebus 16. et 20. Iunii 1875 sese multi dioecesani devoverunt sacratissimo cordi Iesu. Sacerdotes se tradiderunt in II. Synodo dioecesana die 28. Octobris 1896. Tota dioecesis dedicavit se die 17. Iunii 1898. Et cum Leo olim PP. XIII. litteris encyclicis *Annum sacrum* de die 25. Maii 1899 christianos omnes, immo totum genus humanum benignissimo cordi Iesu devovisset, tota dioecesis Lavantina iterum se die festo ss. Apostolorum Petri et Pauli 1899 mitissimo huic donavit et omnipotenti Cordi, quod supplicatione trium dierum praemissa die festo sacratissimi cordis Iesu vel sequenti Dominica anno 1900 iteratum est. Consimiliter sa-

cerdotes quoque in III. Synodo dioecesana die 7. Septembris eiusdem anni 1900 suavissimo Cordi se denuo consecrarunt[1], quae consecratio in Synodis sequentibus, annis 1903, 1906 et 1911, renovata est. Quoniam denique iuxta sacrae Congregationis indulgentiis sacrisque ritibus praepositae decretum de die 22. Augusti 1906[2], quo Beatissimus Pater mandavit, ut singulis annis die festo sacratissimi cordis Iesu in omnibus parochialibus templis nec non in illis, in quibus idem festum agitur, coram sanctissimo Sacramento publicae adorationi exposito formula consecrationis a Leone XIII. proposita recitetur, quam plurimi se quotannis fideles sacratissimo cordi Iesu devovent et dedicant, confidere possumus in Domino, quod tota dioecesis per corda sacerdotum aliorumque plerorumque fidelium inserta sit sanctissimo et benignissimo cordi Iesu quodque proinde vivum membrum sit vividi illius atque vegeti organismi, cuius caput Christus est.

Memoratu quoque speciali digna est sodalitas illa, quae *tertius Ordo s. Francisci* appellatur quamque Leo XIII., disciplina eius prudenti lenitate temperata, summis extulit laudibus et ad quam omnes invitavit gravibus his atque facundis verbis: »Utinam etiam christianae gentes ad disciplinam tertii Ordinis confluant ita alacres atque frequentes, uti olim undique ad Franciscum ipsum sese certatim effundebant.«[3] Cuius epistolae apostolicae rationem ducens decessor Noster Iacobus Maximilianus die 26. Novembris eodem anno 1882 litteras dedit ad Clerum dioecesis Lavantinae, quibus edixit Ordinem hunc iam quidem longe lateque propagatum esse, attamen apud nonnullos adhuc dioecesanos magna ex parte plus minusve ignotum esse aut nonnulla praeiudicia et falsas opiniones, quod respicit utilitatem et fructus praelaudati III. Ordinis, reperiri.

[1] Pastirski listi. Spisal, zbral in priobčil *Dr. Mihael Napotnik*, knezoškof Lavantinski. V Mariboru, 1906. Pag. 515. — [2] Kirchl. Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese. Cerkveni zaukaznik za Lavantinsko škofijo. Marburgi, 1907. Nr. III. alin. 12. pag. 37. — [3] Leonis XIII. epistola encyclica *Auspicato* de die 17. Septembris 1882.

Consimili modo et Nos salutarem Ordinem magnopere commendavimus omnibus dioecesanis per pastorales litteras, editas die 24. Ianuarii 1909.[1]

Quapropter curatoribus animarum strenue adlaborandum est, ut iuxta intentionem Beatissimi Patris tertius Ordo s. Francisci in dies magis magisque augeatur tum quoad numerum sodalium tum quoad spiritum, quo Sanctus ipse repletus fuit.[2]

Et revera s. Francisco suppliciter interveniente Deoque opem et auxilium ferente III. Ordo Franciscalis in dioecesi Lavantina iam longe lateque diffusus est, ut sequens contestatur *elenchus:*

1. Sodalitas Marburgensis.

Postquam patres Ordinis s. Francisci die 1. Maii an. 1864 Marburgi domicilium et stabilem sedem collocaverunt, iam die 12. Iunii eiusdem anni 1864 III. Ordo primordia cepit. Primus, qui inscriptus est, erat Antonius Mohr, qui tamquam famulus in monasterio mortuus est Marburgi die 22. Februarii 1901. Numerus eorum, qui albo sodalium adscripti sunt, initio mensis Augusti 1911 erat 15.861. Quorum 2446 iam mortui sunt, saltem quatenus de eorum morte ad sedem III. Ordinis Marburgum nuncius missus est, revera autem plures de vita decesserunt. Vel exclusi sunt vel voluntarie Ordini renunciarunt 268. Initium interioris organisationis factum est anno 1908 Marburgi in materna congregatione, quae comprehendit tres Marburgenses parochias quaeque accuratioris custodiae ac moderationis causa in 8 districtus divisa est.

In filialibus quoque 27 congregationibus iam organisatio perfecta est, et quidem in subsequentibus parochiis: ad s. Andreae in Makole, ad B. M. V. in Eremo, ad s. Georgii in Remšnik, ad OO. Sanctorum in Svetinje, ad s. Nicolai prope ab Ormož, ad B. M. V. in Jarenina, ad B. M. V. in Slivnica prope a Marburgo, ad s. Crucis supra Marburgum, ad s. Oswaldi ad Dravi ripam, ad s. Nicolai in Vuzenica, ad s. Annae in Fram, ad Ss. Trinitatis in Velikanedelja, ad s. Laurentii in campo Dravi, ad s. Martini in Kamnica, ad s. Margaritae ad fluvium Pesnica, ad s. Ioannis Bapt. in Ljutomer, ad s. Martini prope a Vurberg, ad ss. Trium Regum in Studenice, ad s. Aegidii in Collibus slovenicis, ad s. Bartholomaei in Ribnica, ad s. Nicolai in Majšberg, ad s. Petri infra Marburgum, ad ss. Petri et Pauli in Tinje, ad s. Barbarae

[1] Dr. Michael Napotnik, Send- und Lehrschreiben. Marburg, 1911. Pag. 1006 sq. — [2] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese. Marburgi, 1882. Nr. VI. alin. 1. pag. 6.

prope a Vurberg, ad ss. Philippi et Iacobi in Laporje, ad s. Andreae in Svečina, ad s. Margaritae in Selnica.

Data occasione organisatio adhuc fiet in hisce parochiis: ad S. Spiritus prope a Središče, ad s. Georgii in Hoče, ad s. Ioannis in campo Dravi, ad s. Bartholomaei in Slov. Bistrica, ad s. Venceslai prope a Slov. Bistrica, ad s. Crucis in Trbonje, ad s. Iacobi in Collibus slovenicis, ad s. Iacobi in Lembah, ad B. M. V. in Ruše.

2. Sodalitas Celeiensis.

Initium eius factum est anno 1850. Primus, qui huic sodalitati ascriptus est, erat organorum fabricator Naraks e Žalec. Numerus sodalium est nunc temporis circa 20.000, et quidem in sequentibus parochiis:

a) in decanatu Celeiensi: abbatialis parochia Celeiensis, ad s. Georgii in Gotovlje, ad s. Pancratii in Griže, ad s. Petri ad fluvium Savinja, ad s. Iacobi in Galicija, ad s. Margaritae in Polzela;

b) in decanatu Forum vetus nuncupato: ad s. Aegidii sub Turjak, ad s. Floriani in Dolič;

c) in decanatu Kozjensi: ad B. M. V. in Kozje, ad s. Ioannis Bapt. in Podsreda, ad s. Viti prope a Planina, ad B. M. V. in Olimje, ad B. M. V. in Dobje, ad s. Michaelis in Pilštanj;

d) in decanatu Braslovčensi: ad B. M. V. in Braslovče, ad s. Michaelis in Vransko, ad s. Pauli in valle Savinja, ad s. Stephani in Gomilsko;

e) in decanatu Konjicensi: ad s. Georgii in Konjice, ad B. M. V. in Prihova, ad s. Ioannis Bapt. in Čadram, ad S. Spiritus in Loče, ad s. Chunigundis in Pohorje, ad B. M. V. in Špitalič, ad s. Lamberti in Skomer, ad s. Laurentii in Stranice;

f) in decanatu Samariensi: ad B. M. V. in Šmarje, ad s. Georgii prope a Rifnik, ad s. Martini in Ponikva, ad s. Bartholomaei in Zibika, ad B. M. V. in Sladka gora, ad s. Magdalenae in Dramlje, ad B. M. V. in Kalobje, ad s. Magdalenae in Slivnica, ad s. Stephani prope a Žusem, ad s. Valentini in Žusem;

g) in decanatu Neoecclesiensi: ad s. Leonardi in Nova ecclesia, ad ss. Petri et Pauli in Vitanje, ad B. M. V. in Doberna, ad s. Martini prope a Celeia, ad s. Iosephi in Frankolovo;

h) in decanatu Rogatcensi: ad s. Bartholomaei in Rogatec, ad s. Crucis prope a Slatina, a s. Petri in Medvedovo selo, ad B. M. V. in Kostrivnica, ad s. Floriani sub monte Boč, ad s. Antonii in Stoperce;

i) in decanatu Škalensi: ad s. Ioannis prope a Velenje, ad s. Aegidii prope a Velenje;

j) in decanatu Tiberiensi: ad s. Martini Tiberii, ad s. Helenae in Loka, ad s. Iacobi in Dol, ad s. Ruperti supra

Tiberium, ad s. Gertrudis supra Tiberium, ad s. Nicolai, ad s. Margaritae, ad s. Leonardi, ad s. Martini in Trbovlje;

k) in decanatu Slovenobistricensi: ad s. Crucis in Poličane.

3. Sodalitas ad Ss. Trinitatis in Collibus slovenicis.

Sodalium inscriptorum numerus nunc currens est 9568, quorum adhuc vivunt 8500, et quidem 2500 viri et 6000 mulierum. Ad maternam congregationem Ss. Trinitatis sequentes referuntur parochiae: ad s. Leonardi in Coll. slovenicis, ad s. Annae in Kremberg, ad s. Benedicti, ad s. Antonii, ad s. Andreae, ad s. Wolfgangi in Coll. sloven., ad s. Ruperti, ad B. M. V. in Negova. Congregationes filiales canonice institutae vigent in his parochiis: ad s. Petri prope a Radgona, ad s. Georgii ad fluvium Ščavnica, ad s. Michaelis in Veržej, ad s. Crucis prope a Ljutomer, ad s. Wolfgangi prope a Središče, ad s. Thomae prope ab Ormož, ad s. Leonardi prope a Velikanedelja, ad B. M. V. in Polenšak, ad s. Laurentii in Coll. sloven., ad s. Urbani prope a Petovio, ad B. M. V. in Vurberg, ad B. M. V. in Snežna, ad s. Georgii in Coll. slov., ad Ss. Trinitatis in Malanedelja.

Praeterea ex dioecesi Sombotelj quoque in Hungaria circa 1000 tertiarii ad sodalitatem pertinent Ss. Trinitatis.

4. Sodalitas ad s. Mariae in Nazaret.

Numerus sodalium est 2300. Filiales canonice erectae 3 numerantur et insuper ex 7 aliis parochiis sodales acceptantur votaque faciunt.

5. Sodalitas Runae.

Numerus omnium sodalium ex Styria et Carniolia, qui inscripti sunt, est 1942; vivunt adhuc 1381. Ad parochias Nostrae dioecesis pertinent 921 viventes adhuc sodales. Filialis congregatio canonice instituta unica tantum datur, videlicet in parochia Zdole, ex qua in album sodalium relati sunt 240 tertiarii utriusque sexus.

6. Sodalitas in ecclesia PP. Capucinorum in Krško.

Catalogo sodalium III. Ordinis ascripti sunt ex dioecesi Lavantina circa 2000 sodalium ex parochiis Videm, Zdole, Rajhenburg, Sevnica, s. Leonardi, Koprivnica et Podsreda. Canonice institutae filiales inveniuntur in Rajhenburg, in Sevnica, in parochia s. Leonardi et in Koprivnica.

7. Sodalitas ad ss. Petri et Pauli apostolorum Petovii.

Numerus sodalium nunc temporis est 591, ex quibus sunt 79 viri et 512 mulieres et qui congregantur ex sequentibus pa-

rochiis: ad ss. Petri et Pauli apost. Petovii, ad s. Georgii Petovii, ad s. Urbani, ad s. Marci, ad s. Margaritae prope a Petovio, ad s. Martini in Hajdinja, ad s. Viti prope a Petovio, ad Ss. Trinitatis in Haloze, ad s. Michaelis in Žitale, ad s. Barbarae in Haloze, ad s. Nicolai in Zavrče.

8. Sodalitas in ecclesia PP. Franciscanorum in Klanjec in Croatia.

Introducta est anno 1892. Numerus membrorum ex Croatia 1000, ex Styria vero 200, qui habitant in parochiis: Bizeljsko, s. Petri (Sv. Peter pod Sv. gorami) et Polje.

Quae omnia satis grato animo habentes et rationem ducentes magni huius sodalitatis momenti non solum quoad educationem individualem, verum etiam quoad operationem caritativam et, quae adhuc latius patet, socialem, cupimus et exoptamus, ut hic Ordo studiose propagetur et totam pervadat dioecesim. »Eius enim, ut est ab auctore suo constitutus, haec tota est ratio, vocare homines ad imitationem Iesu Christi, ad amorem Ecclesiae, ad omnia virtutum christianarum officia: proptereaque multum posse debet ad societatum nequissimarum supprimendam contagionem.«[1]

Superest adhuc, ut animos vestros, venerabiles fratres, convertamus ad *Marianas congregationes*, de quibus in Synodo dioecesana anno 1906 integram edidimus Constitutionem.[2]

Est nempe Mariana congregatio religiosa consociatio, quae intendit in membris suis fovere ac promovere sinceram venerationem et filialem amorem beatae virginis Mariae et per hunc cultum ea reddere bonos christianos, qui ex animo niti debent non tantum ad seipsos, sed etiam ad alios sanctificandos salvandosque et ad Ecclesiam contra conatus malorum hominum defendendam. Hic ipse scopus tales congregationes valde commendat tum pro adultis, cum praesertim pro adolescentibus. Iam in Synodo dioecesana Lavantina anno 1906 celebrata

[1] Leo XIII. in suis litteris encyclicis *Humanum genus* de die 20. Aprilis 1884. — [2] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXXXV. pagg. 532 sq..

quam plures enumeravimus in dioecesi Nostra congregationes Marianas, quarum numerus 5 annis decurrentibus non minutus est, sed quemadmodum laetabundi experti sumus, hae congregationes augescunt atque proficiunt. Quod testatur

elenchus congregationum Marianarum.

Iuxta relationes missas ab admodum reverendis officiis decanalibus vigent in dioecesi Lavantina sequentes congregationes Marianae:

I. In decanatu Marburgensi, ad ripam Dravi sinistram sito:

1. In sacello B. M. V. Immac. Conceptae apud sorores a scholis (intra ambitum parochiae cathedralis) congr. Mariana virginum ludimagistrarum et puellarum altioris conditionis cum 150 membris. 2. Congregatio „filiarum Mariae“ etiam in ambitu parochiae cathedralis cum 210 et congr. virorum cum 56 membris. 3. In parochia suburbana ad B. M. V. Matris misericordiae congr. iuvenum cum 75 membris et congr. puellarum cum 550 sociis. 4. Ad s. Petri prope a civitate Marburgensi congr. iuvenum cum 120, puellarum cum 210 membris. 5. Ad s. Martini prope a Vurberg congr. iuvenum cum 44, puellarum cum 140 membris. 6. Ad s. Barbarae prope a Vurberg congr. iuvenum cum 70, puellarum cum 120 congregatis. 7. Ad s. Margaritae penes fluvium Pesnica congr. iuvenum cum 74, puellarum cum 140 membris. 8. Ad s. Martini in Kamnica congregatio iuvenum cum 28, puellarum cum 103 membris. 9. Ad s. Margaritae in Selnica congr. iuvenum cum 30, puellarum cum 85 membris. 10. Ad s. Crucis congr. iuvenum cum 58, puellarum cum 81 membris.

II. In decanatu Forum vetus nuncupato:

1. Ad s. Iacobi in Pameče congr. iuvenum cum 69, puellarum cum 139 membris. 2. Ad s. Aegidii sub Turjak congr. iuvenum cum 8, puellarum cum 82 membris. 3. Ad s. Martini prope a Slovenjgradec congr. puellarum cum 90 membris.

III. In decanatu Celeiensi:

1. In abbatiali parochia Celeiae congr. iuvenum cum 60 sociis, congr. puellarum cum 356 membris. 2. Ad s. Nicolai in Žalec congr. puellarum cum 180 membris. 3. Ad s. Petri ad fluvium Savinja congr. iuvenum cum 56, virorum cum 87, puellarum cum 143 membris. 4. Ad s. Margaritae in Polzela congr. puellarum cum 130 membris. 5. Ad s. Martini in Teharje congr. iuvenum cum 46, puellarum cum 217 membris.

IV. In decanatu Kozjensi:

1. Ad B. M. V. in Kozje congr. virorum et iuvenum cum 133 associatis, congr. mulierum et puellarum cum 352 membris. 2. Ad s. Viti prope a Planina congr. iuvenum cum 53, puellarum cum 211 membris. 3. Ad B. M. V. in Dobje congr. iuvenum cum 24, puellarum cum 105 membris. 4. Ad s. Michaelis in Pilštanj congr. iuvenum cum 31, puellarum cum 159 membris. 5. Ad s. Ioannis Bapt. in Podsreda congregatio puellarum iam canonice instituta.

V. In decanatu Dravskopoljensi:

1. Ad s. Georgii in Hoče congr. virorum cum 31, iuvenum cum 19, mulierum cum 151, puellarum cum 174 membris. 2. Ad b. Annae in Fram congr. iuvenum cum 34, puellarum cum 110 membris. 3. Ad B. M. V. in Slivnica congr. virorum cum 98, iuvenum cum 26, mulierum cum 213, puellarum cum 189 membris. 4. Ad s. Ioannis in campo Dravi congr. iuvenum cum 61, puellarum cum 208 membris. 5. Ad s. Laurentii in campo Dravi congr. iuvenum cum 124, puellarum cum 188 membris. 6. Ad B. M. V. in Cirkovce congr. iuvenum cum 28, puellarum cum 285, mulierum cum 410 membris.

VI. In decanatu Braslovčensi:

1. Ad s. Michaelis in Vransko congr. iuvenum cum 40 membris, congr. puellarum cum 150 membris. 2. Ad s. Georgii sub Tabor congr. iuvenum cum 75, puellarum cum 157 membris. 3. Ad s. Andreae prope a Polzela congr. puellarum cum 50 membris.

VII. In decanatu Konjicensi:

1. Ad s. Georgii in Konjice congr. virorum et iuvenum cum 600, mulierum cum 1153, puellarum cum 2248 membris. 2. Ad B. M. V. in Prihova congr. iuvenum cum 56, puellarum cum 161 membris. 3. Ad s. Ioannis Bapt. in Čadram congregatio iuventutis cum 500 membris. 4. Ad S. Spiritus in Loče congr. puellarum cum 56 membris. 5. Ad s. Petri in Žiče congr. iuvenum cum 20, puellarum cum 85 membris. 6. Ad s. Bartholomaei congr. virorum cum 72, iuvenum cum 53, mulierum cum 106, puellarum cum 75 membris. 7. Ad s. Chunigundis in Pohorje congr. iuvenum cum 62, puellarum cum 126 membris. 8. Ad s. Aegidii in Zreče congr. iuvenum cum 35, puellarum cum 99 membris.

VIII. In decanatu ad s. Thomae prope a Velikanedelja:

1. Ad s. Thomae congr. iuvenum cum 141 membris, congr. puellarum cum 471 membris. 2. Ad S. Spiritus prope a Središče

congr. puellarum cum 249 membris. 3. Ad s. Nicolai prope ab Ormož congr. iuvenum cum 108, puellarum cum 246 membris. 4. In Velikanedelja congr. iuvenum cum 109, puellarum cum 450 membris. 5. Ad s. Iacobi in urbe Ormož congr. iuvenum cum 4, puellarum cum 44 membris. 6. Ad Sanctorum Omnium in Svetinje congr. iuvenum cum 75, puellarum cum 185 membris. 7. Ad s. Wolfgangi in monte Kog congr. iuvenum cum 10, puellarum cum 63 membris. 8. Ad s. Leonardi prope a Velikanedelja congr. puellarum cum 110 membris.

IX. In decanatu Jareninensi:

1. Ad B. M. V. in Jarenina congr. virorum cum 211, iuvenum cum 172, mulierum cum 302, puellarum cum 341 membris. 2. Ad s. Iacobi in Collibus slovenicis congr. iuvenum cum 34, congr. puellarum cum 226 membris. 3. Ad s. Georgii ad fluvium Pesnica congr. puellarum cum 36 membris. 4. Ad s. Aegidii in Collibus slovenicis congr. iuvenum cum 42, puellarum cum 130 membris. 5. Ad s. Andreae in Svečina congr. puellarum cum 82 membris.

X. In decanatu s. Leonardi in Collibus slovenicis:

1. Ad s. Leonardi congr. virorum cum 168, iuvenum cum 64, mulierum cum 204, puellarum cum 127 membris. 2. Ad b. Annae in Kremberg congr. puellarum cum 257 membris. 3. Ad s. Benedicti congr. iuvenum cum 90, puellarum cum 232 membris. 4. Ad s. Ruperti in Collibus slovenicis congr. iuvenum cum 100, puellarum cum 200 membris. 5. Ad Ss. Trinitatis congr. virorum cum 187, iuvenum cum 75, mulierum cum 300, puellarum cum 325 membris. 6. Ad S. Georgii in Collibus slovenicis congr. iuvenum cum 102, puellarum cum 210 membris. 7. Ad s. Wolfgangi congr. puellarum cum 60 membris. 8. Ad s. Antonii in Collibus slovenicis congr. iuvenum cum 90, congr. puellarum cum 240 membris.

XI. In decanatu Ljutomericensi:

1. Ad s. Ioann. Bapt. in Ljutomer congr. iuvenum cum 280, puellarum cum 569 membris. 2. Ad s. Crucis prope a Ljutomer congr. puellarum cum 185 membris. 3. Ad s. Magdalenae in Kapela congr. iuventutis cum 212 membris. 4. Ad s. Petri prope a Radgona congr. virorum cum 200, iuvenum cum 100, mulierum cum 400, puellarum cum 350 membris. 5. Ad s. Georgii ad fluvium Ščavnica congr. iuvenum cum 120, puellarum cum 221 membris. 6. Ad Ss. Trinitatis in Malanedelja congr. iuvenum cum 80, puellarum cum 120 membris. 7. Ad s. Michaelis in Veržej congr. iuventutis cum 31 membris.

XII. In decanatu Marenbergensi:

1. Ad s. Michaelis in Marenberg congr. iuvenum cum 18, puellarum cum 29 membris. 2. Ad s. Georgii in Remšnik congr. iuvenum cum 80, puellarum cum 93 membris. 3. Ad s. Margaritae in Muta congr. puellarum cum 35 membris. 4. Ad B. M. V. in Brezno congr. puellarum praeparatur, cuius albo iam 16 puellae adscriptae sunt.

XIII. In decanatu Marburgensi, ad ripam Dravi dexteram sito:

1. Ad s. Magdalenae congr. iuvenum cum 127, puellarum cum 385 membris. 2. Ad B. M. V. in Ruše congr. puellarum cum 177 membris. 3. Ad B. M. V. in Puščava congr. iuvenum cum 54, puellarum cum 110 membris.

XIV. In decanatu Šamariensi:

1. Ad B. M. V. in Šmarje congr. iuvenum cum 60, puellarum cum 209 membris. 2. Ad s. Magdalenae in Dramlje congr. virorum cum 30, iuvenum cum 60, mulierum cum 90, puellarum cum 150 membris. 3. Ad B. M. V. in Sladkagora congr. iuvenum cum 22, puellarum cum 184 membris. 4. Ad s. Martini in Ponikva congr. iuvenum cum 29, puellarum cum 70 membris. 5. Ad s. Georgii prope a Rifnik congregatio puellarum iam canonice instituta.

XV. In decanatu Neoecclesiensi:

1. Ad s. Leonardi in Nova ecclesia congr. mulierum et puellarum cum 321 membris. 2. Ad s. Bartholomaei in Vojnik congr. virorum cum 128, iuvenum cum 220, mulierum cum 421, puellarum cum 510 membris. 3. Ad ss. Petri et Pauli apost. in Vitanje congr. pro omnibus statibus cum 670 membris. 4. Ad B. M. V. in Doberna congr. virorum et mulierum cum 227, iuvenum cum 73, puellarum cum 149 membris. 5. Ad s. Iosephi in Frankolovo congr. virorum cum 52, iuvenum cum 33, mulierum cum 103, puellarum cum 73 membris.

XVI. In decanatu Gornjigradensi:

1. Ad ss. Hermagorae et Fortunati in Gornjigrad congr. puellarum cum 61 membris. 2. Ad s. Martini iuxta fluvium Dreta congr. iuvenum cum 10, puellarum cum 67 membris. 3. Ad B. M. V. in Nazaret congr. iuvenum cum 35, puellarum cum 260 membris. 4. Ad s. Elisabeth in Ljubno congr. iuvenum cum 5, puellarum cum 73 membris. 5. Ad s. Cantii in Rečica congr. puellarum cum 60 membris. 6. Ad B. M. V. in Solčava congregatio iuvenum et congregatio puellarum iam canonice institutae.

XVII. In decanatu Petoviensi:

1. Ad s. Georgii Petovii congr. puellarum cum 55 membris. 2. Ad ss. Petri et Pauli apost. Petovii congr. iuvenum cum 43, puellarum cum 326 membris. 3. Ad s. Martini in Hajdinja congr. iuvenum cum 74, puellarum cum 233 membris. 4. Ad s. Urbani prope a Petovio congr. iuvenum cum 12, puellarum cum 97 membris. 5. Ad B. M. V. in Vurberg congr. iuvenum cum 98, puellarum cum 156 membris. 6. Ad s. Andreae in Collibus slovenicis congr. iuvenum cum 14, puellarum cum 82 membris. 7. Ad s. Laurentii in Collibus sloven. congr. iuvenum cum 120, puellarum cum 362 membris. 8. Ad s. Marci prope a Petovio congr. iuvenum cum 82, puellarum cum 256 membris. 9. Ad s. Margaritae prope a Petovio congr. iuvenum cum 97, puellarum cum 400 membris. 10. Ad B. M. V. in Polenšak congr. virorum cum 96, iuvenum cum 150, mulierum cum 194, puellarum cum 192 membris.

XVIII. In decanatu Rogatcensi:

1. Ad s. Bartholomaei in Rogatec congr. iuvenum cum 60, puellarum cum 180 membris. 2. Ad s. Crucis prope a Slatina congr. iuvenum cum 52, puellarum cum 250 membris. 3. Ad. s. Rochi iuxta fluvium Sotla congr. virorum cum 145, iuvenum cum 48, mulierum cum 165, puellarum cum 62 membris. 4. Ad B. M. V. in Kostrivnica congregatio iuvenum cum 8, puellarum cum 74 membris. 5. Ad s. Antonii in Stoperce congr. iuvenum cum 45, puellarum cum 73 membris. 6. Ad s. Petri in Medvedovo selo congr. virorum cum 55, iuvenum cum 40, mulierum cum 134, puellarum cum 138 membris. 7. Ad s. Michaelis in Žitale congr. iuvenum cum 48 membris et 5 candidatis, puellarum cum 104 membris et 17 candidatis.

XIX. In decanatu Vuzenicensi:

1. Ad s. Bartholomaei in Ribnica congr. iuvenum cum 211, puellarum cum 300 membris.

XX. In decanatu Zavrčensi:

1. Ad s. Nicolai in Zavrče congr. iuvenum cum 80, puellarum cum 130 membris. 2. Ad s. Viti prope a Petovio congr. puellarum cum 82 membris. 3. Ad s. Andreae in Leskovec congr. iuvenum cum 30, puellarum cum 130 membris. 4. Ad s. Barbarae congr. iuvenum cum 130, puellarum cum 230 membris.

XXI. In decanatu Škalensi:

1. Ad s. Georgii in Škale congr. puellarum cum 128 membris. 2. Ad s. Michaelis prope a Šoštanj congr. iuvenum cum 26, puellarum cum 86 membris.

XXII. In decanatu Tiberiensi:

1. Ad s. Martini Tiberii congr. iuvenum cum 23, puellarum cum 56 membris. 2. Ad s. Helenae in Loka congr. iuvenum cum 22, puellarum cum 110 membris. 3. Ad s. Ruperti supra Tiberium congr. iuvenum cum 32, puellarum cum 140 membris. 4. Ad s. Martini in Trbovlje congr. puellarum cum 97 membris. 5. Ad s. Iacobi in Dol congr. puellarum cum 64 membris. 6. Ad s. Gertrudis supra Tiberium congr. iuvenum cum 24, puellarum cum 80 membris.

XXIII. In decanatu Videmensi:

1. Ad s. Ruperti in Videm congr. iuvenum cum 110, puellarum cum 250 membris. 2. Ad B. M. V. in Dobova congr. puellarum cum 180 membris. 3. Ad ss. Petri et Pauli apostolorum in Rajhenburg congr. iuvenum cum 162, puellarum cum 409 membris. 4. Ad s. Laurentii Runae congr. puellarum cum 112 membris. 5. Ad s. Nicolai in Sevnica congr. iuvenum cum 116, puellarum cum 429 membris. 6. Ad S. Spiritus in Artiče congr. iuvenum cum 53, puellarum cum 212 membris. 7. Ad s. Georgii in Zdole congr. iuvenum cum 80, puellarum cum 180 membris. 8. Ad s. Laurentii in Bizeljsko congr. puellarum cum 102 membris. 9. Ad s. Michaelis in Pišece congr. iuvenum cum 95, puellarum cum 247, virorum cum 119, mulierum cum 228 membris. 10. Ad B. M. V. in Kapele congr. puellarum cum 120 membris.

XXIV. In decanatu Slovenobistricensi:

1. Ad s. Stephani in Spodnja Polskava congr. puellarum cum 65 membris. 2. Ad s. Andreae in Makole congr. iuvenum cum 61, puellarum cum 210 membris. 3. Ad ss. Philippi et Iacobi apostolorum in Laporje congr. iuvenum cum 135, puellarum cum 210 membris. 4. Ad s. Martini in Pohorje congr. iuvenum cum 35, puellarum cum 77 membris.

In summa igitur 269 congregationes enumerantur.

Est Nostrum intimum et ardens desiderium, quod iam in praeterita Synodo communicavimus cum Clero Nostro,[1] ut videlicet in omnibus maioribus parochiis Lavantinae dioecesis erigantur congregationes Marianae atque illae crescant et floreant et fructus ferant uberrimos in omnibus populi ordinibus, praesertim vero in iuventute christiana. Per Mariam ad Iesum!

[1] Op. cit. pag. 539.

De organisatione institutionis populi christianae.

Quum sacerdotes Dei populo mancipati non amplius nostri, sed Ecclesiae simus, a qua unacum munere dignitatem quoque accepimus, illi serviamus et omni fervore promovere connitamur, quae ad huius sanctae matris Ecclesiae utilitatem et exaltationem conducunt.

Perpendendum tamen sacerdotibus est nostro tempore plus ab illis requiri, quam ut impleant officia curae pastoralis sensu stricto nuncupata. »Neque enim hodie sufficit sacris functionibus incumbere intra templorum parietes. Sacerdos omnibus gregis concrediti necessitatibus consulere et servire debet maximeque ad se pertinere sciat de omnibus, quae eius salutem fovere possint. Meminisse enim iuvat, quod ait Apostolus: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* (II. Cor. 11, 29). *Omnibus omnia factus, ut omnes facerem salvos*«. (I. Cor. 9, 22).[1]

Talis igitur Cleri catholici in praesenti est conditio, ut etiam in publicum prodire debeat, qua de re sacerdotes saepius admonuit Leo XIII., ut ipse testimonium perhibet eloquio hoc: »Prodire in populum in eoque salutariter versari opportunum esse, prouti res sunt ac tempora, non semel Nobis, homines e Clero allocutis, visum est affirmare«.[2]

Qui hodiedum in publicum prodit, is in proelium prodit; gravi enim publice dimicatur proelio, quod omnem fere furorem effundit praesertim in Christi Ecclesiam.

Sollicitus sit igitur sacerdos, ut conquirat milites militantem Ecclesiam defensuros ac protecturos contra inimicos eius atque ut hos pugnatores instruat necessariis armis, inter quae excellit cognitio eorum, de quibus agitur. Ignorantia enim est Ecclesiae maxima inimica.

Cuius cognitionis vere christianae tam necessariae quam utilis causa institutae sunt in dioecesi Lavantina

[1] Litterae pastorales Archiepiscoporum et Episcoporum Austriae ad Clerum de die 19. Novembris 1891. — [2] Leonis XIII. epistola encyclica super *democratia christiana* de die 18. Ianuarii 1901.

iam permultae societates, quae ab institutione christiana popularique denominantur — krščanska bralna in izobraževalna društva — et quarum iam sunt 140. Institutio, quae in talibus societatibus praebetur, tum apologetica atque latiore adhuc sensu populariter theologica est, tangens praesertim nonnulla capita historiae ecclesiasticae, tum politicae indolis est tum socialis tum oeconomicae, simulque illa comprehendit, quae ad eam, quae communis dicitur, eruditionem vitae pertinent. Media institutionis sunt tam sermones, prolati viva voce et populari ratione, quam boni libri probataeque ephemerides. Quo sub respectu tales societates efficax dici possunt organisatio legendi, quum illam, quae ubique iam locorum invenitur, legendi aviditatem ordinent et temperent non solum quoad tempus et locum legendi, sed etiam quoad libros ac materiam legendi, assuefaciendo videlicet membra sua lectioni eorum, quae tum omnino consentanea sunt principiis christianis tum etiam practici valoris pro vita quotidiana, publica et oeconomica, quum non tantum sint lectu iucunda, verum etiam scitu necessaria et utilia.

Multum operae et laboris, quod permagni est aestimandum, hae societates, coadunatae in Unione christiana sociali, quae per decretum reverendissimi princ.-episc. Ordinariatus Lavantini, datum Marburgi die 3. Februarii 1908 Nr. 400, ecclesiasticam quoque adepta est confirmationem,[1] consumunt in adulta iuventute instituenda

[1] Ut cognoscatur finis, cui *Unio christiana socialis* et omnes in ea coadunatae societates serviunt, utque media innotescant, quibus catholica haec *Unio* cum suis societatibus finem suum prosequitur, eius *statuta* hicce referuntur.

Pravila

slovenske krščansko-socialne zveze za Štajersko.

§ 1. *Ime in sedež.* Društvo ni politično in se imenuje: „Slovenska krščansko-socialna zveza za Štajersko.“ Sedež društva je v Mariboru.

§ 2. *Namen.* Namen društva je:

a) zbirati krščansko misleče Slovence, vzgojevati jih v krščansko-socialnem in rodoljubnem duhu, prirejati jim pošteno zabavo in izlete;

b) ustanavljati, združevati in izpopolnjevati nepolitična društva krščansko-socialnih načel med Slovenci, kakor: katoliška delavska društva, bralna in izobraževalna društva, mladeniška društva i. t. d. ter jih gmotno in duševno podpirati.

atque educanda. Iuventus enim spes appellatur et est Ecclesiae ac patriae, cum utraque ab illa exspectet chri-

§ 3. *Sredstva.*

a) Društvo prireja poučna predavanja, pouk o splošno koristnih stvareh, daje navodila zveznim društvom, prireja poučne tečaje, zabavne shode, gledališke igre in veselice;

b) ustanovi si svoj pevski zbor, lastno knjižnico in svojo godbo;

c) vsaj enkrat na leto skliče posvetovanje o društvenih zadevah (Gl. § 14).

§ 4. *Denarni prispevki.* Društvo si zbira denarna sredstva:

a) z darili;

b) z udnino in letnimi doneski v zvezo sprejetih društev, ki jih določi odbor „zveze“;

c) z volili.

§ 5. *Zastava.* Društvo si napravi društveno zastavo in se udeležuje ž njo raznih izletov in slavnosti; spremlja tudi umrle člane k pogrebu.

§ 6. *Ustanovitev.* Društvo je ustanovljeno, ko pristopi vsaj 20 udov in se izvoli odbor. Do ustanovitve sprejemajo ude predlagatelji.

§ 7. *Udje in njih dolžnosti.* Udje so društva in poedinci in sicer:

a) častni, katere imenuje občni zbor;

b) ustanovni, ki plačajo enkrat za vselej 20 K ne glede na spol ali stan;

c) redni ud more biti vsakdo, ki je dovršil 14. leto in vplača vsaj 2 K na leto brez ozira na spol in stan ter ga odbor sprejme;

d) podporni ud je tisti, ki je izpolnil 14. leto, vplačal kakršnokoli vsoto ter ga je odbor sprejel.

Odbor sme sprejem odreči, ne da bi moral navesti razloge.

Kdor eno leto zamudi udnino, ali ga odbor izključi, ali sam naznani izstop, preneha biti ud društva.

Društva naznanjajo svoj pristop pri odboru in stopijo v zvezo, ko jih odbor sprejme. Pristop in izstop je prostovoljen. Sprejeto društvo se sme izključiti iz zveze le pri občnem zboru z dvetretjinsko večino glasov.

Letne doneske društev določa zvezni odbor po številu udov; najmanjši donesek je 2 K na leto.

§ 8. *Pravice udov.* Udje imajo pravico:

a) udeleževati se društvenih predavanj, pouka, veselic in izletov;

b) udeleževati se občnih zborov, staviti predloge in voliti odbor; podporni udje ne morejo voliti in ne voljeni biti;

c) društva imajo pravico, obračati se v vseh društvenih zadevah do zveznega odbora, dolžna so pa tudi poročati temu odboru na njegovo zahtevo o društvenem gibanju. Udje vseh zveznih društev imajo pravico, udeleževati se društvenih predavanj, veselic in izletov. Glede na občni zbor imajo vsi odborniki v zvezo sprejetih društev tiste pravice kakor drugi udje, če se ga osebno udeležijo ter se izkažejo s pooblastilom, ki jim ga izda odbor njih društva.

§ 9. *Odbor.* Odbor sestoji iz 12 odbornikov, katere voli občni zbor na leto dni. Poleg teh se volijo še 4 namestniki. Po potrebi se volijo tudi dekanijski pomožni odbori.

Društvenice si volijo izmed svoje srede pri občnem zboru svoj posvetovalni odbor 5 odbornic, ki si volijo izmed sebe predsednico in zapisnikarico. Predsednica sklicuje odborove seje, pri katerih se vrši posvetovanje zlasti o stvareh, ki se tičejo društvenic. Namen ženskemu odboru je pa zlasti skrb za izobrazbo ženske mladine. Sklepi ženskega odbora se naznanijo društvenemu odboru v končno odločitev.

§ 10. *Delokrog odborov.* Odbor voli iz svoje srede predsednika, podpredsednika, blagajnika, zapisnikarja in knjižničarja; sprejema ude, podaje letne račune, oskrbuje društveno imetje, skrbi za pouk in zabavo. Sklepčen je, ako

stianos et probos viros atque christianas et honestas mulieres; ex altera vero parte iuventus magnis obiecta

je navzočnih poleg predsednika ali podpredsednika vsaj 6 odbornikov. Sklepa se z nadpolovično večino glasov, pri enakem številu odločuje predsednik. Vsak mesec mora imeti odbor vsaj eno sejo. Vsaj 7 odbornikov mora stanovati v Mariboru.

§ 11. *Predsedništvo.* Predsednik ali njegov namestnik zastopa v vseh slučajih društvo, predseduje odborovim sejam in občnim zborom ter vodi razprave. Vsa razpravila, pisma in potrdila podpisuje predsednik ali njegov namestnik in zapisnikar. Blagajniške zadeve podpisuje predsednik ali njegov namestnik in blagajnik.

§ 12. *Občni zbor.* Občni zbor skliče predsednik vsako leto redno enkrat ter ga primerno naznani. V področje občnega zbora spada poleg že navedenih slučajev:

a) sklepanje o izpremembi pravil; *b*) volitev treh pregledovalcev računov; *c*) sklepanje o letnem poročilu odborovem; *d*) sklepanje o razdruženju društva. Če občni zbor odborovega poročila ne vzame na znanje, se voli nov odbor; ta mora preiskati delovanje prejšnjega odbora ter o tem poročati prihodnjemu občnemu zboru. Občni zbor sklepa veljavno pri vsakem številu pričujočih udov v vseh točkah, izvzemši *a*) in *d*) tega §. Občni zbor sklepa z nadpolovično večino navzočnih glasov, pri enakem številu odločuje predsednik.

Način glasovanja določuje občni zbor.

Desetina udov, oziroma pooblaščencev zveznih društev (gl. § 8), ima pravico zahtevati občni zbor, ki ga mora predsednik sklicati v 14 dneh, ko se mu je vročila pismena zahteva z razlogi.

§ 13. *Razdružitev.* Za razdružitev društva, za izpremembo pravil in izključenje sprejetega društva je pri splošnem zboru treba dveh tretjin glasov navzočnih udov.

Društvo se razdruži: 1. Če to sklene občni zbor z dvetretjinsko večino glasov, 2. če ga razpusti oblast. V slučaju razdružitve ali razpusta pripada društveno imetje „Kat. tiskovnemu društvu“ v Mariboru, ki ga mora porabiti v slične namene, kakor jih ima „Zveza“. Za izvršitev tega določila skrbi zadnji predsednik, oziroma od zadnjega občnega zbora določeni pooblaščenec.

§ 14. *Posvetovanja.* Posvetovanja, ki se vrši vsaj enkrat vsako leto, se udeležujejo samo pooblaščenci glavnega društva in drugih v zvezo sprejetih društev. Število pooblaščencev glavnega društva določa zvezni odbor, ostala društva smejo poslati k posvetovanju toliko pooblaščencev, kolikor imajo odbornikov.

Pooblaščenci morajo biti izmed društvenikov, pooblastila jim daje odbor dotičnega društva.

§ 15. *Razsodišče.* Prepire, ki bi utegnili nastati v društvu, presoja razsodišče petih članov, katerih si vsaka stranka voli dva in ti štirje petega, kateri predseduje razsodišču. Ako se razsodniki ne zedinijo pri volitvi predsednika, ga določijo z žrebanjem. Razsodišče razsoja po večini glasov, proti njegovemu ukrepu ni ugovora. —

Allegata statuta approbata sunt a caes. reg. gubernio Graecii die 20. Octobris 1906 Nr. 2623/2. Quum postea praesidium *Unionis* die 26. Ianuarii 1908 litteris supplicibus adiret reverendissimum princ.-episc. Ordinariatum Lavantinum, ut catholicae huic Unioni ecclesiasticam quoque rite daret confirmationem, hoc factum est sequenti decreto:

Štev. 400.

Vodstvu Slovenske krščansko-socialne zveze za Štajersko v Mariboru.

Z ozirom na prošnjo z dne 26. januarja 1908 se v zmislu cerkvenih predpisov (Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907.

et commissa est periculis et tentationibus, unde accidit, ut multi adolescentes vel a fide deficiant vel in tepiditatem cadant religiosam et quoad mores depraventur.

Peculiari vestrae curae, venerabiles animarum pastores, aetatem iuvenilem commendamus — praecipue adolescentes schola egressos usque ad annos aetatis virilis. Aetas haec omnium periculosissima sicut et gravissima est, quum ex ea tota residua vita pendere soleat. Proinde iuvenis in hac aetate constitutus singulari cura ac ductu opus habet, ut rectam vitae viam sequatur, donec stabilem conditionem ei convenientem assequatur.

Has igitur iuvenum coniunctiones omni cum diligentia ac prudentia colatis et foveatis! Quum autem inimicus numquam dormiat, sedulo curare oportet, ne iuvenum consociationes de via christianae veritatis et disciplinae deflectant. Volumus praeprimis in eiusmodi consociationibus omnem adolescentulorum et adolescentularum consuetudinem vel commercium intercludi. Ideo graviter monemus, ne exempli gratia in sic dictis praesentationibus theatralibus seu fabulis agendis, quantumvis honestis, iuvenes cum puellis agentes vel loquentes inducantur.

Unde renovamus hortationem Archiepiscoporum et Episcoporum Austriae: »Cui ovium parti eximiae maximam, hortamur, adhibeatis curam, ut iuventus annis peractis periculosis conscientiam servet immaculatam. Quamobrem pueros puellasque in piis sodalitatibus congregate, et ut instructioni christianae adsint, quantum fieri potest, curate«.[1] Itemque in memoriam revocamus

---

Pag. 606) na podlagi predloženih pravil potrdi od cerkvene strani društvo „Slovenska krščansko-socialna zveza za Štajersko."

Kot vodilo naj bodo temu katoliškemu društvu v njegovem delovanju tozadevni predpisi naših škofijskih zborov.

Obenem naj društvo kot „zveza" deluje na to, da se tudi druga njej pridružena društva ravnajo po teh določbah in zadostijo cerkvenim zahtevam. To jim bo pridobilo blagoslov božji, brez katerega je delo le prazno.

Kn.-šk. Lavantinski ordinariat v Mariboru, dne 3. februarja 1908.

Quae approbatio ecclesiastica in novis statutorum impressionibus eodem modo ac illa potestatis civilis adnotanda erit.

[1] Litterae pastorales Archiepiscoporum et Episcoporum Austriae ad Clerum de die 19. Novembris 1891.

verba Leonis XIII.: »Cum de fingenda probe adolescentia agitur, nulla opera potest nec labor suscipi tantus, quin etiam sint suscipienda maiora«.[1]

Unde patet illas sectiones iuveniles, quae in multis iam societatibus pro institutione christiana receptae sunt quaeque uniones adolescentium appellantur — mladeniške, dekliške zveze — valde laudabiles esse, quemadmodum etiam illos laudamus iuvenes, qui litterarum studiis dediti in christianis congregantur societatibus.

Superest, ut quemadmodum supra desideravimus, ut in omnibus maioribus parochiis erigerentur pia sodalitia et praeprimis congregationes Marianae, societates quoque valde commendemus et auctoritate Nostra fulciri pergamus institutioni populi et praesertim iuventutis christianae destinatas[2] simulque optemus, ut haec duo

[1] Epistola encyclica *Sapientiae christianae* de die 10. Ianuarii 1890.

[2] Huc referenda est declaratio Nostra de die 31. Iulii 1911, cuius tenor est hic:

V Gospodu ljubljenim krščanskim mladeničem!

Mladina je cvet, up in radost sv. katoliške Cerkve in ljube domovine. Iz vernih in čednostnih mladeničev, ki hrepenijo po visokih krščanskih vzorih in se ravnajo po večno veljavnih katoliških načelih, vzrastejo značajni možje: vzgledni katoličani in zvesti državljani. Globoko prepričan o tej resnici, katero potrjuje vsakdanja izkušnja, se srčno radujem vseh naprav in prireditev, ki imajo blagi namen, zbirati mladino pod nepremagljivim praporom Kristusovim. Zato me je tudi močno razveselil dopis velecenjenega uredništva „Mladosti“ z dne 1. aprila 1911, v katerem mi je naznanilo, da se bo vršil meseca avgusta letošnjega leta v Ljubljani katoliški shod naše nadobudne mladine, in v katerem me je prosilo, da bi mu vposlal za tozadevno slavnostno številko glasila mladeniške organizacije pozdravno izjavo.

Po vseh pokrajinah naše ožje domovine se je vzbudilo v zadnjih letih veselo, živahno mladeniško gibanje. V moji razsežni knezoškofiji se osnavljajo dannadan poleg hvalevrednih cerkvenih bratovščin *Marijine družbe* zlasti za mladeniče in mladenke, izobraževalna društva in raznovrstne zveze za probujo upapolne mladine. Goreči duhovniki žrtvujejo vse svoje moči, da v cerkvi in zunaj cerkve na podlagi modrih sinodalnih določb utrjujejo mladino v verskem prepričanju, da jo navajajo k versko-nravstvenemu življenju, da jo izobražujejo na duhu in blažijo na srcu, ter jo tako vadijo in urijo za uspešni boj proti prekanjenim sovražnikom njenega vzveličanja. Duhovnike pri tem delu požrtvovalno podpirajo krščanski razumniki in sploh dobro misleči možje iz drugih stanov.

Sveta Cerkev posvečuje neprenehoma skozi vsa stoletja svojega obstanka posebno *pozornost mladinski vzgoji*, dobro vedoč, da tako najbolje skrbi za zanesljiv naraščaj dobrih in zvestih svojih udov. Saj je pregovor: *Mladenič vajen svoje poti, tudi v starosti ž nje ne stopi* (Preg. 22, 6), in kakršna mladost takovšna starost. Zato pri cerkvenem in šolskem pouku vedno opozarja mladeniče na prelepe svetopisemske zgodbe o stanovitnosti egiptovskega Jožefa

organisationum christianarum genera concorditer et quasi

v hudi izkušnjavi, o poslušnosti nedolžnega Samuela, o čudovitem prijateljstvu Davida in Jonatana, o ljubezni vrlega Tobija do staršev, o zmernosti in razumnosti zalega Daniela in njegovih tovarišev, o verski odločnosti sedmerih Makabejskih bratov. Zlasti jih opominja, da naj posnemajo vzvišeni vzgled pokorščine, pobožnosti in svetosti, kakor nam ga je zapustil božji Mladenič iz časa, ko je hodil po zemlji.

Božji Vzveličar sam je kazal izredno ljubezen do mladeničev. Mladeniča v Najmu je obudil od mrtvih; mladeniča, sina kraljevega služabnika, je mahoma ozdravil; bogatega mladeniča, ki ga je vprašal, kaj naj stori, da bo dosegel večno življenje, je milo pogledal *in ga je vzljubil* (Mark. 10, 21); iz mladeniča pod goro Tabor je izgnal hudega duha; ob grobu mladeniča Lazarja se je razjokal tako, da so ljudje rekli: *Glejte, kako ga je ljubil!* (Jan. 11, 36). In nedolžni mladenič, deviški Janez, mu je bil najljubši apostol.

Po vzgledu božjega Mladinoljuba objema tudi sveta Cerkev mladeniče s posebno *ljubeznijo*, kakršne je gorel n. pr. sv. Filip Nerij in je plamtel najnovejši avstrijski svetnik, Klement Marija Hofbauer, ki nam je odgojil glasovitega misijonarja-škofa Friderika Baraga. Kakor je katoliška Cerkev prva začela ustanavljati šole, da bi rešila mladeniče iz teme nevednosti ter jih privedla na pot izobrazbe in omike, enako še sedaj kot skrbna mati pospešuje vse zavode, naprave in prireditve, o katerih sodi, da morejo mladeničem koristiti v dobro srečo, časno in večno.

Ako se torej mladeniči združujejo v krščanski organizaciji ali ustrojbi, ako se v vedno večjem številu oklepajo katoliških načel, dandanes, ko jih hočejo vse sovražne sile odtujiti veri in Cerkvi, je to sveti Cerkvi ter njenim zastopnikom v sladko tolažbo in veselje.

To gibanje nam je veselo znamenje, da še krepko živi v mladeniških srcih verska zavest; nam je nedvomljivo zagotovilo, da bo naše ljudstvo ostalo stanovitno na potu, ki varno vodi v vzveličanje; v tem mladeniškem gibanju vidimo poroštvo boljših dni.

Zato pozdravljam iz globočine svojega srca in blagoslavljam sestanek, ki bo pokazal svetu dosedanje uspehe mladeniške uravnave, in ki bo nedvomno utrdil in navdušil vse udeležence, da bodo vztrajali pri započetem trudapolnem, pa vzveličavnem delu!

Vsem na shodu zbranim blagim mladeničem pa prijazno kličem: *Bodite in ostanite zvesti sinovi svoje duhovne matere, svete katoliške Cerkve!* Ona Vam želi in hoče le dobro; ona edina Vas more osrečiti tukaj in tamkaj.

Živite po naukih svete, edino vzveličavne vere in bodite odločni v izpolnjevanju božjih in cerkvenih zapovedi ter v izvrševanju svojih stanovskih dolžnosti! Udarila bo ura, ko bote jasno spoznali, da so v veliki zmoti tisti, ki sramotijo katoliško vero in življenje po njej.

Spoštujte svoje predstojnike, starše in gospodarje, cerkvene in svetne oblastnike — svoje vidne Rafaele! Ni je oblasti razen od Boga, in katera je, je od Boga postavljena. *Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua! Dobro je možu, če nosi jarem od svoje mladosti!* (Žal. Jerem. 3, 27). In izpolnjevalcem četrte božje zapovedi je obljubljeno, da jim bo dobro šlo na zemlji in v večnosti.

Dajte se voditi v vseh svojih dejanjih od krščanske ljubezni in od njene enakovrstne sestre pravičnosti! Tako si bote ohranili mir z Bogom, s seboj in z bližnjim, tako bote največ koristili svojemu ljudstvu in svoji slavni domovini Avstriji

Bodite stanovitni in neomahljivi, vedno polni vnete marljivosti za delo Gospodovo, ker veste, da vaše delo v Gospodu ni zastonj! (I. Kor. 15, 58).

V Mariboru, na god sv. Ignacija Lojolana, dne 31. julija 1911.

Dr. MIHAEL NAPOTNIK,
knezoškof.

iunctis manibus operentur ad eundem finem, qui est vera populi salus, cum aeterna tum temporalis.

»Subsidiis fidei servandae necessario adnumerantur associationes pro bonis libris et foliis propagandis.«[1] Quum aviditas legendi, ut supra diximus, ubique inveniatur omnibusque fere hominibus potiatur, curandum est animarum pastoribus, ut haec legendi aviditas in fidelibus ita satietur, ut sit fidei et moribus praesidio, non vero detrimento.

Nos magnam bonorum librorum et foliorum utilitatem simulque gravissimum periculum, quod in malis libris et ephemeridibus delitescit, prae oculis habentes muneris Nostri duximus omni oblata occasione animos oculosque sacerdotum convertere ad bona folia bonosque libros promovendos atque propagandos, malos vero a populo pro viribus arcendos.[2]

Licet in dioecesi Lavantina nondum omnes malae ephemerides excisae atque exstirpatae sint, de multis tamen bonis et sanis gratulamur foliis, quorum editionem et sollicitudinem maxima ex parte suscepit propria *associatio*, anno 1871 fundata pro imprimendis probatae doctrinae libris et edendis ephemeridibus iuxta normam religionis catholicae — *Katoliško tiskovno društvo*. Die 5. Ianuarii 1892 haec associatio acquisivit officinam typographicam, quae inde a die 1. Iulii 1905 in propria domo condita finem sibi propositum prosequendo laetiores in dies facit progressus.

In hac typographia, quae a s. Cyrillo nuncupatur, periodice typis imprimuntur: 1. *Folium officiale dioecesis Lavantinae*. 2. *Slovenski Gospodar*, qui inde ab anno 1867 semel in hebdomada populum instruit de rebus politicis,

[1] Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno Domini 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 104. — [2] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pagg. 202, 209, 210, 258—263. — Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pagg. 253, 260, 852. — Synodus dioecesana Lavantina 1906 concita. Marburgi, 1907. Pagg. 325—335. — Epistola ad Clerum Lavantinum de die 25. Decembris 1889, quae continetur in opere: Pastirski listi. Spisal, zbral in priobčil *Dr. Mihael Napotnik*, knezoškof Lavantinski. V Mariboru, 1906. Pag. 14.

religiosis, oeconomicis. 3. *Naš dom*, folium quindenis diebus edi solitum, destinatum christianae adolescentium et puellarum institutioni. 4. *Voditelj v bogoslovnih vedah*, theologicae scientiae in dioecesi excolendae inserviens, qui iam per 14 annos trimestribus intervallis a professoribus instituti theologici dioecesani Lavantini editur. 5. *Glasnik najsvetejših src*, cultum sacratissimi cordis Iesu et purissimi cordis Mariae promovens et vitam religiosam fovens per omnes illas dioeceses, quas incolunt homines slovenicam linguam callentes.

Praeterea in eadem typographia Marburgi eduntur *Straža*, ephemeris politica, quae ter per hebdomadam in lucem dari assolet, et *Časopis za zgodovino in narodopisje*, folium scientificum historicae scientiae promovendae inserviens. Item Marburgi in lucem prodit semel unaquaque hebdomada ephemeris, principiis christianis nixa: *Untersteirische Volks-Zeitung*.

Insuper bonorum librorum et foliorum propagandorum causa in praeterita Synodo dioecesana Lavantina condita est *associatio*, quae a s. Victorino, Episcopo urbis Petoviensis, martyre et venerabili scriptore ecclesiastico († 303), *societas s. Victorini* appellatur. Scopus eius est, ut sublevet et adiuvet editionem et in populo propagationem catholicorum librorum ac libellorum et diariorum aliorumque scriptorum. Huic associationi hucusque aggregati sunt fundator unus, benefactores viginti et unus, promotores vero sexaginta. Substantia capitalis societati propria sub finem anni 1911 summam 31.700·67 coronarum complevit. Moderatores associationis in conventu die 29. Februarii 1912 habito in posterum allaborandum esse decreverunt, ut et ii, qui quidquam contribuendum promiserunt, ad hoc praestandum monerentur, et socii ordinarii, qui quotannis saltem 2 coronas contribuerent, ad aggregationem invitarentur. Ad sublevandam editionem operum et foliorum usque ad praesens 2218·87 coronas associatio nostra erogavit.

Dilecti in Domino! Idoneum et salubre, immo necessarium existimamus, ut vos hac occasione moneamus

atque hortemur verbis sociatis omnium Episcoporum Austriae: »Austriae catholicae, monente Summo Pontifice, pernecessarium esse innuimus, ut omnium vires conferantur in libros, diaria similiaque arte typographica in vulgus edenda in sensu catholico nec non adiuvanda atque promovenda. Quod munus honorificum venerabili quoque Clero incumbit, qui vocatus est, ut moveat dirigatque laicos homines et publicas ephemerides doctrinae catholicae consonas inter oves sibi commissas propaget, malas vero amovere studeat. Sed aliud quoque munus implendum venerabili Clero erga diaria incumbit, operis consortem se praebere, ut in votis est Sanctissimi Patris monentis, ut Clerus eisdem benigne faveat sacraeque afferat doctrinae praesidia.«[1]

De organisatione sociali et politica.

Tempus nostrum, quo vivimus, aetas appellari solet *quaestionis socialis*. Haec quidem quaestio, summam complectens omnium quaestionum, quae organismum socialem hodie exagitant atque sauciant, non mere oeconomica est, prouti nonnulli putant et in vulgus conclamant, »quum contra verissimum sit, eam moralem imprimis et religiosam esse ob eandemque rem ex lege morali potissimum et religionis iudicio dirimendam esse.«[2]

»Videlicet Ecclesia est«, declarat Leo XIII. in sua encyclica de conditione opificum, »quae promit ex Evangelio doctrinas, quarum virtute aut plane componi certamen potest aut certe fieri detracta asperitate mollius: eademque est, quae non instituere mentem tantummodo, sed regere vitam et mores singulorum praeceptis suis contendit: quae statum ipsorum proletariorum ad meliora promovet pluribus utilissime institutis; quae vult atque expetit omnium ordinum consilia viresque in id consociari, ut opificum rationibus, quam commodissime potest, consulatur: ad eamque rem adhiberi leges ipsas

[1] Litterae pastorales Archiepiscoporum et Episcoporum Austriae ad Clerum de die 19. Novembris 1891. — [2] Leonis XIII. encyclica *Graves de communi* de die 18. Ianuarii 1901.

auctoritatemque reipublicae, utique ratione ac modo, putat oportere«.[1]

Quum igitur quaestio haec primario moralis sit atque religiosa, »Clerus iure proprio id est vi suae missionis divinae hanc quaestionem tractat«.[2] Cuius rei gratia numquam praetermisimus vel desiimus animos mentesque sacerdotum dioecesis Lavantinae advertere ad hanc gravissimam quaestionem.

Iam decessor Noster Iacobus Maximilianus conferentiis pastoralibus anno 1878 hanc proposuit quaestionem: »Ut communis fert opinio, quaestio socialis tamquam nubes nigra emergit et sublime fertur venitque in conspectum. Quid est socialismus christianus, quid antichristianus? Ab hoc qualia pericula imminent Ecclesiae catholicae et praesertim rationibus curae pastoralis? Quibus mediis uti debet curator animarum, imprimis in urbibus locisque fabricarum, ut influxum antichristiani socialismi a sua parochia arceat et quaestioni sociali sensu christiano solvendae consulat?«[3]

Nos quoque iam anno 1890 conferentiis pastoralibus hanc solvendam proposuimus quaestionem: »Multum sermonis assidue habetur de quaestione sociali. Quid est haec quaestio et quomodo Ecclesia catholica eius solvendae particeps est? Quomodo hac in re Clerus cooperari potest et quomodo singillatim participare potest in solvenda quaestione agricolarum, artificum, opificum, pauperum?«[4] De hac quaestione 36 relatores elaborata sua miserunt, quorum responsiones redactae sunt in perlucidam solutionem quaestionis propositae, publicatam in XLII. protocollo finali conferentiarum pastoralium.[5]

Postquam vero Leo XIII. edidit praeclarissimam encyclicam *Rerum novarum*, complectentem illa omnia

[1] Encyclica *Rerum novarum* de die 15. Maii 1891. — [2] Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno Domini 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 257. — [3] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese. Marburg, 1878. Nr. I. alin. 3. pag. 8. — [4] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese. Marburg, 1890. Nr. I. alin. 3. pag. 5. — [5] XLII. Schluss-Protokoll über die im Jahre 1890 in der Lavanter Diözese abgehaltenen Pastoral-Konferenzen. II. Pastoral-Konferenz-Frage, pagg. 6—9.

praecepta et instituta, quibus quaestio haec unice feliciter fausteque solvi potest, studium huius encyclicae apostolicae Clero Nostro semper impense commendavimus et identidem nunc commendamus, »ut legant eam attente et iterum iterumque perlegant et studeant et meditentur, donec mente teneant hanc apostolicam doctrinam.«[1]

Cuius doctrinae apostolicae viam insistentes in omnibus et singulis Synodis dioecesanis, a Nobis congregatis, peculiares promulgavimus Constitutiones, quibus tum principia explanavimus catholica hanc quaestionem concernentia, tum practicas dedimus institutiones de aptis mediis adhibendis simulque graves adiunximus cohortationes ad actionem illam, quae catholica nuncupatur cuiusque dicente[2] Pio PP. X. praecipuum obiectum est practica quaestionis socialis solutio iuxta christiana principia.[3]

Apostolica haec doctrina, in animis Cleri Lavantini sata, boni seminis instar idoneum occupavit locum et processit atque crevit in flores fructusque salutares. Quum socialis reformatio sine interna morali ac religiosa hominum renovatione inanis, immo impossibilis sit, animarum curatores ad eam perficiendam imprimis adhibebant atque adhibent media pastoralia, videlicet verbi Dei praedicationem diligentem piamque sermonibus cum ordinariis tum extraordinariis et sanctificationem hominum per gratiam e Christi sacramentis copiosissime redundantem.

Ad populi disciplinam in ecclesiis traditam addebant eam institutionem, quae extra ecclesiam fiebat et assidue fit in illis societatibus, quas supra commemoravimus

[1] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pag. 213. — [2] Litterae encyclicae Pii PP. X. *Il fermo proposito* de die 11. Iunii 1905. — [3] De sociali quaestione confer: Gesta et statuta Synodi dioec. Lav. anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Cap. III. pagg. 210–236. — Actiones et constitutiones Synodi dioec. Lav. anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Cap. XXXII. pagg. 249—266. — Ecclesiae Lav. Synodus dioec. anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXIV. pagg. 235—241 et cap. LXV. pagg. 241—254. — Synodus dioec. Lav. anno 1906 concita et facta. Marburgi, 1907. Cap. CX. pagg. 219—233.

christianae populi institutioni destinatas — izobraževalna društva — vel in peculiaribus cursibus socialibus, ab Unione catholica sociali Marburgensi apparari solitis, qui iam multis in locis facti sunt et optabilem habuerunt exitum.

aber bei den Kleinen noch von viel grösserer Bedeutung und soll in jeder Katechese zum Ausdrucke gelangen. Im Verteilungsplan soll das Lehrziel oder der Gegenstand der Katechese kurz durch einen Satz und nicht bloss mit Ziffern der Katechismusfragen oder der Seiten in der Bibel angedeutet werden.

In diesem Sinne wurde der folgende Lektionsplan verfasst. Er kann den Katecheten gute Dienste leisten, namentlich wenn sie selbständig einen solchen Verteilungsplan für die religiöse Unterweisung in den Volksschulen ausarbeiten wollen.

Erstes Schuljahr.

Gott der Schöpfer. 1. (Stunde). Der Katechet, ein Bote Gottes. Das Kreuzzeichen. Katholischer Gruss. — 2. Vaterunser, Gegrüsset seist du, Maria. Auch die Eltern sollen mit den Kindern beten! — 3. Erschaffung der Welt: die sichtbaren Dinge auf der Erde waren nicht immer da. Gott ist ewig. — 4. Erschaffung der Welt: die sichtbaren Dinge am Himmel. Gott ist der reinste Geist. — 5. Erschaffung der Welt: die sichtbaren Dinge im Wasser und am Lande. Gott ist allmächtig. — 6. Die guten Engel. — 7. Die bösen Engel. — 8. Der Schutzengel. Das Gebet: Heiliger Schutzengel mein . . — 9. Gott ist höchst heilig.

Der Mensch im Paradiese. 10. Erschaffung des ersten Menschen. — 11. Gott bildet das erste Weib. — 12. Gott sagte: Lasst uns den Menschen machen! Die heiligste Dreifaltigkeit. — 13. Das Leben im Paradiese. Gott ist höchst gütig. — 14. Das Gebot im Paradiese. *Die Erbsünde und ihre Folgen.* 15. Die erste Sünde. Gott ist allgegenwärtig. — 16. Strafe der ersten Sünde. Gott ist allwissend. — 17. Die Erbsünde. Gott ist höchst gerecht, höchst wahrhaft und getreu. — 18. Verheissung des Erlösers. Gott ist unendlich barmherzig. — 19. Kain und Abel. — 20. Die Sündflut. *Wesentliche Vorbereitung auf die erste heilige Beichte.* 21. Moses erhält die zehn Gebote. — 22. Die Gebote Gottes. Die Hauptsünden. — 23. Die Nachlassung der Sünden bei der Beichte.

Jesu Kindheit und Jugend. 24. Mariä Verkündigung. Der Engel des Herrn. — 25. Jesus Christus, Gott und Mensch. — 26. Der hl. Josef. — 27. Die Geburt Jesu. — 28. Die Hirten bei der Krippe. — 29. Die Weisen aus dem Morgenlande. — 30. Die Weisen bei Herodes und beim Erlöser. *Wesentliche Vorbereitung auf die erste heilige Kommunion.* 31. Jesus in unseren Kirchen. — 32. Jesus, unsere Speise in der heiligen Kommunion. — 33. Der hl. Josef flieht mit Maria und mit dem Jesukinde nach Ägypten. Das

Fest der unschuldigen Kinder. — 34. Der zwölfjährige Jesus im Tempel.

Die öffentliche Tätigkeit Jesu. 35. Johannes der Täufer. — 36. Die Taufe Jesu. Die heiligste Dreifaltigkeit. — 37. Die sieben heiligen Sakramente. — 38. Das Lehramt Jesu. — 39. Die sechs Grundwahrheiten. — 40. Wunder Jesu. Verwandlung des Wassers in Wein. — 41. Jesus sättigt 5000 Mann. — 42. Jesus erweckt den Jüngling von Naim zum Leben. — 43. Jesus, der Kinderfreund. — 44. Jesu feierlicher Einzug in Jerusalem. Die Feinde Jesu. — 45. Das letzte Abendmahl. Zeremonien der Karwoche. — 46. Die Einsetzung des allerheiligsten Altarssakramentes. — 47. Die heilige Messe. — 48. Die heilige Kommunion. *Jesu Leiden und Tod.* 49. Jesus am Olberge. — 50. Die Geisselung, Krönung und Verurteilung Jesu. — 51. Der Kreuzweg. — 52. Die Worte Jesu am Kreuze. — 53. Jesu Tod am Kreuze. — 54. Die Grablegung Jesu und dessen Abstieg zu der Hölle. *Jesu Verherrlichung. Die katholische Kirche.* 55. Jesu Auferstehung. Der Ostersonntag. — 56. Jesus setzt das Sakrament der Busse ein. — 57. Jesu Himmelfahrt. — 58. Herabkunft des Heiligen Geistes. Die Apostel verkünden die Lehre Jesu. — 59. Die katholische Kirche. — 60. Die vier letzten Dinge. Das apostolische Glaubensbekenntnis.

Anmerkung. Im Sinne der heiligen Sakramentenkongregation „Quam singulari" vom 8. August 1910 alin. IV. ist der Katechet verpflichtet, jene Kinder, die den Vernunftgebrauch schon erlangt haben, im ersten Schuljahr so vorzubereiten, dass sie von den Eltern zur Osterzeit zur heiligen Beichte und heiligen Kommunion geführt werden können. Im Falle einer gefährlichen Erkrankung ist diese Vorbereitung beim Versehen mit den heiligen Sterbesakramenten auch von Vorteil. Die wesentliche Vorbereitung auf die heilige Beichte und heilige Kommunion (Katechesen Nr. 21—23 und Nr. 31, 32) sind hier so frühzeitig eingereiht, damit die Kinder an Schulen, die ihr Schuljahr mit dem November beginnen, rechtzeitig vorbereitet sind, so dass sie zur Osterzeit entsprechend dem Kirchengebote die heiligen Sakramente empfangen können.

Zweites Schuljahr.

Sobald die Kinder lesen können, dienen als Lehrbücher: „Kurze Biblische Geschichte des Alten und Neuen Testaments" und „Kleiner Katechismus".

Gott der Schöpfer. Die Engel. 1. (Stunde). Wichtigkeit des Religionsunterrichtes. Erschaffung der Welt, 1. bis 4. Tag. Kurze Biblische Geschichte (Kurze Bibl.) Nr. 1. — 2. Erschaffung der Welt bis zum siebenten Tag. Kurze Bibl. 1. — 3. Erschaffung der Engel und ihre Prüfung. Kurze Bibl. 2; Kl. Kat. (Kleiner Katechismus) Frag. 24, 25, 35 bis 44. *Der Mensch vor und nach der*

Sünde. 4. Die ersten Menschen im Paradiese. Kurze Bibl. 3; Kl. Kat. 26, 45 bis 50. — 5. Der Sündenfall der ersten Menschen. Kurze Bibl. 4; Kl. Kat. 20, 21, 52 bis 55. — 6. Die Folgen der ersten Sünde. Verheissung des Erlösers. Kurze Bibl. 5; Kl. Kat. 27, 56 bis 59. — 7. Kain und Abel. Kurze Bibl. 6. — 8. Der fromme Noe. Kurze Bibl. 7. — 9. Die Sündflut. Kurze Bibl. 8. *Das auserwählte Volk.* 10. Auserwählung des Abraham. Kurze Bibl. 10. Seine Gastfreundschaft. Kurze Bibl. 11. — 11. Josef und seine Brüder. Kurze Bibl. 13. — 12. Josef wird von den Brüdern verkauft. Kurze Bibl. 14. — 13. Josef unschuldig im Kerker. Kurze Bibl. 15. — 14. Josef wird erhöht. Kurze Bibl. 16. — 15. Josefs Brüder kommen nach Ägypten. Kurze Bibl. 17. — 16. Die Brüder reisen mit Benjamin nach Ägypten. Kurze Bibl. 18. — 17. Josef prüft seine Brüder. Kurze Bibl. 19. — 18. Josef gibt sich seinen Brüdern zu erkennen. Kurze Bibl. 20. — 19. Jakob reist nach Ägypten. Kurze Bibl. 21. — 20. Die Geburt des Moses. Kurze Bibl. 22. — 21. Gott gibt die zehn Gebote. Kurze Bibl. 28; Kl. Kat. 131, 132. *Wesentliche Vorbereitung auf die heilige Beichte.* 22. Befolgung der Gebote Gottes. Die Hauptsünden. Kl. Kat. 177, 178, 182. — 23. Vorbereitung auf die Osterbeichte.

Jesu Kindheit und Jugend. 24. Verkündigung der Geburt Jesu. Kurze Bibl. Neues Testament (N. T.) Nr. 2; Kl. Kat. 65 bis 69. — 25. Maria besucht ihre Tante Elisabeth. Kurze Bibl. 3. — 26. Die Geburt Jesu Christi. Kurze Bibl. 5; Kl. Kat. 65 bis 69. — 27. Jesus wird im Tempel dargestellt. Kurze Bibl. 6; Kl. Kat. 61 bis 64, 70/2. — 28. Anbetung der Weisen aus dem Morgenlande. Kurze Bibl. 7; Kl. Kat. 70/3. *Wesentliche Vorbereitung auf die heilige Kommunion.* 29. Jesus in unseren Kirchen. — 30. Jesus, unsere Seelenspeise in der heiligen Kommunion. — 31. Jesu Flucht nach Ägypten. Kurze Bibl. 8; Kl. Kat. 70/4. — 32. Der zwölfjährige Jesus im Tempel. Kurze Bibl. 9; Kl. Kat. 71, 7 bis 9. — 33. Der freudenreiche Teil des heiligen Rosenkranzes.

Jesu öffentliche Tätigkeit. 34. Johannes, der Vorläufer Jesu. Kurze Bibl. 1, 4, 10 N. T.; Kl. Kat. 72, 73. — 35. Jesus lässt sich von Johannes taufen. Kurze Bibl. 11 N. T.; Kl. Kat. 73/2, 3, 164. — 36. Versuchung Jesu. Kurze Bibl. 12; Kl. Kat. 73/4. — 37. Jesus treibt die Verkäufer aus dem Tempel. Kurze Bibl. 14. — 38. Der reiche Fischfang. Kurze Bibl. 15; Kl. Kat. 74 bis 76. — 39. Erweckung der Tochter des Jairus. Kurze Bibl. 18. — 40. Der Sturm auf dem Meere. Kurze Bibl. 17; Kl. Kat. 60. — 41. Jesus, der Kinderfreund. Kurze Bibl. 21. — 42. Einsetzung des allerheiligsten Altarssakramentes. Kurze Bibl. 27; Kl. Kat. 166, 168 bis 171. *Jesu Leiden und Tod.* 43. Jesus schwitzt Blut am Ölberge. Kurze Bibl. 28; Kl. Kat. 77, 78. —

44. Jesus wird gefangen genommen. Kurze Bibl. 29, 30; Kl. Kat. 76. — 45. Jesus wird gegeisselt und mit Dornen gekrönt. Kurze Bibl. 31; Kl. Kat. 77, 78. — 46. Jesus wird zum Tode verurteilt. Kurze Bibl. 32; Kl. Kat. 79. — 47. Jesus wird gekreuzigt. Kurze Bibl. 33; Kl. Kat. 80. — 48. Der schmerzhafte Teil des heiligen Rosenkranzes. — 49. Jesus wird begraben. Kurze Bibl. 35; Kl. Kat. 81 und 82. *Jesu Verherrlichung.* 50. Jesus steht von den Toten auf. Kurze Bibl. 36; Kl. Kat. 84. — 51. Jesus setzt das Busssakrament ein. Kurze Bibl. 37; Kl. Kat. 97, 172. — 52. Jesus übergibt dem Petrus das oberste Hirtenamt. Kurze Bibl. 38; Kl. Kat. 93/3, 94. — 53. Die Himmelfahrt Jesu. Kurze Bibl. 39; Kl. Kat. 85. 86. *Die katholische Kirche.* 54. Die Herabkunft des Heiligen Geistes. Kurze Bibl. 40; Kl. Kat. 89, 90. — 55. Die katholische Kirche. Kl. Kat. 91 bis 95, 3 bis 6. — 56. Die Gebote der Kirche. Kl. Kat. 155. — 57. Die Gemeinschaft der Heiligen. Himmelfahrt und Krönung Mariä. Kl. Kat. 96. — 58. Der glorreiche Teil des heiligen Rosenkranzes. *Die vier letzten Dinge.* 59. Auferstehung des Fleisches. Das Gericht. Kl. Kat. 87, 88, 98. — 60. Die Hölle. Der Himmel. Kl. Kat. 99, 100.

Anmerkung. In den Katechesen 22, 23, 29, 30 soll der Katechet die Kinder, die den Vernunftgebrauch schon erlangt haben, auf die heilige Beichte und die heilige Kommunion so vorbereiten, dass sie zur Osterzeit unter Führung der Eltern dem IV. Kirchengebote genügen können. Die Vorbereitung ist auf das wesentlich Notwendige zu beschränken. In diesem Schuljahre sollen sich die Schüler auf Grundlage biblischer Geschichten den Text des ersten Hauptstückes des Kleinen Katechismus aneignen.

Drittes Schuljahr.

Lehrbücher: „Kurze Biblische Geschichte des Alten und Neuen Testaments“ und „Kleiner Katechismus“.

Das erste Hauptstück kann in 16 Katechesen wiederholt werden. Der übrige Lehrstoff soll in vollständigen Katechesen, bei denen der Katechismustext auf Grundlage heiliger Geschichten veranschaulicht wird, behandelt werden.

Von dem Glauben und dem apostolischen Glaubensbekenntnisse. 1. (Stunde). Von dem christlichen Glauben. Kleiner Katechismus (Kl. Kat.) Frag. 3 bis 6. — 2. Die wichtigsten Glaubenswahrheiten. Kl. Kat. 7 bis 12. — 3. Gott und seine Vollkommenheit. Kl. Kat. 13 bis 20. — 4. Die Eigenschaften Gottes. Kl. Kat. 21 bis 28. — 5. Die drei göttlichen Personen. Kl. Kat. 29 bis 34. — 6. Die Engel. Kl. Kat. 35 bis 44. — 7. Der Mensch. Kl. Kat. 45 bis 52. — 8. Die Erbsünde. Der Erlöser. Kl. Kat. 53 bis 59. — 9. Jesus, der Sohn Gottes. Kl. Kat. 60 bis 69. — 10. Jesu Kindheit und Jugend. Kl. Kat. 70 und 71. — 11. Das Lehramt Jesu. Kl. Kat.

72 bis 76. — 12. Das Leiden Jesu. Kl. Kat. 77 bis 81. — 13. Die Verherrlichung Jesu. Kl. Kat. 82 bis 88. — 14. Der Heilige Geist. Kl. Kat. 89, 90. — 15. Die katholische Kirche. Kl. Kat. 91 bis 97. — 16. Auferstehung des Fleisches. Ein ewiges Leben. Kl. Kat. 98 bis 100.

Von der Hoffnung und dem Gebete. 17. Von der christlichen Hoffnung. Kurze Biblische Geschichte Nr. 23 N. T.; Kl. Kat. 101 bis 104. — 18. Notwendigkeit des Gebetes. Kurze Bibl. 23 N. T.; Kl. Kat. 105 bis 108. — 19. Die Eigenschaften des Gebetes. Kurze Bibl. 28 N. T.; Kl. Kat. 109 bis 113. — 20. Das Gebet des Herrn und der englische Gruss. Kl. Kat. 114 bis 121.

Von der Liebe und den Geboten. 21. Die Liebe zu Gott. Kurze Bibl. 22 N. T.; Kl. Kat. 122 bis 124. — 22. Die christliche Selbstliebe und Nächstenliebe. Kurze Bibl. 24 N. T.; Kl. Kat. 125 bis 130. — 23. Die zehn Gebote Gottes. Kurze Bibl. 28 A. T.; Kl. Kat. 131 bis 133. — 24. Erklärung des ersten Gebotes Gottes. Noe. Kl. Kat. 134 bis 137. — 25. Das zweite und dritte Gebot Gottes. Kl. Kat. 138 bis 142. — 26. Das vierte Gebot Gottes. Der ägyptische Josef. Kl. Kat. 143 bis 146. — 27. Das fünfte und sechste Gebot Gottes. Kain. Sodoma. Kl. Kat. 147 bis 149. — 28. Das siebente und achte Gebot Gottes. Die Schlange im Paradiese. Kl. Kat. 150, 151. — 29. Das neunte und zehnte Gebot Gottes. Eva. Kl. Kat. 152 bis 154. — 30. Die fünf Gebote der Kirche. Die sieben Hauptsünden. Kl. Kat. 155 bis 157.

Vorbereitung auf die erste gemeinsame heilige Beichte. 31. I. Das Sakrament der Busse. Kurze Bibl. 37 N. T.; Kl. Kat. (Seite 49) 18, 20. — 32. II. Die Erforschung des Gewissens (wann, wie, was?). Der verlorene Sohn. Kl. Kat. 21 bis 25. — 33. III. Das Kind erforscht das Gewissen nach den 10 Geboten Gottes, den Geboten der Kirche und den sieben Hauptsünden. (Kl. Kat. Beichtspiegel, Seite 72). — 34. IV. Die Reue des verlorenen Sohnes. Kl. Kat. 26 bis 34. — 35. V. Die Arten der Reue. Herodes. Kl. Kat. 35 bis 42. — 36. VI. Der ernstliche Vorsatz. Der verlorene Sohn: Ich will mich aufmachen. Kl. Kat. 43 bis 46. — 37. VII. Die Beichte. Kl. Kat. 47 bis 54. — 38. VIII. Wie verrichtet man die Beichte? Kl. Kat. 55. — 39. IX. Die Genugtuung. Kl. Kat. 56, 57. — 40. X. Die nächste Vorbereitung: Übersicht. Reue. *Vorbereitung auf die erste gemeinsame heilige Kommunion.* 41. I. Einsetzung des allerheiligsten Altarssakramentes. Kurze Bibl. 27 N. T.; Kl. Kat. 166, 167. — 42. II. Das heilige Messopfer. Kl. Kat. 168 bis 171. — 43. III. Die heilige Kommunion. Kl. Kat. (Seite 47) 7, 8. — 44. IV. Vorbereitung zum Empfange der heiligen Kommunion. Kl. Kat. 9 bis 13. — 45. V. Der Empfang der heiligen Kommunion. Kl. Kat. 14 bis 17. — 46. VI. Die nächste Vorbereitung.

Von der Gnade und den Sakramenten. 47. Von der Gnade. Das Hochzeitsgewand. Kl. Kat. 158 bis 160. — 48. Die heiligen Sakramente im allgemeinen. Kl. Kat. 161 bis 163. — 49. Die heilige Taufe. Kurze Bibl. 11 N. T.; Kl. Kat. 164. — 50. Die heilige Firmung. Kurze Bibl. 41 N. T; Kl. Kat. 165. — 51. Die heilige letzte Ölung. Kl. Kat. 173. — 52. Die heilige Priesterweihe. Kl. Kat. 174. — 53. Das Sakrament der Ehe. Maria und Josef. Kl. Kat. 175.

Von der christlichen Gerechtigkeit und den vier letzten Dingen. 54. Worin besteht die christliche Gerechtigkeit? Hl. Josef. Kl. Kat. 176, 177, 183. — 55. Die Sünde. Kain und Abel. Kl. Kat. 178 bis 182. — 56. Die Tugend. Jesus, der ägyptische Josef. Kl. Kat. 184 bis 188. *Die vier letzten Dinge.* 57. Der Tod. Jesus stirbt am Kreuze. Kl. Kat. 189 bis 191. — 58. Das Gericht. Kurze Bibl. 26 N. T.; Kl. Kat. 192 bis 194. — 59. Das Fegefeuer, die Hölle. Der reiche Prasser und der arme Lazarus. Kurze Bibl. 24 N. T; Kl. Kat. 195 bis 197. — 60. Der Himmel. Die Himmelfahrt Jesu und Mariä. Kl. Kat. 198, 199.

Anmerkung. Damit alle Kinder, die das Kirchengebot schon bindet, in der österlichen Zeit die heiligen Sakramente empfangen, sollen sie rechtzeitig dazu vorbereitet werden. Die Katechesen 17 bis 22 könnten wegen Zeitmangel nach der Katechese 46 durchgenommen werden. In diesem Schuljahr oder auch schon im vorigen kann die Vorbereitung auf die heilige Firmung vorgenommen werden.

Das vierte, fünfte, sechste, siebente und achte Schuljahr.

Lehrbücher: „Mittlerer Katechismus“ und „Grosse Biblische Geschichte des Alten und Neuen Testaments“.

Sooft ein einheitlicher Katechismusstoff zum erstenmale behandelt wird, soll die Katechese die Form einer Rede haben und die Katechismuswahrheiten durch eine heilige Geschichte veranschaulichen.

I. Hauptstück. Von dem Glauben und dem apostolischen Glaubensbekenntnisse. Christlicher Glaube. 1. (Stunde). Wichtigkeit des Religionsunterrichtes. Mittlerer Katechismus (Mitl. Kat.) Frag. 1 bis 5. — 2. Von dem christlichen Glauben. Mitl. Kat. 6 bis 11. — 3. Die Quellen der göttlichen Offenbarung. Mitl. Kat. 12 bis 17. — 4. Notwendigkeit und Eigenschaften des Glaubens. Mitl. Kat. 18 bis 23. — 5. Kenntnis und Bekenntnis des Glaubens. Mitl. Kat. 24 bis 34. *Gott und die vorzüglichsten Geschöpfe.* 6. Wesen Gottes und Quellen seiner Erkenntnis. Mitl. Kat. 35 bis 39. — 7. Eigenschaften Gottes. Mitl. Kat. 40 bis 46. — 8. Eigenschaften Gottes. (Fortsetzung). Mitl. Kat. 47 bis 52. — 9. Die heiligste Dreifaltig-

keit. Mitl. Kat. 53 bis 60. — 10. Erschaffung der Welt und die göttliche Vorsehung. Mitl. Kat. 61 bis 67. — 11. Die Engel. Mitl. Kat. 68 bis 75. — 12. Die Schutzengel. Mitl. Kat. 76 bis 79. — 13. Das Glück der ersten Menschen. Mitl. Kat. 80 bis 87. — 14. Die Sünde der ersten Menschen. Mitl. Kat. 88 bis 97.

Der Erlöser. 15. Die Namen und die Person des Erlösers. Mitl. Kat. 98 bis 108. — 16. Die Gottheit des Erlösers. Mitl. Kat. 109 bis 113. — 17. Die Menschwerdung und die Kindheit Jesu. Mitl. Kat. 114 bis 124. — 18. Das öffentliche Leben Jesu. Mitl. Kat. 125 bis 131. — 19. Das Leiden Jesu. Mitl. Kat. 132 bis 142. — 20. Jesus in der Vorhölle und seine Auferstehung. Mitl. Kat. 143 bis 148. — 21. Jesu Himmelfahrt. Mitl. Kat. 149 bis 152. — 22. Das Weltgericht. Mitl. Kat. 153 bis 157. — 23. Der Heilige Geist. Mitl. Kat. 158 bis 165.

Die katholische Kirche. 24. Die Stiftung der katholischen Kirche. Mitl. Kat. 166 bis 170. — 25. Der Fortbestand der Kirche. Mitl. Kat. 171 bis 176. — 26. Die Merkmale der wahren Kirche. Mitl. Kat. 177 bis 185. — 27. Die Bestimmung der Kirche Christi. Mitl. Kat. 186 bis 193. — 28. Ausserhalb der Kirche gibt es kein Heil. Mitl. Kat. 194 bis 198. — 29. Die Gemeinschaft der Heiligen. Mitl. Kat. 199 bis 203. — 30. Die Nachlassung der Sünden. Mitl. Kat. 204 bis 207. — 31. Die Auferstehung des Fleisches. Mitl. Kat. 208 bis 211. — 32. Ein ewiges Leben. Amen. Mitl. Kat. 212 bis 216.

II. Hauptstück. Von der Hoffnung und dem Gebete. 33. Das Wesen der christlichen Hoffnung. Mitl. Kat. 217 bis 220. — 34. Wesen, Notwendigkeit und Wirkung des Gebetes. Mitl. Kat. 221 bis 224. — 35. Die Eigenschaften des Gebetes. Mitl. Kat. 225 bis 232. — 36. Die Arten des Gebetes. Mitl. Kat. 233 bis 239. — 37. Das Gebet des Herrn. Die Anrede. Mitl. Kat. 240 bis 246. — 38. Die ersten vier Bitten des Vaterunser. Mitl. Kat. 247 bis 254. — 39. Die letzten drei Bitten des Vaterunser. Mitl. Kat. 255 bis 262. — 40. Die Form des englischen Grusses. Mitl. Kat. 263 bis 267. — 41. Erklärung des Ave Maria. Mitl. Kat. 268 bis 274. — 42. Die wichtigsten Gebete und religiösen Übungen. Mitl. Kat. 275 bis 278.

III. Hauptstück. Von der Liebe und den Geboten. Christliche Liebe. 43. Die Liebe zu Gott. Mitl. Kat. 279 bis 283. — 44. Die Selbst- und Nächstenliebe. Mitl. Kat. 284 bis 290. — 45. Ausübung der christlichen Liebe. Mitl. Kat. 291 bis 299. *Die Gebote Gottes.* 46. Sünden gegen die innere Gottesverehrung. Mitl. Kat. 300 bis 314. — 47. Sünden gegen die äussere Gottesverehrung. Mitl. Kat. 315 bis 322. — 48. Die mittelbare Gottesverehrung (die Heiligen). Mitl. Kat. 323 bis 328. — 49. Verehrung des Namens Gottes. Mitl. Kat. 329 bis 339. — 50. Die Sonntagsheiligung. Mitl. Kat.

340 bis 346. — 51. Die Pflichten der Kinder gegen die Eltern. Mitl. Kat. 347 bis 354. — 52. Die gegenseitigen Pflichten der Untergebenen und Vorgesetzten. Mitl. Kat. 355 bis 360. — 53. Die Pflichten gegen das Leben des Menschen. Mitl. Kat. 361 bis 368. — 54. Die Sünden gegen die Keuschheit. Mitl. Kat. 369 bis 376. — 55. Die Sünden gegen das fremde Gut. Mitl. Kat. 377 bis 383. — 56. Die Sünden gegen das fremde Gut. (Fortsetzung). Restitutionspflicht. Mitl. Kat. 384 bis 387. — 57. Die Sünden gegen die Wahrheit und Ehre. Mitl. Kat. 388 bis 397. — 58. Pflichten gegenüber der Wahrheit und Ehre. Mitl. Kat. 398 bis 402. — 59. Die inneren Sünden der Begierlichkeit. Mitl. Kat. 403 bis 409. *Die Kirchengebote.* 60. Die Kirchengebote im allgemeinen und das erste im besonderen. Mitl. Kat. 410 bis 417. — 61. Heiligung der Sonn- und Feiertage. Mitl. Kat. 418 bis 424. — 62. Das Fastengebot. Mitl. Kat. 425 bis 432. — 63. Zeit zum Empfange der heiligen Sakramente. Mitl. Kat. 433 bis 437.

IV. Hauptstück. Von der Gnade und den Sakramenten. Die Gnade. 64. Die Gnade im allgemeinen. Mitl. Kat. 438 bis 443. — 65. Die beistehende und heiligmachende Gnade. Mitl. Kat. 444 bis 452. *Die heiligen Sakramente.* 66. Das Wesen und die Zahl der Sakramente. Mitl. Kat. 453 bis 460. — 67. Die Einteilung der heiligen Sakramente. Mitl. Kat. 461 bis 469. — 68. Was ist die *Taufe?* Mitl. Kat. 470 bis 476. — 69. Der Empfang der Taufe. Mitl. Kat. 477 bis 483. — 70. Heilige *Firmung.* Mitl. Kat. 484 bis 494. — 71. Der Empfang der Firmung. Mitl. Kat. 495 bis 497. — 72. Das allerheiligste *Altarssakrament.* Mitl. Kat. 498 bis 508. — 73. Christi Gegenwart im allerheiligsten Altarssakramente. Mitl. Kat. 509 bis 511. — 74. Das Wesen des heiligen *Messopfers.* Mitl. Kat. 512 bis 518. — 75. Einsetzung und Fortsetzung des heiligen Messopfers. Mitl. Kat. 519 bis 528. — 76. Die Teilnahme am heiligen Messopfer. Mitl. Kat. 529 bis 533. — 77. Das Wesen der heiligen *Kommunion.* Mitl. Kat. 534 bis 538. — 78. Die Vorbereitung auf die heilige Kommunion. Mitl. Kat. 539 bis 546. — 79. Der Empfang der heiligen Kommunion. Mitl. Kat. 547 bis 552. — 80. Was ist das heilige *Sakrament der Busse?* Mitl. Kat. 553 bis 559. — 81. Die Gewissenserforschung. Mitl. Kat. 560 bis 567. — 82. Die Reue und ihre Eigenschaften. Mitl. Kat. 568 bis 579. — 83. Die Arten der Reue. Mitl. Kat. 580 bis 588. — 84. Der ernstliche Vorsatz. Mitl. Kat. 589 bis 592. — — 85. Wesen, Notwendigkeit und Eigenschaften der Beichte. Mitl. Kat. 593 bis 601. — 86. Die Ablegung der Beichte. Mitl. Kat. 602 bis 606. — 87. Die Genugtuung. Mitl. Kat. 607 bis 613. — 88. Der *Ablass.* Mitl. Kat. 614 bis 620. — 89. Die heilige letzte *Ölung.* Mitl. Kat. 621 bis 629. — 90. Die heilige *Priesterweihe.* Mitl. Kat. 630 bis 633. — 91. Das Sakrament der *Ehe.* Mitl. Kat.

634 bis 637. — 92. Die Vorbereitung zum Empfange des heiligen Sakramentes der Ehe. Mitl. Kat. 638 bis 642. — 93. Die heiligen *Sakramentalien und Zeremonien.* Mitl. Kat. 643 bis 647.

V. Hauptstück. Von der christlichen Gerechtigkeit und den vier letzten Dingen. Die Sünden. 94. Begriff der Sünde. Mitl. Kat. 648 bis 657. — 95. Die Wirkungen und Arten der Sünden. Mitl. Kat. 658 bis 661. — 96. Die sieben Hauptsünden. Mitl. Kat. 662 bis 670. — 97. Die Sünden wider den Heiligen Geist. Mitl. Kat. 671 und 672. — 98. Die himmelschreienden Sünden. Mitl. Kat. 673, 674. — 99. Die fremden Sünden. Mitl. Kat. 675 und 676. *Die Tugenden und guten Werke.* 100. Christliche Tugenden. Mitl. Kat. 677 bis 680. — 101. Die göttlichen Tugenden. Mitl. Kat. 681 bis 689. — 102. Die Kardinaltugenden. Mitl. Kat. 690 bis 697. — 103. Die Tugenden, welche den sieben Hauptsünden entgegengesetzt sind. Mitl. Kat. 698 bis 705. — 104. Die acht Seligkeiten. Mitl. Kat. 706, 707. — 105. Tugenden, welche im Evangelium besonders anbefohlen werden. Mitl. Kat. 708. — 106. Gute und verdienstliche Werke. Mitl. Kat. 709 bis 718. — — 107. Die leiblichen und geistlichen Werke der Barmherzigkeit. Mitl. Kat. 719 bis 721. — 108. Das Streben nach der christlichen Vollkommenheit. Mitl. Kat. 722 bis 724. *Die vier letzten Dinge.* 109. Der Tod. Mitl. Kat. 725 bis 730. — 110. Das Gericht. Das Fegefeuer. Mitl. Kat. 731 bis 737. — 111. Die Hölle. Mitl. Kat. 738 bis 742. — 112. Der Himmel. Mitl. Kat. 743 bis 746.

Anmerkung. In der *sechsklassigen* Volksschule ist in der vierten Klasse das I. (von der 1. bis einschliesslich 32. Stunde) und das IV. (von der 64. bis einschliesslich 93. Stunde) Hauptstück, in der fünften das Übrige (von der 33. bis einschliesslich 63. und von der 94. bis einschliesslich 112. Stunde) durchzunehmen. — In der *fünfklassigen* Volksschule ist in der vierten Klasse das I. und IV. Hauptstück, in der fünften Klasse das Übrige zu behandeln. In der *vierklassigen* Volksschule soll in der dritten Klasse das I. und IV. Haupstück, in der vierten Klasse das Übrige durchgenommen werden. — In der *dreiklassigen* Volksschule ist in der dritten Klasse in einem Jahre das I. und IV. Hauptstück, im nächsten Jahre der Rest zu erklären. — In der *zwei- und einklassigen* Volksschule soll der Mittlere Katechismus vom fünften bis zum achten Schuljahre durchgenommen werden. — Etwaige noch übrig bleibende Stunden an drei- und mehrklassigen Schulen sollen zu selbständigen biblischen Katechesen benützt werden.

Der *Ergänzungsunterricht* (Liturgik, Kirchengeschichte, Erklärung der Lieder und Gebete) soll mit den festgesetzten Katechesen geschickt verbunden werden, entsprechend dem Festkreise des Kirchenjahres. — Da hier die Katechesen in der Reihenfolge des Katechismustextes angeführt erscheinen, soll damit nicht an-

gedeutet werden, als ob der Katechet bei der *erstmaligen* Katechismuserklärung auch den wissenschaftlichen oder synthetischen (im logischen Sinne) Weg einschlagen müsste. Er soll vielmehr vom Konkreten zum Abstrakten aufsteigen. Jedoch soll keine Katechese weggelassen werden, damit den Schülern ein möglichst vollständiger Religionsunterricht zuteil werde.[1]

Iuxta pastoralem instructionem omnium austriacae ditionis Episcoporum de die 25. Novembris 1897 *triplex* catechismus praescriptus est: »Catechismus parvus« elementaris, »Medius« pro provectioribus, »Magnus« pro institutione finali. Admissione »Catechismi medii« in scholis popularibus, medium institutionis religiosae locum tenentibus, catechetarum vota adimplevimus ad minuendam amplam instructionis religiosae materiam. Usu triplicis editionis catechismi crescit gradatim attentio et delectatio discipulorum in doctrina religionis acquirenda. Magnum catechismum, qui scholam absolverunt, in familia tamquam libellum domesticum pretiosum cum ad scientiam religiosam continuatim discendo firmandam tum ad maturandum profectum in via virtutum asservent!

In componenda nova norma institutionis religiosae pro scholis popularibus et civicis atque in materia singulis horis instructionis adsignanda ratio sollerter habita est decreti a sacra Congregatione Concilii die 20. Decembris 1905 publicati de frequenti et quotidiana communione itemque interpretationis ab eadem sacra Congregatione datae die 15. Septembris 1906 necnon decreti »Quam singulari« a sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum die 8. Augusti 1910 promulgati.

Duplicem dilaudata decreta curam imponunt catechetis, ut nempe iuventam tenellis in annis adducant ad Iesum in augustissimo Sacramento eamque ad communionem frequenter sumendam instruant. Quod quidem labore atque difficultate non carebit; verumtamen ca-

[1] Die Katecheten werden aufmerksam gemacht auf das wichtige Werk: *Franz Krus S. J., Grundstock einer katechetischen Bibliothek.* Innsbruck, 1912. 8°. 92 Seiten. — Dieses Buch enthält die wichtigere Literatur auf dem katechetischen Gebiete und bildet für die Katecheten ein vorzügliches Hilfsmittel zur Anschaffung von trefflichen Büchern behufs fachgemässer Fortbildung.

techetae eis ne cedant paventes. Obsecundant enim Beatissimi Patris votis, qui pro tantis nostri aevi periculis enunciat, quanti sint habenda Iesu verba: »Sinite parvulos venire ad me et ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei!« (Marc. 10, 14).

Meminerint porro catechetae, se huic operi adlaborantes sanctissimo satisfacere officio, quum infantium corda integra ac candida a variis peccatis et passionibus servent, ita ut in ipsa tenerrima aetate tabernacula fiant divini Salvatoris, qui est fons virtutum omnium bonorumque supernaturalium.

Catechetae denique, ut opus istud Deo gratum studioso aggrediantur animo, sciant se tum puerorum gratitudinem acquisituros esse tum parentum, qui ardenter cupiunt, ut in puerorum cordibus omnes christianae vitae virtutes effloreant. Sed et post mortem operae et laboris copiosam habebunt mercedem.

Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. (Dan. 12, 3).

Caput CLV.

De lingua instructionis religiosae.

Euntes ergo docete omnes gentes.. docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis. (Matth. 28, 19. 20). Hisce verbis divinus Magister apostolis suis eorumque successoribus imposuit munus, docendi omnes homines cuiusvis aetatis et nationis, ut, eadem fide uniti, fierent unus grex et unum ovile, sub uno summo pastore Iesu Christo. (Ioan. 10, 16).

Secundum proverbium *adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (Prov. 22, 6) — semen verbi divini praeprimis in corda parvulorum immittendum est, sicut et Magister coelestis admonet, dicendo: *Sinite parvulos venire ad me!* (Luc. 18, 16). Idcirco Ecclesia catholica institutionem parvulorum in doctrina

divina gravissimi ponderis semper aestimabat. Hoc officium suis ministris, catechetis dictis, commisit et maxima cum cura invigilabat, ut illud exactissime perageretur.

Instructio catechetica semper quidem necessaria fuerat, sed nostris nunc temporibus eius necessitas eo gravior evenit, quum mundus perversus verbis corruptivis, libris perfidis et imaginibus obscoenis iuventutem omni cum industria in viam perditionis trahere conatur. Quapropter catechetae in disciplinis theologicis bene eruditi esse debent, ut doctrinam divinam perspicue exponant; dein bene morati, ut vitae propriae integritate et probitate doctrinam suam commententur; debent esse sal terrae, lux mundi et civitas supra montem posita (Matth. 5, 14), exornati virtutibus omnibus, ut iuventutem sibi commendatam imagini Christi conformem (Rom. 8, 29) educent.[1]

Ad fructus prosperos consequendos porro absolute necessarium est, ut institutio religiosa in lingua catechumenis intelligibili fiat iuxta verba s. Pauli: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* (I. Cor. 9, 22). *Graecis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum.* (Rom. 1, 14).

Obligatio impertiendi instructionem religiosam in lingua vernacula, docente sacra Scriptura, nititur voluntate Dei.

Apostoli die illa magna Pentecostes, qua in Spiritu Sancto ad munus apostolicum docendi omnes gentes baptizati sunt, *coeperunt loqui variis linguis* et *unusquisque lingua sua illos loquentes* audiebat. *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudaei, viri religiosi ex omni natione, quae sub coelo est: Parthi et Medi et Aelamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Iudaeam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Aegyptum et partes Lybiae, quae*

[1] Actiones et constitutiones Syn. dioec. Lav. anno 1900 institutae atque peractae. Marburgi, 1901. Cap. XXIX. pagg. 230—237. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXII. pagg. 267—278. — Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno Domini 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Articulus IX. pagg. 224—228.

est circa Cyrenen, et advenae Romani, Iudaei quoque et proselyti, Cretes et Arabes. (Act. apost. 2, 4—11).

Ex citatis sacrae Scripturae verbis patet, apostolos duplex linguarum charisma accepisse, scilicet ut linguis eorum, quibus evangelizabant, loquerentur et dein, ut, quamvis una lingua uterentur, ab auditoribus linguarum diversarum ab unoquoque in eius idiomate intelligerentur.

Hoc charismate linguarum multi fideles per Spiritum Sanctum, qui, ubi vult, spirat, diebus apostolorum (Act. apost. 10, 46; 19, 6; I. Cor. 12, 10) necnon tempore postapostolico gaudebant testante s. Irenaeo: »Quemadmodum et multos audivimus fratres in Ecclesia prophetica habentes charismata et per Spiritum universis linguis loquentes et absconsa hominum in manifestum producentes ad utilitatem et mysteria Dei enarrantes.«[1]

Teste historia ecclesiastica idem Spiritus Sanctus etiam saeculis aetatis christianae sequentibus exempla diversa charismatis linguarum ad evangelium praedicandum proposuit. Sic s. Dominicus sibi suisque confratribus donum linguae germanicae precibus exoravit, ut durante quadam peregrinatione a Tolosa Lutetiam Parisiorum Germanis conperegrinantibus Christum praedicare posset.[2] Dein s. Vincentius Ferrerius, quamvis idiomatis Valentiani tantum gnarus, ab auditoribus linguarum diversarum in eorum linguis vernaculis praedicans perceptus est.[3] Porro s. Antonius Patavinus, aliquando Romae sermonem faciens, ab omnibus auscultantibus, qui propter indulgentias lucrandas convenerant, in eorum idiomate auditus est.[4] Et quam mirabiliter charisma linguarum in Asiae missionario praeclaro s. Francisco Xaverio apparet, qui linguas varias loquebatur, quas nunquam didicit, quique in una lingua praedicans, ab auditoribus diversarum nationum simul intelligebatur![5]

[1] Irenaeus contra haereses. Lib. 5. cap. 6. — [2] Joh. Jos. von Görres, Die christliche Mystik. 2. Band. Regensburg, 1837. Pag. 192. — [3] Petrus Runzanus in Vita s. Vinc. Ferrerii. Lib. 3. c. 9. — [4] Ann. Minor. an. 1227. Nr. 16. — [5] Breviarium romanum die 3. Decembris.

De s. Bernardino Senensi notum est, ipsum in Concilio Florentino orationem lingua latina habentem etiam Graecos, idiomatis latini ignaros, percepisse. Demum ut ex femineo sexu exemplum adducatur, de beata Ioanna a Cruce legitur, ipsam momento cognitione linguae arabicae imbutam esse, ut duas servas alloqui et postea, veritatum divinarum cupidas, in religione christiana instruere posset.[1]

Exempla charismatum linguarum allata evidenter Spiritus Sancti voluntatem manifestant, instructionem religiosam in lingua intelligibili seu vernacula faciendam esse; idcirco et sancta Ecclesia hanc Spiritus Sancti voluntatem pro facultate semper exequi studebat.

Postquam gentes barbarae, migratione peracta, in variis Europae partibus firmas sedes occupaverunt, sancta Ecclesia eas, per viros in earum lingua versatos, Christo lucrifacere summam operam dabat, sic exempli gratia Anglos per s. Augustinum eiusque comites, Germanos per s. Bonifatium eiusque adiutores et Slavos per sanctos fratres Cyrillum et Methodium. Hi viri voce illis gentibus propria praedicaverunt, in earum idiomate libros scripserunt et in scholis elementaribus, sua industria fundatis, mediante lingua populari iuventutem erudierunt.

Ecclesiam catholicam per omnia saecula instructionem religiosam in lingua intelligibili sibi pro principio posuisse, nobis praeprimis persuadent diversorum Conciliorum constitutiones, quarum nonnullae ad factum probandum in sequentibus adducentur.

Concilium Moguntiacum (an. 813) cap. 45. mandavit: »Symbolum, quod est signaculum fidei, et orationem Dominicam discere semper moneant sacerdotes populum christianum . . . Propterea dignum est, ut filios suos donent ad scholam, sive ad monasteria sive foras, presbyteris, ut fidem catholicam recte discant et orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant. Et qui aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc discat.«[2] Concilium

[1] Vita, c. 15. (Görres op. cit. 2. Band. Pag. 194). — [2] Mansi, Sacrorum Conciliorum collectio. Tom. XIV. Venetiis, 1769. Pag. 74.

Rhemense (an. 813) cap. 15. sanxit, »ut Episcopi sermones et homilias sanctorum Patrum, prout omnes intelligere possint, secundum proprietatem linguae praedicare studeant.«[1] Concilium Turonense III. (an. 813) cap. 17. decrevit: »Visum est unanimitati nostrae, ut quilibet Episcopus habeat homilias continentes necessarias admonitiones, quibus subiecti erudiantur, id est de fide catholica, prout capere possint . . . Et ut easdem homilias quisque aperte transferre studeat in rusticam romanam linguam aut theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere, quae dicuntur.«[2] Consimiliter sonat caput 2. Concilii Moguntiaci, celebrati anno 847.

Ahytonis, Episcopi Basiliensis, capitulare (circa an. 822) cap. 2. ordinavit: »Secundo iubendum, ut oratio Dominica, in qua omnia necessaria humanae vitae comprehenduntur, et symbolum apostolorum, in quo fides catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus discatur tam latine quam barbarice, ut quod ore profitentur, corde credatur et intelligatur.«[3] Concilium Lambethense (an. 1281 habitum) cap. 10. constituit: »Praecipimus, ut quilibet sacerdos plebi praesidens, quater in anno, hoc est, semel in qualibet quarta anni, die uno sollemni vel pluribus, per se vel per alium exponat populo vulgariter absque cuiuslibet subtilitatis textura phantastica, quattuordecim articulos fidei, decem mandata decalogi, praecepta evangelii, duo scilicet geminae charitatis, septem opera misericordiae, septem peccata capitalia cum sua progenie, septem virtutes principales ac septem gratiae sacramenta.«[4]

Concilii Palentini (an. 1322) caput 2. sonat: »Statuimus, ut quilibet rector parochialis ecclesiae in scriptis habeat latina et vulgari lingua articulos fidei, praecepta decalogi, sacramenta Ecclesiae, species vitiorum et virtutum et quater in anno ipsa publicet populo.«[5] Concilium provinciale Süderköpingense (an. 1441) cap. 13.

[1] Mansi, Tom. XIV. Edit. cit. pag. 78. — [2] Mansi, Tom. XIV. Edit. cit. pag. 85. — [3] Mansi, Tom. XIV. Edit. cit. pag. 394. — [4] Mansi, Tom. XXIV. Edit. cit. Venetiis, 1780. Pag. 410. — [5] Mansi, Tom. XXV. Venetiis, 1782. Pag. 698.

praescripsit, ut Pater noster, Salutatio angelica et Credo in linguam vernaculam vertantur et omnibus Dominicis recitentur.[1] Synodus Limmerickensis (an. 1453) cap. 21. praecepit, ut omnis curatus et vicarius in sua ecclesia unum exemplar huius et omnium recentium constitutionum habeat et quater in anno suis parochianis in lingua vernacula exponat.[2] Synodus dioecesana Ribensis (an. 1459) iubet, explicationem evangelii in lingua vernacula faciendam esse.[3] Congressus dioecesanus Basiliensis (an. 1503) voluit, ut parochi fidelibus omnibus Dominicis evangelii pericopas in lingua vernacula explicent, fideles tempore quadragesimali incipiente de confessione bene facienda instruant, sicut parochianos ad praedicationes et catecheses audiendas in diebus Dominicis et festivis admoneant.[4]

Anno 1504 Ioannes VI., Episcopus Misenensis, statuta synodalia promulgavit, in quibus et de eruditione vulgari agitur. Haec statuta inculcant, ut in eruditione religiosa praeprimis lingua vulgaris magni pendatur et ut in regionibus, ubi christicolae alius nationis habitant, parochus sibi sacerdotem auxiliarem, huius linguae peritum, acquirat, qui illis in eorum lingua sermocinetur et aliam eruditionem (religiosam) impertiat.[5] Synodus dioecesana Brixina (an. 1511) constitutioni de ss. Trinitate et de fide catholica adiunxit Pater noster, Ave Maria, symbolum apostolicum, decem mandata divina, quinque sensus, septem peccata capitalia, septem sacramenta, novem peccata aliena, octo circumstantias peccatorum, sex opera misericordiae corporalis in textu germanico cum mandato, ut sacerdotes semel in mense illa perspicue populo proponant.[6]

Concilium Tridentinum demum in sessione XXIV. cap. 7. de instructione religiosa sequentia statuit: »Ut fidelis populus ad suscipienda sacramenta maiori cum

[1] Dr. Karl Joseph Hefele, Conciliengeschichte, fortgesetzt von J. Card. Hergenröther. 8. Band. Freiburg im Breisgau, 1887. Pag. 19. — [2] Hefele, op. cit. 8. Band. Pag. 66. — [3] Hefele, op. cit. 8. Band. Pag. 152. — [4] Hefele, op. cit. 8. Band. Pag. 374. — [5] Hefele, op. cit. 8. Band. Pag. 538. — [6] Hefele op. cit. 8. Band. Pag. 545.

reverentia atque animi devotione accedat, praecipit sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solum, quum haec per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim et usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis parochis pie prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus sit et commode fieri poterit, servari studeant, iuxta formam a sancta Synodo in catechesi singulis sacramentis praescribendam, quam Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti atque a parochis omnibus populo exponi curabunt; nec non ut inter Missarum sollemnia aut divinorum celebrationem sacra eloquia et salutis monita eadem vernacula lingua singulis diebus festivis et sollemnibus explanent eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quaestionibus, inserere atque eos in lege Domini erudire studeant.«[1]

Cum his Conciliorum constitutionibus concordat hortatio Sanctissimi Patris Papae Leonis XIII. ad Praesules Hungariae: »Episcopi vehementer hortentur parochos et catechistas fidelium hungarica lingua non utentium, ut debito quidem obsequio satisfaciant civili legi, qua pueri in scholis sollerter doceri debent linguam hungaricam, ac doctrinam christianam non antea eis hungarico idiomate tradant, quam pueri eandem linguam plene didicerint. Hoc aeque puerorum aeterna salus et reipublicae bonum postulat.«[2]

Quod sancta mater Ecclesia in Conciliis et litteris pontificiis de lingua religiosae instructionis imperavit, hoc et in praxi semper peragebat.

Ut ad convertendas gentes, in diversis partibus orbis terrarum degentes, missionarios idoneos sibi compararet, seminaria ad missionarios excolendos fundavit. Maximum seminarium talis generis Urbanus VIII. anno 1627 pro propaganda fide erexit et illud immediate Congregationi de propaganda fide subdidit, in quo alumni ad opus missionis pro linguarum omnium gentibus

[1] Canones et decreta sacrosancti oecumenici Concilii Tridentini. Ratisbonae, 1888. Pag. 148 sq. — [2] Instructio sacrae Congregationis Episc. et Reg. ad regni Hungarici Archiepiscopos, Episcopos caeterosque Ordinarios de die 1. Maii 1896.

erudirentur.[1] Aliud priori simile Parisiis anno 1663 pro missionibus externis fundatum est.[2] De caetero nostris temporibus omnes fere ordines et congregationes, quorum finis principalis propagatio fidei est, propria seminaria ad erudiendos missionarios sustinent.

In Conciliis recentioribus non minus inculcatum est, ut alumni seminariorum nostratium lingua nationali bene edocerentur et ut catechismi in idioma vernaculum verterentur.

Ex parte promovendorum ad beneficia inter alias debitas qualitates requiritur et peritia linguae vulgaris secundum Cancellariae regulam XX. (de idiomate): » Omnis volens accipere aliquod beneficium, debet huius loci idioma bene callere et intelligibiliter loqui.«

Tali modo ergo sancta Ecclesia catholica per omnia saecula adimplet mandatum Domini: *Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae* (Marc. 16, 15) et voluntatem s. apostoli Pauli: *Omnibus omnia factus sum.* (I. Cor. 9, 22).

Quum autem sancta Ecclesia paene omnes respublicas amplectatur, sese etiam pro facultate earum legibus, quae iuri divino aut ecclesiastico non adversantur, accommodare debet. Quod ad scholas publicas, quae curae et moderationi reipublicae subiectae sunt, et ad privatas, quae iure publicarum scholarum gaudent, attinet, Ecclesiam et civilium legum, quae linguam instructionis respiciunt, rationem habere oportet.

Lex generalis, scholas in Austria concernens, in quinta paragrapho quidem sonat: »Institutio religiosa praepositis ecclesiasticis, ad quos pertinet, curae erit eique proxime ab illis invigilabitur«[3], sed haec paragraphus doctrinam et exercitia religionis tantum complectitur, non autem linguam religiosae instructionis. De hac pa-

[1] Josef Cardinal Hergenröther, Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte. 3. Band. Freiburg im Breisgau, 1886. Pag. 272. — [2] Hergenröther, 3. Band. Edit. cit. pag. 538. — [3] Das Reichsvolksschulgesetz vom 14. Mai 1869. § 5: Der Religionsunterricht wird durch die betreffenden Kirchenbehörden besorgt und zunächst von ihnen überwacht. (Vergl. Schul- und Unterrichtsordnung für allgemeine Volksschulen und Bürgerschulen vom 29. September 1905. § 51. Abs. 3).

ragraphus sexta sequenti modo loquitur: »De lingua instructionis, auditis eis, qui scholam sustinent, intra limites legum senatus scholarum provincialis decernit.«[1]

Quum autem plurimis in locis cum incolis idiomatis diversi circa eruditionem religiosam difficultates exortae sint, eo quod catechumeni multi linguae pro instructione praescriptae imperiti aderant, ad questus exhibitos Ministerium pro cultu et institutione fecit decisionem,[2] secundum quam in scholis elementaribus eruditio religiosa in lingua pro instructione illius scholae destinata fieri debet, quamvis catechumeni, illa lingua non utentes, eam frequentent. Permittitur tamen pro singulis catechumenis, lingua institutionis plus minusve carentibus, in classibus inferioribus, quando necessitas urget, ad praestandam claritatem lingua eorum vernacula auxiliariter uti; similiter et in explicandis et recitandis orationibus ante, inter et post catechesim.

In eiusmodi conditionibus utique instructio religiosa difficilior efficitur et ad consequendos uberiores fructus ex parte catechetae maiorem industriam et laborem requirit, sed prae oculis habeatur sublimitas muneris catechistarum: *Opus namque grande est, neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo.* (I. Par. 29, 1). Catechetae ergo summam dent operam, ut praeceptis Ecclesiae et legibus civilibus in eruditione religiosa convenienter agant.

[1] § 6: Über die Unterrichtssprache und über die Unterweisung in einer zweiten Landessprache entscheidet nach Anhörung derjenigen, welche die Schule erhalten, innerhalb der durch die Gesetze gezogenen Grenzen die Landesschulbehörde. (Vergleiche Schul- und Unterrichts-Ordnung, § 2). — [2] Der Minister für Kultus und Unterricht hat mittels hohen Erlasses vom 3. Dez. 1885 Z. 18.546 eröffnet, dass an deutschen Schulen beim Religionsunterrichte nur die deutsche Sprache zur Anwendung kommt, zumal bei einer utraquistischen Behandlung der Lehrstoff nur zur Hälfte bewältigt werden könnte. Es bleibe jedoch selbstverständlich hiebei nicht ausgeschlossen, dass bei einzelnen Schülern slowenischer Nationalität in den unteren Klassen, wo es notwendig ist, zur Vermittlung des Verständnisses die slowenische Sprache nachhilfsweise in Anwendung gebracht werde, und dass bei jenen Gebeten, welche zu Beginn, am Schlusse und während des Unterrichtes aus der Religion erklärt und verrichtet werden, auch die slowenische Sprache angewendet werden kann, ohne dass jedoch hiedurch der Charakter der Schule als einer deutschen irgendwie alteriert würde. Note des L. Sch. R. vom 13. Dez. 1885, Z. 7133.

Viriliter age et confortare et fac! Ne timeas et ne paveas: Dominus enim Deus meus tecum erit et non dimittet te nec derelinquet, donec perficias omne opus ministerii domus Domini! (I. Par. 28, 20).

Caput CLVI.

De aetate admittendorum ad primam communionem eucharisticam.

Summus gregis Christi Pastor, ex quo pontificatus onus in se suscepit, nulli umquam parcebat labori, ut, quod in ipso apostolici muneris ingressu proposuerat, instaurare scilicet omnia in Christo, ad effectum deduceret. Est autem instauratio in Christo intima et vivifica cum eo unio, *qui est vita nostra.* (Col. 3, 4). Nam ipse divinus Redemptor in nocte qua tradebatur testatus est: *Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes et arescet.* (Ioan. 15, 5. 6). Et doctor gentium beatus Paulus ait: *Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me.* (Gal. 2, 20). Quam unionem adeo necessariam, ut arctiorem faceret, Salvator noster, qui »se nascens dedit socium . . se moriens in pretium, se regnans dat in praemium«[1], admirabile Eucharistiae mysterium instituit deditque se »convescens in edulium«. Salutaris huius cibi sumptionem fidelibus imposuit et pie manducantibus mirabiles ac plane coelestes pollicitus est effectus. *Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus,*

[1] Hymnus „Verbum supernum“ in festo Corporis Christi ad Laudes.

et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. (Ioan. 6, 54—57).

Coelestium veritatum Custos divini Magistri mentem probe intelligens, ut periclitanti mundo medicinam propinaret salutarem, nullam omisit occasionem commendandi divini Sacramenti usum eumque frequentem. Decreto, a sacra Congregatione Concilii die 20. Decembris an. 1905 edito, Summus Pontifex quotidianam communionem gravissimis verbis laudavit et commendavit simulque declaravit, quae sit animi dispositio requisita, ut sacramentum quotidie sumi queat. Decretum hoc in Synodo, quam anno 1906 concivimus, vobis, dilecti animarum pastores, proposuimus vosque rogavimus, »ut Christi fideles, quorum probos mores ac desiderium sacrae communionis quotidie sumendae perspexeritis, ad mensam Dominicam non modo laeti admittatis, sed paterno cum affectu etiam invitetis«[1]. Nec mediocri cum gaudio audimus, in dioecesi Nostra sanctae communionis usum in dies augeri ac praesertim in congregationibus Marianis aliisque piis sodalitatibus frequentiam divini convivii crescere. — Die 15. Septembris an. 1906 sacra Congregatio Concilii ad propositum dubium, an frequens ac quotidiana Eucharistiae sumptio etiam pueris quibuscumque post susceptam primam communionem suaderi possit, respondit: »Sacrae communionis frequentiam commendari iuxta articulum primum decreti etiam pueris, qui ad sacram mensam iuxta normam in Catechismo Romano cap. IV. n. 63. semel admissi ab eius frequenti participatione prohiberi non debent, sed potius eos ad id hortari, reprobata praxi contraria alicubi vigente«.

Iam antea, die scilicet 12. Julii an. 1905 sacra Congregatio Indulgentiarum pueris ad primam communionem accedentibus nec non eorum consanguineis usque ad tertium gradum canonicae computationis inclusive, si sacramenta susceperint et ad intentionem Summi Pontificis pre-

[1] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pag. 374. Decretum praelaudatum ibidem pagg. 357—374.

ces fuderint, indulgentiam plenariam, omnibus autem Christi fidelibus sollemnitati contrito corde adstantibus indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum concessit[1]. — Die 7. Decembris an. 1907 Ss. D. N. Pius PP. X. per decretum a sacra Congregatione Concilii evulgatum »benigne concessit, ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe, ut cito convalescant, de confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis, qui degunt in piis domibus, ubi sanctissimum Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur Missae in oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de caetero regulis a Rituali Romano et a sacra Rituum Congregatione ad rem praescriptis«[2]. — Ultimum, quod Summus Ecclesiae Gubernator egit, ut quam plurimos Christo uniret eisque aperiret uberes, qui ex augustissimo Sacramento profluunt, fontes gratiarum, est decretum sacrae Congregationis de Sacramentis »de aetate admittendorum ad primam communionem eucharisticam«, editum die 8. Augusti an. 1910. Sapientissimae huius dispositionis effectus erit, ut »sicut novellae olivarum Ecclesiae filii sint in circuitu mensae Domini«[3]. En decreti tenorem originalem[4], cui adiicimus versiones slovenicam et theodiscam[5].

Decretum
de aetate admittendorum ad primam communionem eucharisticam.

Quam singulari Christus amore parvulos in terris fuerit prosequutus, Evangelii paginae plane testantur.

[1] Acta sanctae Sedis. Vol. XXXVIII. Pag. 122. — [2] Cornelius M. Rechenauer S. D. S., Die kirchliche Reform des Kommunionempfanges durch das Dekret der Konzilskongregation vom 20. Dezember 1905 und dessen Ergänzungen. Regensburg, 1908. Pag. 72. — [3] In festo Corporis Christi 4. Antiph. ad Vesperas. — [4] Acta apostolicae Sedis. Annus II. vol. II. num. 15. de die 15. Augusti 1910. Pagg. 577—583. Folium officiale dioecesis Lavantinae 1910. Num. XII. alin. 102. Pagg. 170—174. — [5] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1911. Num. IV. alin. 26. Pagg. 93—100.

Cum ipsis enim versari in deliciis habuit; ipsis manus imponere consuevit, ipsos complecti, ipsis benedicere. Idem indigne tulit repelli eos a discipulis, quos gravibus his dictis reprehendit: *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium enim est regnum Dei.* (Marc. 10, 13. 14. 16). Quanti vero eorundem innocentiam animique candorem faceret, satis ostendit, quum, advocato parvulo, discipulis ait: *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno coelorum. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* (Matth. 18, 3. 4. 5).

Haec memorans catholica Ecclesia, vel a sui primordiis, admovere Christo parvulos curavit per eucharisticam communionem, quam iisdem subministrare solita est etiam lactentibus. Id, ut in omnibus fere antiquis libris ritualibus ad usque saeculum XIII. praescriptum est, in baptizando fiebat, eaque consuetudo alicubi diutius obtinuit; apud Graecos et Orientales adhuc perseverat. Ad summovendum autem periculum, ne lactentes praesertim panem consecratum eiicerent, ab initio mos invaluit Eucharistiam iisdem sub vini tantum specie ministrandi.

Neque in baptismate solum, sed subinde saepius divino epulo reficiebantur infantes. Nam et ecclesiarum quarundam consuetudo fuit Eucharistiam praebendi puerulis continuo post Clerum et alibi post adultorum communionem residua fragmenta iisdem tradendi.

Mos hic deinde in Ecclesia latina obsolevit, nec sacrae mensae participes fieri coeperunt infantes, nisi illucescentis rationis usum aliquem haberent et augusti Sacramenti notitiam quandam. Quae nova disciplina, ab aliquot Synodis particularibus iam recepta, solemni sanctione firmata est oecumenici Concilii Lateranensis IV., anno MCCXV., promulgato celebri canone XXI., quo fidelibus, postquam aetatem rationis attigerint, sacramentalis confessio praescribitur et sacra communio hisce verbis: »Omnis utriusque sexus fidelis, postquam

ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum.«

Concilium Tridentinum[1], nullo pacto reprobans antiquam disciplinam ministrandae parvulis Eucharistiae ante usum rationis, Lateranense decretum confirmavit et anathema dixit in eos, qui contra sentirent: »Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, quum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae, anathema sit«[2].

Igitur vi allati et adhuc vigentis decreti Lateranensis, Christi fideles, ubi primum ad annos discretionis pervenerint, obligatione tenentur accedendi, saltem semel in anno, ad poenitentiae et Eucharistiae sacramenta.

Verum in hac rationis seu discretionis aetate statuenda haud pauci errores plorandique abusus decursu temporis inducti sunt. Fuerunt enim, qui aliam sacramento poenitentiae, aliam Eucharistiae suscipiendae discretionis aetatem assignandam esse censerent. Ad poenitentiam quidem eam esse aetatem discretionis iudicarunt, in qua rectum ab inhonesto discerni posset, adeoque peccari; ad Eucharistiam vero seriorem requiri aetatem, in qua rerum fidei notitia plenior animique praeparatio posset afferri maturior. Atque ita, pro variis locorum usibus hominumve opionibus, ad primam Eucharistiae receptionem hinc decem annorum aetas vel duodecim, hinc quattuordecim vel maior etiam est constituta, prohibitis interim ab eucharistica communione pueris vel adolescentibus praescripta aetate minoribus.

Istiusmodi consuetudo, qua per speciem tutandi decoris augusti Sacramenti arcentur ab ipso fideles,

[1] Sess. XXI. de Communione cap. 4. — [2] Sess. XIII. de Eucharistia cap. 8. can. 9.

complurium exstitit causa malorum. Fiebat enim, ut puerilis aetatis innocentia a Christi complexu divulsa, nullo interioris vitae succo aleretur; ex quo illud etiam consequebatur, ut praevalido destituta praesidio iuventus, tot insidiis circumventa, amisso candore, ante in vitia rueret, quam sancta mysteria delibasset. Etiamsi vero primae communioni diligentior institutio et accurata sacramentalis confessio praemittatur, quod quidem non ubique fit, dolenda tamen semper est primae innocentiae iactura, quae, sumpta tenerioribus annis Eucharistia, poterat fortasse vitari.

Nec minus est reprobandus mos pluribus vigens in locis, quo sacramentalis confessio inhibetur pueris nondum ad eucharisticam mensam admissis aut iisdem absolutio non impertitur. Quo fit, ut ipsi peccatorum fortasse gravium laqueis irretiti magno cum periculo diu iaceant.

Quod vero maximum est, quibusdam in locis pueri nondum ad primam communionem admissi, ne instante quidem mortis discrimine, sacro muniri Viatico permittuntur, atque ita defuncti et more infantium illati tumulo Ecclesiae suffragiis non iuvantur.

Eiusmodi damna inferunt, qui extraordinariis praeparationibus primae communioni praemittendis plus aequo insistunt, forte minus animadvertentes, id genus cautelae a Iansenianis erroribus esse profectum, qui sanctissimam Eucharistiam praemium esse contendunt, non humanae fragilitatis medelam. Contra tamen profecto sensit Tridentina Synodus, quum docuit eam esse »antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur«[1]; quae doctrina nuper a sacra Congregatione Concilii pressius inculcata est decreto die XX. mensis Decembris an. MDCCCCV. lato, quo ad communionem quotidianam aditus universis tum provectioris tum tenerioris aetatis patuit, duabus tantummodo impositis conditionibus, statu gratiae et recto voluntatis proposito.

[1] Sess. XIII. de Eucharistia cap. 2.

Nec sane iusta causa esse videtur, quamobrem, quum antiquitus sacrarum specierum residua parvulis etiam lactentibus distribuerentur, extraordinaria nunc praeparatio a puerulis exigatur, qui in primi candoris et innocentiae felicissima conditione versantur mysticoque illo cibo propter tot huius temporis insidias et pericula indigent maxime.

Quos reprehendimus abusus ex eo sunt repetendi, quod nec scite nec recte definiverint, quaenam sit aetas discretionis, qui aliam poenitentiae, aliam Eucharistiae assignarunt. Unam tamen eandemque aetatem ad utrumque sacramentum requirit Lateranense Concilium, quum coniunctum confessionis et communionis onus imponit. Igitur, quemadmodum ad confessionem aetas discretionis ea censetur, in qua honestum ab inhonesto distingui potest, nempe qua ad usum aliquem rationis pervenitur; sic ad communionem ea esse dicenda est, qua eucharisticus panis queat a communi dignosci; quae rursus eadem est aetas, in qua puer usum rationis est assequutus.

Nec rem aliter acceperunt praecipui Concilii Lateranensis interpretes et aequales illorum temporum. Ex historia enim Ecclesiae constat, Synodos plures et episcopalia decreta, iam inde a saeculo XII., paulo post Lateranense Concilium, pueros annorum septem ad primam communionem admisisse. Exstat praeterea summae auctoritatis testimonium, doctor Aquinas, cuius haec legimus: »Quando iam pueri incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere huius Sacramenti (Eucharistiae), tunc potest eis hoc Sacramentum conferri«[1]. Quod sic explanat Ledesma: »Dico ex omnium consensu, quod omnibus habentibus usum rationis danda est Eucharistia, quantumcumque cito habeant illum usum rationis; esto quod adhuc confuse cognoscat ille puer quid faciat«[2]. Eumdem locum his verbis explicat Vasquez: »Si puer semel ad hunc usum rationis pervenerit, statim

[1] Summa Theol. p. III. q. 80. a. 9. ad 3. — [2] In s. Thom. p. III. q. 80. a. 9. dub. 6.

ipso iure divino ita obligatur, ut Ecclesia non possit ipsum omnino liberare«[1]. Eadem docuit s. Antoninus, scribens: »Sed cum est doli capax (puer), cum scilicet potest peccare mortaliter, tum obligatur ad praeceptum de confessione et per consequens de communione«[2]. Tridentinum quoque Concilium ad hanc impellit conclusionem. Dum enim memorat sess. XXI. cap. 4: »Parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem«, unam hanc rei rationem assignat, quod peccare non possint: »Siquidem, inquit, adeptam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt.« Ex quo patet hanc esse Concilii mentem, tunc pueros communionis necessitate atque obligatione teneri, quum gratiam peccando possunt amittere. His consonant Concilii Romani verba, sub Benedicto XIII. celebrati ac docentis, obligationem Eucharistiae sumendae incipere, »postquam pueruli ac puellae ad annum discretionis pervenerint, ad illam videlicet aetatem, in qua sunt apti ad discernendum hunc sacramentalem cibum, qui alius non est quam verum Iesu Christi corpus, a pane communi et profano et sciunt accedere cum debita pietate ac religione«[3]. Catechismus Romanus autem, »qua aetate, inquit, pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere potest quam pater et sacerdos, cui illi confiteantur peccata. Ad illos enim pertinet explorare et a pueris percunctari, an huius admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant«[4].

Ex quibus omnibus colligitur, aetatem discretionis ad communionem eam esse, in qua puer panem eucharisticum a pane communi et corporali distinguere sciat, ut ad altare possit devote accedere. Itaque non perfecta rerum fidei cognitio requiritur, quum aliqua dumtaxat elementa sint satis, hoc est aliqua cognitio; neque

---

[1] In III. p. s. Thom. disp. 214. c. 4. n. 43. — [2] P. III. tit. 14. c. 2. § 5. — [3] Istruzione per quei che debbono la prima volta ammettersi alla S. Communione. Append. XXX. P. 11. — [4] P. II. de sacramento Eucharistiae n. 63.

plenus rationis usus, quum sufficiat usus quidam incipiens, hoc est aliqualis usus rationis. Quapropter communionem ulterius differre, ad eamque recipiendam maturiorem aetatem constituere, improbandum omnino est, idque Apostolica Sedes damnavit pluries. Sic fel. rec. Pius Papa IX. litteris Cardinalis Antonelli ad episcopos Galliae datis die XII. Martii anno MDCCCLXVI. invalescentem in quibusdam dioecesibus morem protrahendae primae communionis ad maturiores eosque praefixos annos acriter improbavit. Sacra vero Congregatio Concilii die XV. mensis Martii anno MDCCCLI. Concilii provincialis Rothomagensis caput emendavit, quo pueri vetabantur infra duodecimum aetatis annum ad communionem accedere. Nec absimili ratione se gessit haec sacra Congregatio de disciplina sacramentorum in causa Argentinensi die XXV. mensis Martii anno MDCCCCX; in qua cum ageretur, admittine possent ad sacram communionem pueri vel duodecim vel quattuordecim annorum, rescripsit: »Pueros et puellas, cum ad annos discretionis seu ad usum rationis pervenerint, ad sacram mensam admittendos esse.«

Hisce omnibus mature perpensis, sacer hic Ordo de disciplina sacramentorum, in generali Congregatione habita die XV. mensis Iulii anno MDCCCCX., ut memorati abusus prorsus amoveantur et pueri vel a teneris annis Iesu Christo adhaereant, Eius vitam vivant ac tutelam inveniant contra corruptelae pericula, sequentem normam de prima puerorum communione ubique servandam statuere opportunum censuit.

I. Aetas discretionis tum ad confessionem tum ad sanctam communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto confessionis et communionis.

II. Ad primam confessionem et ad primam communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae cognitio. Puer tamen postea debebit integrum

catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere.

III. Cognitio religionis quae in puero requiritur, ut ipse ad primam communionem convenienter se praeparet, ea est, qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat, ut ea devotione, quam ipsius fert aetas, ad sanctissimam Eucharistiam accedat.

IV. Obligatio praecepti confessionis et communionis, quae puerum gravat, in eos praecipue recidit, qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum. Ad patrem vero aut ad illos, qui vices eius gerunt, et ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam communionem.

V. Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere communionem generalem puerorum, ad eamque non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consensu, ut supra dictum est, iam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemittantur.

VI. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est, ut post primam communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Iesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione, quam talis fert aetas. Meminerint praeterea quibus ea cura est, gravissimum quo tenentur officium providendi, ut publicis catechesis praeceptionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorundem religiosae institutioni alio modo suppleant.

VII. Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros aut numquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis iuris, curabunt, ut penitus de medio tollatur.

VIII. Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et extremam Unctionem pueris post usum

rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant.

Haec a PP. Cardinalibus sacrae huius Congregationis sancita sanctissimus D. N. Pius Papa X. in audientia diei VII. currentis mensis omnia adprobavit iussitque praesens edi ac promulgari decretum. Singulis autem Ordinariis mandavit, ut idem decretum non modo parochis et Clero significarent sed etiam populo, cui voluit legi quotannis tempore praecepti paschalis vernacula lingua. Ipsi autem Ordinarii debebunt unoquoque exacto quinquennio, una cum ceteris dioecesis negotiis etiam de huius observantia decreti ad sanctam Sedem referre.

Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae ex Aedibus eiusdem sacrae Congregationis, die VIII. mensis Augusti anno MDCCCCX.

D. Card. Ferrata,
Praefectus.

Ph. Giustini,
a secretis.

Odlok o starosti prvoobhajancev.

Kako posebno ljubezen do malih je gojil Kristus na zemlji, izpričuje jasno sveti evangelj. Med njimi bivati mu je bilo veselje; njim je po navadi roke polagal, pa jih je objemal in blagoslavljal. Vznevoljen pokara učence, ki so jih odganjali, z resnimi besedami: *Pustite otročičem k meni priti in nikar jim ne branite, zakaj takih je božje kraljestvo!* (Mark. 10, 13. 14. 16). Kako visoko pa je cenil njihovo nedolžnost in čistost srca, je dovolj pokazal, ko je otroka k sebi poklical in rekel učencem: *Resnično vam povem, ako niste kakor otroci, ne pojdete v nebeško kraljestvo. Kdorkoli se torej poniža kakor ta otrok, ta je večji v nebeškem kraljestvu. In kdor sprejme katerega takega otroka v mojem imenu, mene sprejme.* (Mat. 18, 3. 4. 5).

Spominjajoč se tega, si je katoliška Cerkev od svojega začetka sem prizadevala, otročiče voditi h Kristusu s svetim obhajilom, ki ga je navadno delila tudi dojenč-

kom. To se je vršilo, kakor je bilo skoraj v vseh obrednih knjigah tja do 13. stoletja zapovedano, pri krstu in ponekod se je ta običaj ohranil še dalje; pri Grkih in Orientalcih je še v navadi. Da pa se prepreči nevarnost, da bi kje zlasti dojenčki izbruhali posvečeni kruh, postalo je v začetku običajno, takim deliti sveto obhajilo samo pod podobo vina.

Pa ne le pri svetem krstu, marveč tudi pozneje so se otročiči večkrat nasičevali z božjo hrano. Po nekaterih cerkvah je bila namreč navada, otročičem deliti sveto obhajilo neposredno za duhovščino, po drugih so jim po obhajilu odraslih dajali preostale svete kosce. Ta običaj se je kesneje v latinski cerkvi odpravil, in začeli so otroke pripuščati k mizi Gospodovi še le tedaj, ko so prišli nekoliko k pameti ter si pridobili nekaj znanja o presvetem Zakramentu. Ta novi, od nekaterih krajevnih škofijskih zborov že sprejeti red je bil od IV. splošnega cerkvenega zbora v Lateranu leta 1215 slovesno potrjen in podprt s tem, da se je proglasil sloveči 21. kánon, v katerem se vernikom, brž ko so dospeli do starosti spoznanja, zaukazuje zakramentalna izpoved in sveto obhajilo s temi-le besedami: »Vsi verniki obojega spola naj se, ko so dosegli leta spoznanja, posamezni vsaj enkrat v letu prav izpovejo vseh svojih grehov postavljenemu izpovedniku, pa naj si prizadevajo naloženo pokoro po svojih močeh opraviti in naj vsaj o velikonočnem času zakrament presvetega rešnjega Telesa pobožno prejmejo, razen če se jim po nasvetu njihovega izpovednika iz kakšnega pametnega vzroka zdi potrebno, da se ga prejeti začasno zdržijo.«

Tridentinski zbor[1] pa, ne da bi kje zavrgel staro navado, otročičem deliti sveto obhajilo, še preden so prišli k pameti, je Lateranski odlok vnovič potrdil, tiste pa, ki bi bili nasprotnega mnenja, izobčil z besedami: »Ako kdo taji, da je vsak posamezen vernik obojega spola, kadar doseže leta spoznanja, vsled zapovedi ma-

[1] Sess. XXI. de communione cap. 4.

tere svete Cerkve dolžen enkrat v letu, vsaj o velikonočnem času prejeti sveto rešnje Telo, bodi izobčen.«[1]

Vsled tega še vedno veljavnega odloka Lateranskega so torej verniki, kakor hitro pridejo do let spoznanja, dolžni vsaj enkrat v letu prejeti zakrament svete pokore in presvetega rešnjega Telesa.

Pri določanju starosti, ki je za pametno spoznavanje potrebna, pa se je v teku časa vrinilo nemalo zmot in obžalovanja vrednih razvad. Nekateri so mislili, da se naj določi druga starost za prejem zakramenta svete pokore in druga za prejem presvetega rešnjega Telesa. Za pokoro so sicer smatrali tisto starost za pravo, v kateri more otrok razločevati dobro od hudega in torej grešiti; za sveto obhajilo pa so terjali poznejša leta, v katerih je omogočeno temeljitejše poznanje verskih resnic in bolj dozorelo pripravljanje na duši. In tako so vsled krajevnih navad in človeških naziranj določili po nekod starost od 10 do 12, po drugod pa 14 in še več let, ter so izključili dečke in deklice ali celo mladeniče in mladenke pred to zaukazano starostjo od svetega obhajila.

Ta navada, ki je na videz varovala čast najsvetejšemu Zakramentu, pri tem pa vernike odvračala od njega, je postala vzrok mnogoterega zla. Zgodilo se je namreč, da nedolžnost otroških let, ločena od zedinjenja s Kristusom, ni dobivala nobene hrane notranjega življenja, čigar posledica je bila tudi ta, da je mladina, oplenjena najkrepkejšega varstva, obkrožena od toliko zalezovanj, izgubila čistost srca ter zašla v pregrehe, še preden je okusila svete skrivnosti. Čeprav se pa vrši pred prvim svetim obhajilom skrbnejši poduk in se opravi vestna izpoved, kar se sicer ne zgodi povsod, se mora vendar zmeraj obžalovati izguba prve nedolžnosti, ki bi se morebiti bila dala zabraniti s prejemanjem presvetega rešnjega Telesa v bolj nežnih letih.

Nič manj ne obsojamo šege, ki je zavladala po mnogih krajih, da se otrokom, ki še niso bili pri sve-

[1] Sess. XIII. de Eucharistia cap. 8. can. 9.

tem obhajilu, zabranjuje zakramentalna izpoved ali vsaj odrekuje odveza. Tako se zgodi, da, zapleteni v zanke morebiti celo smrtnih grehov, dolgo živijo v veliki dušni nevarnosti.

Najhuje v tem oziru pa je, da po nekaterih krajih otrok, ki še niso bili pri prvem svetem obhajilu, niti v bližnji smrtni nevarnosti ne pustijo okrepčati s sveto popotnico, in da so ti, ako umrjejo, pokopani po obredu za nedorasle otroke ter ne dobijo pomoči priprošenj svete Cerkve.

Takšno škodo narejajo tisti, ki bolj, kakor je prav, silijo na izredno pripravo na prvo sveto obhajilo, ker morebiti premalo premislijo, da je ta način opreznosti izšel iz zmot janzenistov, ki trdijo, da je presveto rešnje Telo plačilo vernikom, ne pa zdravilo za človeško slabost. Ravno nasprotno pa je trdil Tridentinski zbor z naukom, da je ono (sveto rešnje Telo) »protisredstvo, ki nas očiščuje vsakdanjih pregreškov ter obvaruje smrtnih grehov«[1]; ta nauk je vnovič še bolj izrecno zatrdila sveta kongregacija Tridentinskega zbora z odlokom z dne 20. decembra 1905, s katerim je odprla pristop k vsakdanjemu svetemu obhajilu vsem, naj si bodo v višji ali bolj nežni starosti; naložena sta jim samo dva pogoja: stan posvečujoče milosti božje in pa čist namen.

V resnici tudi ni videti pravičnega razloga, zakaj naj bi se, ko so se vendar od pamtiveka sem razdeljevali delci posvečenih podob celo dojenčkom, zdaj terjala izredna priprava od otročičev, ki so v najbolj srečnem stanju prve čistosti in nedolžnosti ter prav posebno potrebujejo te skrivnostne hrane zavoljo tolikih zalezovanj in nevarnosti našega časa.

Razvade, ki smo jih grajali, se morajo odtod izvajati, ker tisti, ki so zaznamenovali drugo starost spoznanja za izpoved in drugo za obhajilo, niso ne razumno ne prav določili, katera da je. Saj vendar Lateranski zbor, ko obenem nalaga dolžnost za izpoved in obha-

[1] Sess. XIII. de Eucharistia cap. 2.

jilo, terja za oba zakramenta eno in isto starost. Kakor torej z ozirom na izpoved velja za starost spoznanja tista, v kateri se more razločevati pošteno od nepoštenega, to je, ko se pride nekoliko k pameti, tako se ima za obhajilo veljavna imenovati tista, v kateri se more razločevati evharistični kruh od navadnega; to so pa zopet leta, v katerih pride otrok k pameti.

Nič drugače niso tega umevali najznamenitejši razlagavci in sodobniki Lateranskega zbora. Iz cerkvene zgodovine je namreč dognano, da je več škofijskih zborov in odredb že od 12. stoletja sem, kmalu po Lateranskem zboru, pripuščalo sedemletne otroke k prvemu obhajilu. Razen tega imamo pričo najvišje veljave, učenika Akvinskega, čigar besede se glasijo: »Brž ko otroci začnejo nekoliko rabiti pamet tako, da morejo zapopasti češčenje tega Zakramenta (evharistije), tedaj se jim more podeliti ta Zakrament.«[1] Te besede razlaga Ledesma tako-le: »V sporazumu z vsemi rečem, naj se sveto rešnje Telo podeli vsem, ki so pri pameti, kakor hitro rabijo to pamet, bodisi da otrok še nejasno spoznava, kar dela.«[2] Vasquez pa tolmači isto mesto s temi-le besedami: »Ako pride otrok enkrat do te pameti, ga koj že božje pravo veže v toliki meri, da ga Cerkev ne more popolnoma oprostiti.«[3] Prav isto uči sv. Antonin, ko piše: »Brž ko je otrok zmožen zvijače, torej v stanu smrtno grešiti, ga veže zapoved izpovedi in potemtakem tudi zapoved obhajila.«[4] Tudi Tridentinski zbor nas sili k temu sklepu. Ko namreč v XXI. seji v 4. poglavju pripomni, da »otrokom, ki še niso prišli k pameti, v nobenem oziru ni potrebno prejemanje najsvetejšega Zakramenta«, navaja za to edini razlog, češ, ker ne morejo grešiti. »Ne morejo namreč«, pravi, »zadobljene milosti otrok božjih izgubiti v tej dobi.« Iz tega je razvidno, da so po mnenju zbora otroci še le tedaj potrebni in dolžni prejeti sveto obhajilo, kadar so v stanu, z grehom izgubiti milost. S

[1] Summa Theol. p. III. q. 80. a. 9. ad 3. — [2] In s. Thom. p. III. q. 80. a. 9. dub. 6. — [3] In III. p. s. Thom. disp. 214. c. 4. n. 43. — [4] P. III. tit. 14. c. 2. § 5.

tem se ujemajo besede Rimskega zbora, ki se je vršil za Benedikta XIII. ter učil, da se začenja dolžnost, prejemati sveto rešnje Telo, kakor hitro dečki in deklice pridejo v leta razločevanja, t. j. do tiste dobe, v kateri so sposobni, to zakramentalno jed, ki ni nič drugega kakor pravo Telo Jezusa Kristusa, razločevati od navadnega vsakdanjega kruha ter znajo pristopiti s spodobno pobožnostjo in spoštljivostjo.«[1] Rimski katekizem pa pravi: »V kateri starosti naj se dajo otrokom svete skrivnosti, ne more nihče bolje določiti kakor oče in pa mašnik, kateremu se isti izpovejo svojih grehov. Njima namreč pristoji, da preiščeta in pri otrocih poizvesta, so li že dosegli kaj spoznanja o tem prečudežnem Zakramentu in imajo li kaj hrepenenja po njem.«[2]

Iz vsega tega posnamemo, da je potrebna starost za obhajilo tista, v kateri otrok zna razločevati evharistični kruh od navadnega, telesnega kruha tako, da more pobožno pristopiti k altarju. Zatorej se ne terja popolno znanje verskih naukov, ker zadostujejo nekatere temeljne resnice, t. j. *nekolikšno spoznanje;* tudi ne popolna raba uma, ker zadostuje nekaka začetna raba, t. j. *nekolikšna raba uma.* Zategadelj se mora povsem obsojati, ako se sveto obhajilo predaleč odlaga in se zanj določa prepozna, že bolj zrela doba, in to je tudi apostolski Sedež že večkrat zavrgel. Tako je papež Pij IX. blaženega spomina s pismom kardinala Antonellija, poslanim dne 12. marca 1866 francoskim škofom, kar najostreje obsodil navado, razvijajočo se v nekaterih škofijah, prvo obhajilo odlašati na bolj dozorela in vnaprej določena leta. Sveta kongregacija Tridentinskega zbora pa je dne 15. marca 1851 popravila poglavje Rouenske provincialne sinode, po katerem je bilo otrokom pred 12. letom prepovedano pristopiti k svetemu obhajilu. Na podobni način je ravnala ta sveta kongregacija za oskrbo zakramentov v zadevi Strassburške škofije dne 25. marca 1910; ko se je šlo za to, se li naj otroci

[1] Istruzione per quei che debbono la prima volta ammettersi alla S. Communione. Append. XXX. P. 11. — [2] P. II. de sacramento Eucharistiae n. 63.

z 12 ali 14 leti pripustijo k svetemu obhajilu, je taista odločila: »Dečki in deklice se naj pustijo k mizi Gospodovi, kadar pridejo do let razločevanja ali k pameti.« Vse to je dobro premislil ta sveti zbor za oskrbo zakramentov, in da bi se omenjene razvade popolnoma odpravile, pa da bi se otroci že od nežnih let oklepali Jezusa Kristusa, posnemali njegovo življenje in našli varstvo pred nevarnostmi izpridenja, je isti v svoji glavni seji dne 15. julija 1910 spoznal za umestno, da določi nastopna pravila zastran prvega obhajila otrok, po katerih se morajo vsi ravnati:

1. Starost razločevanja kakor za izpoved tako za sveto obhajilo je tista, v kateri začne otrok pametno misliti, t. j. okrog sedmega leta, ali črez ali pa tudi manj. Od tega časa se začenja dolžnost, zadostiti obojni postavi izpovedi in obhajila.

2. Za prvo izpoved in prvo obhajilo ni potrebno popolno in dovršeno poznanje krščanskega nauka. Vendar pa se mora otrok pozneje vsega katekizma po meri svojega uma polagoma priučiti.

3. Znanje veronauka, ki se terja od otroka za primerno pripravo k prvemu obhajilu, je toliko, da po svoji zmožnosti umeje skrivnosti svete vere, ki so k vzveličanju neobhodno potrebne, da razločuje evharistični kruh od navadnega in telesnega in da pristopi k svetemu obhajilu s tisto pobožnostjo, ki je primerna za njegovo starost.

4. Za izpolnitev zapovedi, ki nalaga otroku dolžnost, da se izpove in prejme obhajilo, so v prvi vrsti odgovorni tisti, ki morajo skrbeti za otroka, namreč starši, izpovednik, učitelji in župnik. Očeta ali njegove namestnike in izpovednika pa po rimskem katekizmu zadevlje, da pustijo otroka k prvemu svetemu obhajilu.

5. Župniki naj skrbijo, da bodo enkrat ali večkrat v letu napovedali in imeli skupno obhajilo otrok; k temu naj pripustijo ne samo prvoobhajancev, marveč tudi take, ki so, kakor zgoraj omenjeno, s privoljenjem staršev ali izpovednika že prej okusili nebeško hrano od altarja.

Za te in za one pa se naj vrši poprej skozi nekaj dni poduk in priprava.

6. Tisti, ki imajo skrb za otroke, naj z vso marljivostjo skrbijo, da isti otroci po prvem obhajilu večkrat, in če mogoče vsak dan, kakor želi Jezus Kristus in mati sveta Cerkev, pristopijo k mizi Gospodovi, in da to store s pobožnostjo, kakršna je primerna njihovi starosti. Razen tega naj se tisti, ki imajo to skrb, zavedajo svoje zelo težavne dolžnosti, gledati na to, da otroci sami nadalje obiskujejo očitne katehetiške nauke, ali, če bi to ne bilo mogoče, da jim na drug način preskrbijo verski poduk.

7. Navada, da se otroci, ko so prišli k pameti, ne puščajo k izpovedi, ali da se jim nikdar ne da odveza, se mora popolnoma zavreči. Zategadelj naj škofje tudi z uporabo pravnih pripomočkov skrbijo, da se popolnoma odpravi.

8. Vse graje vredna je navada, da se otrokom, ko so že pri pameti, ne delita sveta popotnica in sveto poslednje olje, in da se pokapajo po obredu za nedorasle otroke. Proti takim, ki ne bi opustili tega običaja, naj škofje ostro postopajo.

Vse to, kar so oo. kardinali te svete kongregacije sklenili, so naš sveti oče papež Pij X. pri sprejemu dne 7. t. m. potrdili in naročili, da se naj izda ter priobči ta odlok. Posameznim škofom pa so veleli, da naj ravno ta odlok dajo na znanje ne samo župnikom in duhovščini, ampak tudi ljudstvu, ki naj se mu, tako želijo, vsako leto o priliki velikonočne zapovedi prebere v materinem jeziku. Škofje sami pa imajo po preteklem vsakem petem letu obenem z drugimi zadevami škofije vred tudi o izpolnjevanju tega odloka poročati sveti stolici.

Nasprotne odredbe ali navade, kakršnekoli, so neveljavne.

Dano v Rimu, iz Doma iste svete kongregacije, dne 8. avgusta 1910.

D. kard. Ferrata,
prefekt.

Ph. Giustini,
tajnik.

Verordnung über das Alter der Erstkommunikanten.

Mit welch besonderer Liebe Christus auf Erden den Kleinen zugetan war, bezeugt klar das Evangelium. Mit ihnen zu verkehren war es ja seine Wonne; ihnen pflegte er die Hände aufzulegen, sie in seine Arme zu schliessen und zu segnen. Unwillig darüber, dass sie von den Jüngern zurückgewiesen wurden, tadelte er diese mit den ernsten Worten: *Lasset die Kleinen zu mir kommen und wehret ihnen nicht; denn für solche ist das Reich Gottes.* (Marc. 10, 13. 14. 16). Wie sehr er aber deren Unschuld und Seelenreinheit schätzte, bezeugte er genugsam, da er ein Kind herbeirief und zu seinen Jüngern sprach: *Wahrlich, ich sage euch, wenn ihr nicht werdet wie die Kinder, so werdet ihr nicht in das Himmelreich eingehen. Wer immer sich also demütigt wie dieses Kind, der ist der Grösste im Himmelreiche. Und wer ein solches Kind in meinem Namen aufnimmt, der nimmt mich auf.* (Matth. 18, 3. 4. 5).

Eingedenk dessen war die katholische Kirche von ihren ersten Zeiten an bestrebt, die Kleinen durch die heilige Kommunion zu Christus zu führen, indem sie dieselbe schon den Säuglingen zu reichen pflegte. Das geschah nach der Vorschrift fast aller alten Ritualbücher bis zum 13. Jahrhundert bei der Taufe, und mancherorts hat sich diese Gewohnheit noch länger erhalten; bei den Griechen und Orientalen ist sie heute noch in Übung. Um jedoch der Gefahr auszuweichen, es könnten besonders die Säuglinge das geheiligte Brot herauswerfen, bildete sich von Anfang an die Sitte, diesen die heilige Eucharistie nur unter der Gestalt des Weines zu spenden.

Und nicht bloss bei der heiligen Taufe, sondern auch späterhin wurden die Kinder öfter mit dem göttlichen Mahle erquickt. In manchen Kirchen herrschte nämlich die Sitte, den Kleinen die heilige Kommunion unmittelbar nach dem Klerus zu spenden, in anderen

reichte man ihnen nach der Kommunion der Erwachsenen die übriggebliebenen Partikeln.

Dieser Brauch kam später in der lateinischen Kirche ab und man begann die Kinder nicht früher zum Tische des Herrn zuzulassen, als bis sie einigermassen zum Gebrauche der Vernunft gekommen waren und einige Kenntnis von dem hochheiligen Sakramente erlangt hatten. Diese neue, von einigen Partikularsynoden bereits angenommene Disziplin wurde durch die feierliche Sanktion des IV. allgemeinen Laterankonzils im Jahre 1215 bekräftigt, indem der berühmte Kanon XXI verkündet wurde, durch welchen den Gläubigen, sobald sie das Alter der Vernunft erreicht haben, die sakramentale Beichte und der Empfang der heiligen Kommunion mit folgenden Worten anbefohlen wird: »Alle Gläubigen beiderlei Geschlechtes sollen, nachdem sie die Unterscheidungsjahre erreicht haben, einzeln alle ihre Sünden ihrem verordneten Priester wenigstens einmal im Jahre recht beichten und die ihnen auferlegte Busse nach Kräften zu verrichten trachten und wenigstens zur österlichen Zeit das allerheiligste Sakrament des Altars andächtig empfangen, es sei denn, dass sie über Anraten ihres verordneten Priesters aus irgend einem vernünftigen Grunde zur Zeit sich vom Empfange desselben enthalten zu sollen glauben.«

Das Konzil von Trient[1] hat, ohne jedoch die alte Disziplin, nach welcher die heilige Kommunion den Kindern schon vor dem Vernunftgebrauche verabreicht wurde, irgendwie zu verurteilen, das Lateranensische Dekret neu eingeschärft und jene, welche das Gegenteil behaupten würden, mit dem Banne belegt, indem es bestimmte: »Wenn jemand leugnet, dass jeder einzelne Christgläubige beiderlei Geschlechtes, sobald er zu den Unterscheidungsjahren gelangt ist, verpflichtet ist, gemäss dem Gebote der heiligen Mutter Kirche alle Jahre wenigstens zur österlichen Zeit zu kommunizieren, so sei er im Banne.«[2]

[1] Sess. XXI. de communione cap. 4. — [2] Sess. XIII. de Eucharistia cap. 8. can. 9.

Nach diesem, noch immer geltenden Dekrete des Laterankonzils sind also die Christgläubigen, sobald sie zu den Unterscheidungsjahren gekommen sind, verpflichtet, wenigstens einmal im Jahre die heiligen Sakramente der Busse und des Altars zu empfangen.

Bei Feststellung dieses für den Vernunftgebrauch und die Unterscheidungsfähigkeit notwendigen Alters haben sich aber im Laufe der Zeit nicht wenige Irrtümer und beklagenswerte Missbräuche eingeschlichen. Es fanden sich nämlich solche, welche ein anderes Unterscheidungsalter für den Empfang des Bussakramentes und ein anderes für jenen des Altarssakramentes festsetzen zu sollen glaubten. Für die Busse hielten sie zwar jenes Unterscheidungsalter für das richtige, in welchem man Recht von Unrecht zu unterscheiden und daher zu sündigen imstande sei; für die heilige Kommunion aber sei ein vorgerückteres Alter erforderlich, in welchem eine gründlichere Kenntnis der Glaubenswahrheiten und eine reifere Vorbereitung des Geistes möglich sei. So kam es, dass je nach den verschiedenen Ortsgebräuchen und menschlichen Anschauungen für die Erstkommunion hier ein Alter von 10 bis 12, dort ein solches von 14 und noch mehr Jahren festgesetzt wurde, und Knaben oder sogar Jünglinge vor Erreichung dieses vorgeschriebenen Alters von dem Empfange der heiligen Kommunion ausgeschlossen blieben.

Eine derartige Gepflogenheit, durch welche unter dem Vorwande, die Würde des hochheiligen Sakramentes zu wahren, die Gläubigen von dessen Empfange ferngehalten wurden, ist zur Ursache vieler Übel geworden. So geschah es nämlich, dass die Unschuld des Kindesalters, losgeschält von der Vereinigung mit Christus, durch keinen inneren Lebenssaft genährt wurde; das hatte auch zur Folge, dass die Jugend, des kräftigsten Schutzmittels beraubt, von so vielen Nachstellungen umgarnt, ihre Herzensreinheit verlor und früher in Laster verfiel, bevor sie noch die heiligen Geheimnisse verkostet hatte. Wenn aber auch der ersten heiligen Kommunion eine

fleissigere Unterweisung und eine gewissenhaftere Beichte vorausgeht, was übrigens nicht überall geschieht, so ist doch immer der Verlust der ersten Unschuld zu beklagen, welcher durch den Empfang der Eucharistie in den zarteren Jahren hätte vielleicht vermieden werden können.

Nicht minder zu verwerfen ist die an mehreren Orten herrschende Sitte, solche Kinder, die noch nicht zur heiligen Kommunion zugelassen worden sind, auch von der sakramentalen Beichte fernzuhalten oder ihnen doch die Lossprechung zu verweigern. So geschieht es, dass diese, vielleicht in die Schlingen sogar schwerer Sünden verstrickt, lange Zeit in grosser Seelengefahr schweben.

Das Schlimmste in dieser Beziehung aber ist, dass an manchen Orten Kinder, die noch nicht zur ersten heiligen Kommunion zugelassen sind, nicht einmal bei nahender Todesgefahr mit der heiligen Wegzehrung versehen werden und, wenn sie sterben, nach dem Ritus der Kinderbegräbnisse beerdigt, der kirchlichen Fürbitte verlustig gehen.

Einen derartigen Schaden richten jene an, welche auf ausserordentliche Vorbereitungen zur ersten heiligen Kommunion mehr als billig dringen, indem sie vielleicht zu wenig beachten, dass diese Art der Vorsichtsmassregel von den Jansenisten ausgegangen ist, die da behaupten, die heilige Eucharistie sei eine Belohnung, nicht aber ein Heilmittel menschlicher Schwachheit. Das gerade Gegenteil davon behauptete aber das Konzil von Trient im Lehrsatze, sie sei »das Gegenmittel, wodurch wir von den täglichen Fehlern befreit und vor Todsünden bewahrt werden« ;[1] diese Lehre ist neulich von der heiligen Konzilskongregation noch ausdrücklicher eingeschärft worden durch das Dekret vom 20. Dezember 1905, wonach der Zutritt zur täglichen heiligen Kommunion allen, sowohl im vogerückteren als auch im zarteren Alter, offensteht, wenn nur die zwei Bedin-

[1] Sess. XIII. de Eucharistia cap. 2.

gungen — der Stand der Gnade und der rechte Willensvorsatz — vorhanden sind.

In der Tat scheint auch kein gerechter Grund dafür zu sein, warum man, da doch von altersher Teilchen der heiligen Gestalten selbst den Säuglingen verabreicht wurden, jetzt von den Kleinen, die im überaus glücklichen Zustande der ersten Seelenreinheit und Unschuld sich befinden und gar sehr jener geheimnisvollen Speise wegen der sovielen Nachstellungen und Gefahren unserer Zeit bedürfen, eine ausserordentliche Vorbereitung verlangen sollte.

Die von uns gerügten Missbräuche sind davon herzuleiten, dass jene, welche ein anderes Unterscheidungsalter für die Beichte und ein anderes für die Kommunion bezeichneten, dasselbe weder klug noch richtig bestimmt haben. Verlangt ja doch das Konzil von Lateran, indem es die Verpflichtung zur Beichte und Kommunion zugleich auferlegt, für beide Sakramente ein und dasselbe Alter. Wie daher hinsichtlich der Beichte als Unterscheidungsalter dasjenige gilt, in welchem man Recht und Unrecht zu unterscheiden imstande ist, d. h. zu einigem Vernunftgebrauch gelangt, so ist hinsichtlich der Kommunion jenes als das geltende zu bezeichnen, in welchem man das eucharistische Brot vom gewöhnlichen zu unterscheiden vermag; das aber ist wieder jenes Alter, in welchem das Kind den Gebrauch der Vernunft erlangt hat.

Nicht anders fassten die hervorragendsten Ausleger und Zeitgenossen des Laterankonzils die Sache auf. Aus der Kirchengeschichte ist nämlich erwiesen, dass mehrere Synoden und bischöfliche Verordnungen schon vom 12. Jahrhundert an, bald nach dem Konzil von Lateran, Kinder mit sieben Jahren zur Erstkommunion zugelassen haben. Überdies liegt ein Zeugnis von höchster Autorität vor, nämlich jenes des Kirchenlehrers von Aquin, in dem Folgendes zu lesen ist: »Sobald die Kinder *irgend einen* Gebrauch der Vernunft zu haben *beginnen*, so dass sie die Ehrerbietung gegen dieses Sakrament (die Eucha-

ristie) erfassen können, kann ihnen dieses Sakrament gespendet werden.«[1] Diese Stelle erklärt Ledesma wie folgt: »In Übereinstimmung aller sage ich, dass allen, die den Gebrauch der Vernunft haben, die Eucharistie zu spenden sei, sobald sie diesen Vernunftgebrauch erlangt haben, sei es auch, dass das Kind noch unklar erkennt, was es tut.«[2] Und Vasquez erläutert die gleiche Stelle mit folgenden Worten: »Wenn das Kind einmal zu diesem Vernunftgebrauch gelangt ist, so ist es sofort durch das göttliche Gesetz derart verpflichtet, dass es die Kirche nicht gänzlich davon freisprechen kann.«[3] Dasselbe lehrt der hl. Antoninus, indem er schreibt: »Sobald das Kind einer hinterlistigen Handlung fähig, daher eine Todsünde zu begehen imstande ist, hat es die Verpflichtung, das Gebot der Beichte, folglich auch jenes der Kommunion zu erfüllen.«[4] Auch das Konzil von Trient drängt zu der nämlichen Schlussfolgerung. Indem es nämlich im 4. Kapitel der XXI. Sitzung bemerkt, dass »die Kinder, denen es am Vernunftgebrauche mangelt, durch keine Notwendigkeit zum Empfange der sakramentalen Eucharistie verpflichtet seien«, führt es als einzigen Grund dafür an, dass sie nicht sündigen können. »Sie können ja,« sagt es, »die erlangte Gnade der Kinder Gottes in jenem Alter nicht verlieren.« Daraus geht hervor, dass das Konzil der Ansicht war, für die Kinder bestehe dann die Notwendigkeit und Verpflichtung zu kommunizieren, sobald sie die Gnade durch Sündigen zu verlieren imstande sind. Damit stimmen überein die Worte des Römischen Konzils, welches unter Benedikt XIII. abgehalten wurde und lehrt, die Verpflichtung zum Empfange der Eucharistie beginne, »sobald die Knaben und Mädchen in das Unterscheidungsjahr d. h. in jenes Alter getreten sind, in welchem sie fähig sind, diese sakramentale Speise, die keine andere ist als der wahre Leib Jesu Christi, von dem gewöhnlichen, tägli-

[1] Summa Theol. p. III. q. 80. a. 9 ad 3. — [2] In s. Thom. p. III. q. 80. a. 9. dub. 6. — [3] In III. p. s. Thom. disp. 214. c. 4. n. 43. — [4] P. III. tit. 14. c. 2. § 5.

chen Brote zu unterscheiden und mit der gebührenden Andacht und Ehrerbietung hinzutreten wissen.«[1] Der römische Katechismus aber sagt: »In welchem Alter den Kindern die heiligen Geheimnisse zu reichen sind, kann niemand besser bestimmen als der Vater und der Priester, dem sie ihre Sünden bekennen. Ihre Sache ist nämlich, zu erforschen und bei den Kindern zu ermitteln, ob sie irgend einen Begriff von diesem wunderbaren Sakramente erlangt haben und ein Sehnen nach demselben empfinden.«[2]

Aus allem dem ergibt sich, das Unterscheidungsalter für den Empfang der Kommunion sei dasjenige, in welchem das Kind das eucharistische Brot von dem gewöhnlichen, leiblichen Brot zu unterscheiden weiss, so dass es mit Andacht zum Altare hintreten kann. Es wird daher nicht eine vollständige Kenntnis der Glaubenswahrheiten erfordert, da doch einige blosse Anfangsgründe d. i. *irgend ein Verständnis* genügt; auch nicht der volle Gebrauch der Vernunft, da ein gewisser anfänglicher Gebrauch d. h. *irgend ein Gebrauch der Vernunft* hinreicht. Daher ist es durchaus zu missbilligen, die heilige Kommunion zu weit hinauszuschieben und zum Empfang derselben ein reiferes Alter zu bestimmen, was auch der Apostolische Stuhl schon oft verworfen hat. So hat Papst Pius IX. seligen Andenkens durch ein Schreiben des Kardinals Antonelli an die Bischöfe Frankreichs vom 12. März 1866 die in einigen Diözesen aufkommende Gepflogenheit, die Erstkommunion auf ein reiferes, festgesetztes Alter hinauszuschieben, aufs schärfste verurteilt. Die heilige Konzilskongregation hat ferner am 15. März 1851 den Abschnitt des Provinzialkonzils von Rouen, worin den Kindern der Empfang der heiligen Sakramente vor dem 12. Lebensjahre verboten wurde, abgeändert. In ähnlicher Weise ging die heilige Sakramentenkongregation in einer Angelegenheit der Diözese Strassburg am 25. März 1910 vor; als es sich

[1] Instruzione per quei che debbono la prima volta ammetersi alla S. Communione. Append. XXX. P. 11. — [2] P. II. de sacramento Eucharistiae. n. 63.

darum handelte, ob Kinder mit 12 oder mit 14 Jahren zur heiligen Kommunion zuzulassen seien, entschied dieselbe: »Knaben und Mädchen seien zum Tische des Herrn zuzulassen, sobald sie zu den Unterscheidungsjahren oder zum Vernunftgebrauche gelangt sind.«

Nach reiflicher Überlegung alles dessen und damit die erwähnten Missbräuche gänzlich beseitigt werden und die Kinder schon vom zarten Alter an Jesu Christo anhangen, sein Leben nachahmen und Schutz finden gegen die Gefahren der Verderbnis, hat diese heilige Sakramentenkongregation in der Generalversammlung vom 15. Juli 1910 für zeitgemäss erachtet, nachstehende überall einzuhaltende Norm hinsichtlich der Erstkommunion der Kinder aufzustellen:

1. Das Unterscheidungsalter sowohl für die Beichte als für die heilige Kommunion ist jenes, in welchem das Kind vernünftig zu denken beginnt, das ist um das siebente Lebensjahr herum, darüber hinaus oder auch früher. Von dieser Zeit an beginnt die Verpflichtung, dem doppelten Gebote der Beichte und Kommunion nachzukommen.

2. Zur ersten Beichte und zur ersten Kommunion ist eine vollständige und vollkommene Kenntnis der christlichen Lehre nicht erforderlich. Doch muss das Kind nachher den ganzen Katechismus nach Massgabe seiner Fassungskraft stufenweise erlernen.

3. Die für das Kind zur gehörigen Selbstvorbereitung zur Erstkommunion erforderliche Religionskenntnis besteht darin, dass es die zum Heile notwendigen Glaubensgeheimnisse seinem Fassungsvermögen entsprechend verstehe und das eucharistische Brot vom täglichen und leiblichen Brote unterscheide und mit jener Andacht, die sein Alter mit sich bringt, zum Tische des Herrn trete.

4. Die auf dem Kinde lastende Verpflichtung zur Beichte und Kommunion trifft vorzüglich jene, denen die Fürsorge für dasselbe obliegt, nämlich die Eltern, den Beichtvater, die Lehrer und den Pfarrer. Das Kind zur ersten heiligen Kommunion zuzulassen, ist nach

dem römischen Katechismus jedoch Sache des Vaters oder seiner Stellvertreter und des Beichtvaters.

5. Die Pfarrer mögen dafür Sorge tragen, dass sie mehreremale im Jahre eine Generalkommunion der Kinder ansagen und abhalten, zu welcher nicht nur die Erstkommunikanten, sondern auch solche zuzulassen sind, welche, wie oben bemerkt wurde, mit Einwilligung der Eltern oder des Beichtvaters schon früher die himmlische Speise am Altare verkostet haben. Für die einen wie für die anderen soll eine mehrtägige Unterweisung und Vorbereitung vorausgeschickt werden.

6. Jene, denen die Obsorge für die Kinder anvertraut ist, sollen mit allem Eifer darauf bedacht sein, dass die Kinder nach der ersten heiligen Kommunion öfter und, dem Wunsche Christi Jesu und der heiligen Mutter Kirche gemäss, womöglich auch täglich zum Tische des Herrn hinzutreten und dass sie dies mit der ihrem Alter entsprechenden Andacht tun. Überdies mögen jene, denen die Obhut über die Kinder zukommt, ihrer höchst schwierigen Pflicht eingedenk sein, dafür zu sorgen, dass die Kinder selbst fernerhin öffentlichen katechetischen Vorträgen beiwohnen, oder, wenn dies nicht möglich sein sollte, in anderer Weise für deren religiösen Unterricht Sorge zu tragen.

7. Die Gepflogenheit, die Kinder, nachdem sie den Gebrauch der Vernunft erlangt haben, nicht zur Beichte zuzulassen oder dieselben niemals zu absolvieren, ist durchaus zu verwerfen. Darum werden die Bischöfe, selbst unter Anwendung der rechtlichen Mittel, dafür Sorge tragen, dass sie vollständig beseitigt werde.

8. Durchaus verwerflich ist der Missbrauch, den Kindern nach erreichtem Vernunftgebrauch die heilige Wegzehrung und die letzte Ölung vorzuenthalten und dieselben nach dem Ritus für Kinderbegräbnisse zu beerdigen. Gegen diejenigen, welche von dieser Gepflogenheit nicht abstehen wollten, sollen die Ordinarien strenge vorgehen.

Diese von den Kardinälen dieser heiligen Kongregation gefassten Entscheidungen hat unser Heiliger Vater Papst Pius X. in der Audienz am 7. dieses Monates alle bestätigt und angeordnet, gegenwärtiges Dekret herauszugeben und zu veröffentlichen. Den einzelnen Ordinarien aber gab er den Auftrag, dieses Dekret nicht nur den Pfarrern und der Geistlichkeit bekannt zu geben, sondern er wollte, dass es auch dem Volke *alljährlich bei Gelegenheit des österlichen Gebotes* in der Muttersprache vorgelesen werde. Die Ordinarien selbst aber werden nach Ablauf von je fünf Jahren zugleich mit den übrigen Angelegenheiten der Diözese auch über die Beobachtung dieses Dekretes dem heiligen Stuhle Bericht zu erstatten haben.

Irgendwelche entgegenstehende Verordnungen oder Gebräuche haben keine Geltung.

Gegeben zu Rom aus dem Wohnhause derselben heiligen Kongregation, am 8. August 1910.

D. Kardinal Ferrata, Präfekt. **Ph. Giustini,** Sekretär.

In Synodo anno Domini 1896 celebrata, in qua actum est de cultu sanctissimi Eucharistiae sacramenti, monuimus iam de prima puerorum communione et succincte proposuimus praeparationis rationem ac modum[1]. In congressu dioecesano, quem anno Domini 1903 coadunavimus, specialem evulgavimus Constitutionem, in qua fuse exposuimus, quanti momenti sit, ut pueri ad sacram synaxim primo admittendi bene praeparentur, de aetate neocommunicantium historice disseruimus atque pro Nostra dioecesi normam statuimus, rationem praeparationis tum remotae tum proximae dedimus nec non sollemnitatem die primae communionis instituendam descripsimus[2]. Publicato decreto »Quam singulari« non nisi pauca quaedam ex eis, quae in praelaudata Synodo disposita sunt, paululum erunt immutanda.

[1] Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pag. 280. — [2] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pagg. 460—495.

Concilium Lateranense IV. iussit omnes utriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis pervenerunt, confiteri peccata saltem semel in anno et in Pascha suscipere sanctissimum Eucharistiae sacramentum,[1] quod praeceptum Concilium Tridentinum instauravit. Dubium tamen adhuc exsurgere poterat, quanam aetate pueri ad eam discretionem perveniant, quae a Conciliis postulatur. Praxis in diversis regionibus diversa invaluit nec viri docti, theologiam moralem tractantes, in aetate concrete determinanda inter se conveniebant.[2] Dein etiam alia ad faciendam confessionem exquiri coeperat aetas, alia eaque maior pro libandis sacris mysteriis. Quibus omnibus occurrit sapientissimum decretum haec disponendo: »Unam tamen eandemque aetatem ad utrumque sacramentum requirit Lateranense Concilium, quum coniunctum confessionis et communionis onus imponit. Igitur, quemadmodum ad confessionem aetas discretionis ea censetur, in qua honestum ab inhonesto distingui potest, nempe qua ad usum aliquem rationis pervenitur; sic ad communionem ea esse dicenda est, qua eucharisticus panis queat a communi dignosci; quae rursus eadem est aetas, in qua puer usum rationis est assequutus«.

Quando ergo puer rationis usum aliquem est adeptus, ut bonum distinguat a moraliter malo, et consequenter peccare potest, fit subditus legi ac proinde saltem tempore paschali ad Dominicam debet duci mensam. Ea nempe aetate, qua supernaturalis gratiae vita periculis incipit exponi, medium illud adhibendum est, quo vita roboratur atque augetur iuxta Domini verba: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* (Ioan. 6, 58).

Edoceatis ergo, venerabiles mysteriorum Dei dispensatores, fideles de hac gravi obligatione, moneatis imprimis parentes, ne non modo opponant difficultates, sed ut vel ipsi laeto corde succrescentem

[1] Historiam praecepti vide apud A. Vilien, Histoire des commandements de l'Eglise. 2. éd. Paris, 1909. Pagg. 181—213. — [2] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pagg. 463—466.

sobolem ducant ad Salvatorem, qui praebet panem confortantem cor et miscet vinum germinans virgines! Edoceatis fideles, non ex studio novitatum, prout Ecclesiae adversarii clamitant, sed ex vera intelligentia eorum, quae Christus mandavit, tum decretum Lateranense tum explicationem hanc, quam Ecclesia auctoritate a Christo fundatore tradita utens proposuit, emanasse! Praeceptum nempe, quod inter ecclesiastica quartum enumeramus, quoad substantiam divinum est, determinatio sola, quo modo adimpleri debeat, Ecclesiam habet auctricem.

Quum parentibus iuxta decretum »Quam singulari« primario iudicium de aetate discretionis conveniat, rite et sedulo edocendi sunt, ut obligationi gravissimae satisfacere queant neve pro prima communione conditiones exigant, quas non modo non statuit, sed magis respuit Ecclesia Christi. Poterit autem haec instructio dari vel publice, in Ecclesia explicando laudati decreti sensum, sapientiam, utilitatem, vel privatim, quum expediat et valde sit commendandum, ut catecheta puerorum ad primam communionem admittendorum parentes visitet vel ad se invitet eisque declaret, quanti sit aestimandum, ut pueri in tenera aetate, in primae innocentiae nitore Christi Domini sacramentum vitale sumant. Secundario obligatio diiudicandi, an puer iam ad discretionis aetatem pervenerit ac proinde praecepto suscipiendi sacramenta teneatur, incumbit confessario vel, secundum conditiones nostrarum regionum, catechetae.

Catechismus Romanus, ubi antiquum usum dandi sanctissimam Eucharistiam infantibus minus convenientem ostendit, haec habet: »Hi (infantes) enim neque sacram Eucharistiam a profano et communi pane sciunt discernere neque ad eam accipiendam pietatem animi et religionem afferre possunt.«[1] De aetate autem, qua pueris sacra mysteria danda sint, exigit, ut »huius admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint et

[1] Catechismus Romanus. P. II. de sacramento Eucharistiae n. 62.

gustum habeant.«[1] Quum dubia practica exorta sint de necessaria veritatum religiosarum scientia, decretum praesens sacrae Congregationis authentice declarat, quid requiri possit ac debeat. Praeparatio ad panem coelestem utiliter et fructuose accipiendum semper necessaria in duobus consistit, ut communicans *in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad sacram mensam accedat.*[2] Iamvero ut pueri pietatem animi et religionem concipere possint, oportet essentialia fidei catholicae dogmata — ea scilicet, quae continentur in sex illis fundamentalibus veritatibus, quas perstringit catechismus ab Episcopis Austriae approbatus — cognoscant simulque sciant sub sacramentali specie panis aliquid sublime, ipsum Salvatorem, esse praesentem. Quae si noverint, devotionem animi congruentem poterunt habere. Amplior atque profundior veritatum religionis explicatio annis primam communionem sequentibus danda erit. Elementarem illam religionis cognitionem, quae ad primam communionem exigitur, pueri in nostris regionibus acquirent secundo vel certo tertio quo scholas frequentant anno, praesertim si catechetae nullam omittent occasionem alias quoque religiosas veritates referendi ad sanctissimam Eucharistiam, in qua vere, realiter et substantialiter praesens est ipse salutis Auctor. Talis educatio, quam non immerito eucharisticam nuncupares, multum iuvabit, ut pueri vel in tenera aetate sufficientem admirabilis Sacramenti cognitionem accipiant, desiderium eliciant, gustum habeant.

Difficultates statim ab initio superandas fore Nos non latet. Tamen, venerabiles sacerdotes, non deeritis, ut praeiudiciis — nil aliud enim sunt — occurratis fortiter in re, suaviter in modo. Summi Pontificis desiderium, tenellam iuventutem vinciendi divino Salvatori, invidiam atque odium excitat antiqui adversarii Dei hostisque generis humani, qui nullum non experietur medium, ut laborem tam salutarem fructu privet. Utitur

[1] Ibid. n. 63. — [2] Decretum „Sacra Tridentina Synodus". (Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pag. 360).

autem sententiis late diffusis, sin minus falsis, certo tamen erroribus aditum praebentibus. Sunt vero fere sequentes: exaggerata aestimatio intellectus in rebus moralibus, sinistrum iudicium, quo nimis extollitur effectus subiectivae praeparationis in sacramento suscipiendo (opus operantis) nec satis agnoscitur operatio sacramenti, quae semper principalis est, denique sententia ianseni-anum sapiens errorem, quasi Christus Dominus sacramentum Corporis et Sanguinis sui instituisset, ut a nobis solum adoraretur, non autem principaliter, ut nobis esset verus cibus, panis supersubstantialis, medicamentum immortalitatis.

Valde vos exhortamur, dilecti animarum pastores, ut altum sensum, quo Summus Pontifex muneris sui scopum prosequitur, admirantes, omni studio adlaboretis, ut ea, quae ad sanctificationem populi christiani commendat, media strenue adhibeatis, memores Dominici verbi: *Qui vos audit, me audit.* (Luc. 10, 16). Et Nos pro tam salutari dispositione Summo Ecclesiae Pastori gratias agentes in Nostra dioecesi tenenda mandamus et praecipimus, quae sequuntur:

1. Aetas discretionis, qua praeceptum annuae confessionis et paschalis communionis obligare incipit, in nostris regionibus tertium annum, quo pueri scholas frequentant, non transgreditur. Quapropter hoc tempore omnes ducendi erunt ad confessionem et ad sacram mensam. Si autem discretio iam antea adfuerit, statim curandum erit, ut pueri privatim ad sacramenta accedant.

2. Quamvis discretio pro utroque sacramento suscipiendo requisita eadem sit, tamen, si locorum adiuncta vel praeparationis ratio id suaserint, poterunt catechetae pueros aliquot hebdomadas ante primam communionem ducere iam ad confessionem peragendam, curabunt tamen, ne intervallum temporis nimis grande intersit.

3. Prima *sollemnis* communio habeatur Dominica in Albis; si tamen alicubi consuetudo iam invaluit, sollemnitatem hanc obeundi die festo s. Aloysii, iuventutis patroni coelestis, vel die divino Cordi Iesu sacro,

retineatur, Nosque pro neocommunicantibus tempus utile ad implendum paschale praeceptum usque ad eum terminum prolongamus. Tolerare sanctam primam communionem ultra definitum tempus differri nec volumus nec possumus.

4. In sollemnitate celebranda omnia serventur, quae mandata sunt in Synodo anno 1903 facta. Quum in posterum pueri et puellae minoris quam usque nunc aetatis ad sanctam communionem sint ducendi, maior erit adhibenda attentio, ne candelis ardentibus infortunium accidat.

5. Ut parentes et omnes Christi fideles intelligant, quanti aestimandum sit, ut pueri statim ac ad discretionis annos venerint, cum Christo in Eucharistia praesente uniantur fontemque gratiae in se suscipiant, decernimus, ut quotannis Dominica IV. Quadragesimae vel praelegatur sacrae Congregationis decretum vel sermone libero explicentur, quae in laudato decreto continentur. Insuper vehementer desideramus et valde commendamus, ut tum de frequenti communione tum de aetate neocommunicantium saepius verbum fiat, ex. gr. occasione adorationis augustissimi Mysterii, in congregationibus Marianis, piis patrum matrumque familias associationibus aliisque religiosis sodalitatibus; hac enim ratione populus edocebitur, adversariorum commenta, falsae sinistraeve sententiae refellentur, salutaris fructus attingetur.[1]

[1] L. Andrieux, La première communion. Histoire et discipline, textes et documents des origines au XXe siècle. Paris, 1911. Pagg. 392. — Jul. Bessmer S. I., Der Erlass der Sakramentskongregation über die Erstkommunion der Kinder. (Stimmen aus Maria-Laach. LXXIX. Band. 1910. S. 332—349). — Brief an die Eltern der Erstkommunikanten. 6. Aufl. Regensburg, 1910. — S. Coubé, L'âge de la première communion et le Decret „Quam singulari". Paris. Pagg. 48. — Die Kinderkommunion. Das Dekret „Quam singulari" erläutert. Dülmen in W., 1911. Pagg. 88. — Mich. Gatterer S. I., Die Erstkommunion der Kinder. Brixen am Eisack. Pagg. 113. — Casimiro Card. Gennari, Sulla età della prima Communione. Roma, 1911. Pagg. 42. — Fr. Ostermann, Die Vorbereitung der Kinder auf die erste heilige Kommunion. (Theologie und Glaube. III. Jahrg. 1911. S. 177—190). — Jos. Pascher, Kurze Katechesen zur Vorbereitung auf die erste hl. Beicht und erste hl. Kommunion. Wien. Pagg. 22. — Dr. Jos. Prötzner, Die öftere und tägliche Kommunion der Kinder. Paderborn, 1910. Pagg. 69—72. — Idem, Früh und oft! Worte an die Eltern über die heilige Kommunion. Dülmen in W., 1911. Pagg. 81. — Emil Springer S. I., Die Vorurteile gegen das Erstkommuniondekret. Innsbruck,

»Ista esca, quam accipis, iste panis vivus, qui descendit de coelo, vitae aeternae substantiam subministrat.«[1] »Hic est panis vitae: qui ergo vitam manducat, mori non potest. Quomodo morietur, cui cibus vita est? Quomodo deficiet, qui habuerit vitalem substantiam?«[2]

Caput CLVII.

De pastoratione studiosorum.

Quis non tristitia afficitur, videns, quomodo hoc tempore inter eos, qui *intelligentes* vocantur, fides deficiat et quantopere res religiosae in maligno sint positae? In quinque classes illi distingui possunt:

In *indifferentes*, quibus omnes religiones, eo magis omnes confessiones christianae, idem valent; nullam curant, neque ut vitam suam secundum hanc illamve conforment, student. Et numerus eorum grandis est. Ii sunt, quos Spiritus Sanctus verbis significare videtur: *Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus; utinam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* (Apoc. 3, 15. 16).

In *dubitantes*, qui omni religioni dubium opponunt, utrum vera sit an non. Praeprimis fidem christianam oppugnant, concutiunt doctrinam Christi, rident de miraculis, Christum virum sapientissimum fuisse concedunt, de divinitate vero eius dubitant.

In *timidos*, qui religionem christianam veram esse et credunt et sciunt, sed metu hominum officia religiosa omittunt; hi sunt Nicodemi huius temporis, Pilati ignavi timidique.

1911. Pagg. 96. — Idem, Katechismus der Eltern zum Erstkommunion-Unterricht der Kleinen. Innsbruck, 1911. Pagg. 30. — Idem, Lasset die Kleinen zu mir kommen! Innsbruck, 1911. Pagg. 96. — Weisungen der bischöflichen Vollversammlung in Wien . . . über das Dekret „Quam singulari". (Folium officiale dioecesis Lavantinae 1911. Num. VIII. alin. 72. pagg. 164—167).

[1] S. Ambrosius, De mysteriis 8, 47. — [2] S. Ambrosius, Expositio in psalmum 118. Sermo XVIII, 49.

In *incredulos*, qui fidem variis ex causis perdiderunt. *Quam* (scil. fidem et bonam conscientiam) *quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* (I. Tim. 1, 19). Multi hostes infensissimi Christi facti sunt. Quis non reminiscatur verborum Apostoli: *Nunc antichristi multi facti sunt, unde scimus, quia novissima hora est.* (I. Ioan. 2, 18). *Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem: hic est seductor et antichristus.* (II. Ioan. 7).

In *fideles*, qui fidem et corde observant et forti animo coram hominibus Christi religionem confitentur. Sunt quasi equites sine pavore et sine vituperatione.

Si quis interrogaverit, quaenam classis maior sit, quid responderi oportet? Classem fidelium maiorem caeteris nequaquam esse constat, potius multo minorem existere adfirmari licebit.

Quae est causa talis calamitatis? Quando et ubi et quomodo intelligentes fidem amittunt et Ecclesiae Christi vertunt terga? Plurimi procul dubio in universitatibus, alii generatim tempore, quo relictis scholis mediis a parentibus disiuncti et ab omni inspectione liberi, a disciplina scholastica soluti et effrenata libertate gaudentes res suas, sibi ipsis derelicti, ab omnibus independentes gerunt. Ne ergo absolutis studiis in scholis mediis statim tenebris infidelitatis comprehendantur et ne propterea in abyssum moralis pravitatis ruant, in scholis mediis eos in religiosa educatione confirmari necesse est.

Ut finem hunc adipiscatur, valde difficile et aequo modo meritorium est officium *magistri religionis in scholis mediis.* Eius munus pro salute universali, pro bono reipublicae et speciatim pro Ecclesiae prosperitate quam maximi est momenti. Forsitan numquam eius labor tanti valoris erat, sicuti hodie est, quum educatio iuvenum talibus periculis offendatur, quum iuvenes domi raro quid boni audiant vel legant vel videant, quum tantae tentationes et fidem et mores eorum conquassent, eo amplius, quum studiosi omni alio religioso rectore careant, pastoratione parochiali quodammodo excludantur,

plurimum ne sciant quidem, ubi sedes sit ipsorum parochiae.

Ut officio suo magistri illi satisfaciant, tam excelso quam gravi humerisque fortioribus vix tolerabili, vires suas omnes voveant muneri suo explendo. Officium vero eorum triplex est. Ipsos oportet, *discipulos suos docere, eis gratiae fontes communicare* eorumque *mores stabilire.* Hisce componitur pastoratio studiosorum. Beatus et laurea coronandus, qui de ea bene meretur! Est vere bonus pastor. *Docet et erudit quasi pastor gregem suum.* (Eccli. 18, 13). *Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos et in sinu suo levabit, foetas ipse portabit.* (Is. 40, 11).

I. Imprimis ergo magistrum religionis studiosos *docere* oportet. Si prudentia sua in docenda iuventute, tum in schola tum in ecclesia, discipulis veritates christianas ita explanaverit, ut pateant, placeant, moveant, iam labor eius fructus insignes carpsit. Quilibet enim vitam suam secundum fidei suae amussim componit. »Difficile est, ut male vivat, qui bene credit«, ait magnus ille Augustinus.[1]

Quid autem docebit magister religionis in scholis mediis? Generatim dicendum: *Verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* (Tit. 2, 8). Nil doceat, nisi veritatem christianam purissimam. Exclamet cum Apostolo: *Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudaeis atque Graecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* (I. Cor. 1, 23). *Sic autem praedicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem.* (Rom. 15, 20).

Suas hypotheses et opiniones et sententias opprimet magister; nonnisi caduceator erit Christi. *Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Iesum, quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit*

[1] Sermo 49, 2.

in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Iesu. (II. Cor. 4, 5). Ne obliviscatur verborum Apostoli: *Iesus Christus heri et hodie et in saecula! Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci! Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis: quae non profuerunt ambulantibus in eis.* (Hebr. 13, 8. 9). *Non est in alio aliquo salus. Non enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* (Act. ap. 4, 12). *Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit!* (Gal. 1, 9).

Magister religionis adnitetur, ut omnes discipuli, etiam ii, qui non quinque talentis sed vix uno gaudent, veritatem comprehendant et intelligant. Veritates primarias et fundamentales explicite sciant, quae et ad fidem et ad mores pertinent. Simplici sed omnino clara explicatione magister plus proderit, quam grandioso philosophico apparatu et artificioso instruendi modo. Imitare, bone magister religionis, divum Paulum, qui: *Ego,* inquit, *cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiae, annuncians vobis testimonium Christi. Non enim iudicavi, me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum. Et ego in infirmitate et timore et tremore multo fui apud vos, et sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* (I. Cor. 2, 1—5).

Quid prodest doctus sermo in schola, si vestigia nulla in cordibus relinquit? Multo melior est perspicua, etiamsi humilis explanatio et iterata repetitio eorum, quae praeprimis sciri debent.

Quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles,
Omne supervacuum pleno de pectore manat.[1]

[1] Q. Horatii Flacci de arte poëtica liber. Vers. 335—337. (Lucianus Mueller, Q. Horatii Flacci Carmina. Lipsiae, 1881. Pag. 237).

Veritates, quae memoriae non solide inseruntur, mox oblivioni traduntur. »Numquam satis dicitur, quod numquam satis discitur«, observat sapiens s. Augustinus.

Respiciendo materiam et amplitudinem religiosae institutionis, observari oportet, omnia decretis et statutis reverendissimi Episcopatus austriaci et Ministerii pro Cultu et Institutione[1] definita esse. Omnis docendi ratio sapientissime a viris et doctrina et experientia claris disposita est. Pro qualibet classi et quovis semestri docenda respective discenda accurate sunt determinata. Etiam libri necessarii, ab Episcopatu cautissimo examine approbati, arcte praescribuntur. Eis diligenter est utendum. Si eorum argumentum absolvatur, sufficit omnino. In classibus inferioribus materia a discipulis in schola legatur et verbum quodlibet intellectu difficilius a magistro clare explanetur; in classibus vero superioribus argumentum libris comprehensum a magistro libere, et quidem distinctissime, tradi potest et eadem hora a discipulis repetatur.[2] Zelus et fervor magistri numquam sat magni erunt. Speciatim de materia in classibus superioribus adnotetur, quod sequitur.

Apologiam, qua ostendatur, inter omnes et omnium locorum et omnium temporum religiones christianam unicam veram esse, quippe quae a Deo uno vero revelata sit, foveat magister ardore vehementi. Explicet prudenter verba, alias inaudita, Domini Iesu: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes .. docentes eos servare omnia, quaecumque*

[1] Edictum Min. pro C. et I. de die 16. Ian. 1906 Nr. 47887 ex 1905. — [2] Wenn schon die Religionsbücher der wissenschaftlichen Form nicht entbehren können, so lange die anderen Lehrgegenstände der Mittelschule sie beibehalten, so soll der Religionslehrer durch sein lebendiges Wort tun, was in seinen Kräften steht, um besonders den Unterricht in den Glaubens- und Sittenlehren loszuschrauben von der Form kompendierter theologischer Wissenschaft; er muss herzlicher, durchsichtiger und volkstümlicher sein, als dies gewöhnlich die Lehrbücher zulassen; er muss sich auch in den oberen Klassen der Mittelschule als Katechet fühlen und die Wahrheiten des Katechismus vortragen, allerdings in einer Weise, wie sie für die geistige Entwicklungsstufe der Schüler der oberen Klassen passt und wie sie durch diese gefördert wird. Dass dabei auch das apologetische Moment, das besonders heutzutage so notwendig ist, zur Geltung kommen soll, liegt wohl an der Hand. (Der pädagogisch-katechetische Kurs in Wien 1905. Wien, 1905. Pag. 106).

mandavi vobis: et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi! (Matth. 28, 18—20). *Coeli et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.* (Matth. 24, 35). Quanta divinitatis vis et maiestas ex his similibusque verbis sonat!

Dogmaticae, quae est inter omnes religionis disciplinas difficillima, cura suprema attribuatur. Cuius sacrum officium est explanatio et demonstratio veritatum christianarum, et earum, quas ratio humana intelligere valet, et illarum, quae omnem rationem creatam transcendunt. »Quum homo a Deo tamquam Creatore et Domino totus dependeat et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo et intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur«.[1] In demonstrandis veritatibus mere supernaturalibus magister diligentiam quam maximam et prudentiam quam providentissimam adhibebit.

Ut Dogmaticam ea, qua hodie omnino necesse est, ingenuosa sagacitate explicet, eum in philosophia versatum esse oportet atque ingentes evolutiones recentissimarum scientiarum et inventionum cognovisse, nec non systemata philosophica antiqua et novissima habeat perspecta. Nova tempora nova officia expetunt et novos doctrinae modos. In diversitate opinionum dogmaticarum est his temporibus divortium viarum, in quo discessus iuvenum maturiorum et incipit et absolvitur. Propterea hic magister vires quam fortissimas consumat. Hic iterando admonendus est: *Attende lectioni, exhortationi et doctrinae! Haec proponens fratribus bonus eris minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei et bonae doctrinae, quam assecutus es.* (I. Tim. 4, 13. 6).

Moralis doctrina nobis culmen ostendit omnis ethicae, quale mundus conspicit nullibi. Virtutes naturales tanta perspicuitate docet, qualem frustra Socrates, Plato, Seneca desiderarunt. Insuper praecipit virtutes, quales isti sapientes vix nomine cognoverunt: humilitatem, castita-

[1] Concil. Vatic. sess. III. cap. 3.

tem, caritatem erga hostes. Magister demonstret, quae admiranda opera Ecclesia perfecerit, quot corda sit consolata, quot lacrimas absterserit, quot homines emendaverit, quot mala oppresserit, quot bona promoverit. Ubinam gentium invenitur, praeter in Ecclesia catholica, Maria virgo, Aloysius, Franciscus Seraphicus, Carolus Borromaeus, Vincentius a Paulo, Petrus Claver aliique aliaeque innumerabiles, specimina mirabilia omnis perfectionis? Quin immo et confessores aliarum religionum laudibus profitentur effusissimis, Ecclesiam catholicam esse scholam primam virtutis et, nisi ipsa adesset, moralitatem statim deficere. Ne desinat magister religionis pronunciare, verba égalité, liberté, fraternité quomodo fuerint mendacium summum in revolutione gallicana, sic esse veritatem purissimam in Ecclesia catholica.

Historia ecclesiastica facta regni Christi terrestris insigniora evolvit. Est corona pretiosa Ecclesiae catholicae. Optandum est, ut discipuli geminos ex assiduo historiae ecclesiasticae studio fructus capiant et, mirabiles divinae providentiae in dirigenda Ecclesia catholica vias lustrantes, pio amore in immaculatam sponsam Christi repleantur atque idonei dignique excolantur, qui et ipsi aliquando proelia Dei certare possint et valeant. Magister ne omittat in historia ecclesiastica ostendere eximios characteres, viros omni laude dignos. »At quos viros? Si doctrinam spectemus, eruditissimos; si usum, peritissimos; si ingenia, perspicacissimos; si pietatem, religiosissimos; si vitam, innocentissimos!«[1]

Non obliviscetur magister, quin demonstret et dilucidet inaestimabilia merita Ecclesiae catholicae, quae litteras graecas et romanas nobis servabat, artes omnimodas provehebat, verum progressum, eruditionem et morum emendationem procurabat, culturam et in Europa et in aliis mundi partibus, etiam in ferocissimis, apud plurimas nationes et inchoabat et continuabat, quo-

[1] Ex oratione habita in sessione ultima Conc. Trid. a Hieronymo Ragasono, Episcopo Nazianzeno. (Canones et decreta sacrosancti oecumenici Concilii Tridentini. Ratisbonae, 1888. Pag. 200).

modo ipsa eruditionem populorum plus quingentis annis — et quidem sola — foverit. Historia ecclesiastica est evidens argumentum institutionis divinae Ecclesiae catholicae ac proinde divinitatis Iesu Christi. *Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur, si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini.* (Act. ap. 5, 38. 39). *Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me . . . Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre.* (Ioan. 10, 25. 37. 38).

II. Feliciter et fertiliter absoluta prima parte pastorationis, secunda multo evadit levior. *Communicationem gratiae* eam appellamus. Perficienda est:

Sacrificio Missae, celebrando omni die Dominica et festis praeceptis. Inter Missae sollemnia ut discipuli a singulis professoribus strenue inspiciantur, praecipiunt etiam edicta Ministerii pro C. et I. de die 5. Aprilis 1870 Nr. 2916. Quae inspectio valde necessaria est, ne discipuli vel risu vel garrulitate pietatem perturbent caeterorum. Ad Missas discipulos euchologiis vel libris precum instructos oportet apparere. Ante Missam exhortationem magister religionis habeat eamque nequaquam legat, sed diligentissime memoriae mandatam rhetorice tractet.[1] Sit memor verborum Apostoli dicentis: *Praedica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina! Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple!* (II. Tim. 4, 2—5).

Sancti vere momenti est pro discipulis *susceptio sacramenti poenitentiae et sanctissimae Eucharistiae.* Triplicem susceptionem leges imperant: principio et fine

[1] Exhortatio habenda est lingua instructionis eiusdem scholae. (Edictum Min. pro C. et I. de die 20. Novembris 1872 Nr. 11142).

anni scholaris et tempore quadragesimali.[1] Discipuli ad confessionem longiore tempore praeparandi sunt, ut orationes confessionales bene sciant omniaque arcte perpendant, quae attingunt quinque articulos sacramenti poenitentiae. Tempore quadragesimali possunt, quin immo debent haberi exercitia spiritualia, de quibus in Synodo dioecesana Lavantina, anno salutis 1906 celebrata, capite CXXII. decernenda decrevimus.

Magister religionis admonebit discipulos certe non sine saluberrimo fructu, ut confessione peracta suscipiant sanctissimam Eucharistiam privatim aliis etiam occasionibus, quibus corda religiosis affectibus late adaperiuntur, utpote quadam peregrinatione ad loca sacra, praesertim beatae Mariae virginis, dein in die natali vel onomastico, tempore Adventus. Monendi sunt studiosi de omnibus festis, quibus indulgentiae plenariae recuperari possunt. Valde placebit devotio s. Aloysii.

Oratio inculcanda est. Omni die, et mane et meridie et vespere, orandum esse, omnis discipulus et scire debet et, ut sic faciat, instruendus est. *Longe est Dominus ab impiis et orationes iustorum exaudiet.* (Prov. 15, 29). *Cognosce iustitias et iudicia Dei et sta in sorte propositionis et orationis altissimi Dei!* (Eccli. 17, 24). *Qui adorat Deum in oblectatione, suscipietur et deprecatio illius usque ad nubes propinquabit. Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec propinquet, non consolabitur et non discedet, donec Altissimus aspiciat.* (Eccli. 35, 20. 21).

Admoniti et a magistro religionis animati studiosi visitabunt pluries, maxime euntes in scholam, in quadam ecclesia vel sacello Sanctissimum ibique orabunt. Multi pluries in hebdomada, diligentes piique audient quotidie sacram Missam. Intererunt sollemnitatibus popularibus, devotionibus pomeridianis, praedicationibus quadragesimalibus, missionibus, adorationibus, processionibus. Valde utiles sunt studiosis variae religiosae confraternitates. Magister religionis ne unius quidem pietatis

[1] Edictum Min. pro C. et I. de die 5. Aprilis 1870 Nr. 2916.

et sollemnitatis ecclesiasticae obliviscatur, quin sensus studiosorum ad illas convertat.

Forsitan magister aptas pietates speciales prudentia et sapientia sua introducet. Sic in gymnasio Marburgensi incepta est permissione reverendissimi Ordinariatus Lavantini et licentia rectoris gymnasii singularis devotio maialis, constans in celebratione Missae privatae in capella gymnasii omni feria III. et VI. in hebdomada mense Maio, cui discipuli voluntarie ultroque interesse possunt. Omni anno hoc pium exercitium viget, studiosi capellam rosarium recitantes implent semper. Ubi talis vel aequalis cultus religiosus fieri potest, introducatur!

Gratiae recuperandae media studiosos alleviabunt salvabuntque, bonos confortabunt, periclitantes et lapsos ad virtutem trahent, miseros consolabuntur. Iam rhetor gentilis iuventuti romanae monendo suadebat, »cultus deorum, inquiens, est optimus idemque certissimus atque sanctissimus plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta et mente et voce veneremur!«[1] Quanto magis paedagogus christianus religiosam educationem pietatemque urgebit![2]

III. Beatus ille magister religionis, qui duobus iam memoratis officiis prospere est perfunctus; faustus successus et benedictus tertii muneris dein certissime sequetur. Iam significavimus illud: *moribus stabiliendis* et consolidandis perficitur. Cuilibet studioso conclamandum est:

Esto vir fortis, et pugnemus pro populo nostro et civitate Dei nostri, Dominus autem faciet, quod bonum

[1] Cicero, De nat. deor. lib. II. cap. 28. — [2] Edictum Min. pro C. et I. de die 30. Maii 1853 Nr. 5512 haec habet: Soll der Unterricht zum Ganzen der Erziehung gehören, so müssen, wie der Organisationsentwurf vorschreibt, alle Lehrgegenstände zu den Ideen der Religion und der Sittlichkeit als ihrem gemeinsamen Mittelpunkte zusammenstreben. Der Schüler soll in dem Masse, in welchem er mehr lernt, auch besser und frömmer werden. Muss diese Aufgabe der Einsicht und dem Takte der Lehrer überlassen bleiben, so ist man auch zur Erwartung berechtigt, dass namentlich jüngere Lehrer sich bestreben, sich zum vollständigen Begriffe ihres Berufes als religiös-sittlicher Bildner der Jugend zu erheben und dem Unterrichte die bildende Kraft nicht bloss in Beziehung auf den Verstand, sondern auch auf den Willen, die Tatkraft und den Charakter zu sichern. (Dr. Virgil Grimmich, Der Religionsunterricht an unseren Gymnasien. Wien und Leipzig, 1903. Pag. 17).

est in conspectu suo! (II. Regg. 10, 12). *Roboramini et estote viri fortes!* (II. Regg. 13, 28). Perpulchra sunt verba Davidis regis ad filium Salomonem: *Ego ingredior viam universae terrae; confortare et esto vir! Et observa custodias Domini Dei tui et ambules in viis eius, ut custodias caeremonias eius et praecepta eius et iudicia et testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi, ut intelligas universa quae facis et quocumque te verteris!* (III. Regg. 2, 2. 3).

Militia est vita hominis super terram et sicut dies mercenarii dies eius. (Iob 7, 1). Militia autem et negotiatio mercenarii virum fortem, constantem, intrepidum, sedulum expetit. Qui his proprietatibus non ornatur, fini suo non satisfaciet, in miseria versabitur, mox peribit. Propterea adolescens, studiosus praeprimis, quippe qui in sortem nobiliorem sit vocatus cuiusque dies futuri aliis docendis et regendis et beatificandis destinentur, admoneatur, ut confortetur et fiat vir fortis! Praesertim hoc aevo id fieri debet, quum iuventus studiosa malis exemplis in urbibus corruptis, pravis libris, perniciosis spectaculis, exitiabilibus tentationibus in periculum adlectetur et, proh dolor, in tantis turbis in interitum ruat.

Tristissime, sed eodem modo verissime et fidelissime *Tacitus*, austerus iudex, et sui et nostri temporis periclitantem iuventutem et desolatam describit: »Quin etiam ipsi parentes nec probitati neque modestiae parvulos assuefaciunt, sed lasciviae et dicacitati, per quae paulatim impudentia irrepit et sui alicuiusque contemptus. Iam vero propria et peculiaria huius urbis vitia paene in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor et gladiatorum equorumque studia, quibus occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit? Quotum quemque invenies, qui domi quidquam aliud loquatur? Quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intravimus?«[1]

Quid ergo faciendum, rebus sic stantibus? Strenue et pro viribus adlaborandum, ut malum sanetur in radice.

[1] Cornel. Tac., Dialogus de oratoribus. Cap. 29. (Edit. Imman. Bekker. Lipsiae, 1831. Pag. 529).

Magister religionis in scholis mediis multum proderit tollendo exitio plus omnibus aliis educatoribus! Est quasi propheta, cui loquitur Dominus: *Haec dicit Dominus Deus: Convertimini et recedite ab idolis vestris et ab universis contaminationibus vestris avertite facies vestras! Ut non erret ultra domus Israel a me neque polluatur in universis praevaricationibus suis, sed sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum, ait Dominus exercituum.* (Ezech. 14, 6. 11). Connitendum est, ut iuventus studiosa in scholis mediis praeservetur a periculis moralibus et inflammetur pro virtute et omni bono ethico. Sine religione vero moralitas est impossibilis.

Iam magnus ille *Georgius Washington*, rerum civilium perbene gnarus: »Religio, inquit, est absolute necessarium fundamentum boni publici. Ratio et experientia docent, moralitatem sine religione consistere non posse. Non amat patriam, qui hanc firmam columnam societatis humanae percutiat.« Magister religionis propterea operam omnem impendat, ut fundamentum religiosum in cordibus studiosorum ponat et consolidet, quod numquam corruat neque in tentationibus neque in persuasionibus hostilibus neque in quacumque persecutione inimicorum. »Ut iuvenes religiose, catholice sentiant, ut persuasum habeant, revelationem christianam esse veram, est finis supremus religiosae instructionis in gymnasio.«[1]

Studeat magister religionis, ut *quattuor imperativos* cordibus iuvenum incidat, quasi litteris aureis in marmore indelebili: *Crede, ora, audi, confitere!* Iterum iterumque sedulo studiosis commendandi illi imperativi sunt, ita ut conscientiae suae quasi iuramento sanctissimo spondeant, se saltem hos quattuor imperativos semper esse observaturos.

---

[1] Einheitliche Geistesbildung, Gewöhnung an selbständige Arbeit, an Pflichttreue und Gewissenhaftigkeit, ein reiches, edles Gemütsleben mit immer tiefer erfassten, immer selbständiger erstrebten religiös-sittlichen Idealen ist das Ziel der Erziehung an höheren Bildungsanstalten, „auf dass der Mensch aus Gott vollkommen sei und zu jedem guten Werke geschickt." II. Tim. 3, 17. (Dr. Virgil Grimmich, op. cit. pag. 254).

Crede! Ne perdas fidem, religionem! *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* (Hebr. 11, 6). *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* (Marc. 16, 16). *Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* (Ioan. 3, 18). Ergo, iuvenis studiose, aut credes aut in aeternum peribis, tertium non datur, excluditur.

Ora! Quotidie saltem aliquantulum. Quisquis eris, miles, medicus, advocatus, iudex, professor, mercator, artifex, architectus, noli omnino orationis oblivisci! Memorare Dei et Deus memorabitur tui! Venient dies, forsitan iam appropinquant, cum auxilio eius indigebis. Non postulat Deus orationes longas, sufficit brevissima, sed illa pia. Et si mane surgens nonnisi cruce te signaveris, bene erit. Si plus oraveris, Deus tibi retribuet, benedicet tibi.

Audi! Scilicet Missam omni die Dominica festisque praeceptis. Sacrificium eucharisticum est centrum religionis christianae, summus Dei cultus. Omnis natura Deum adorat. *Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annunciat firmamentum.* (Ps. 18, 2). Tu solus reverentiam ei recusare audebis? Tu solus non vis trahi exemplo universi mundi ad Deum? En, sex dies hebdomadae tuo serviunt labori, dies septima tuae quieti destinatur, et mediam horam solummodo huius diei Deo offer, benefactori tuo maximo, optimo!

Confitere! Peccata tua scilicet omni anno saltem semel. Corpus lavacri salubris indiget, ita et anima tua purgationis. »Aut ardere aut confitere«, dicit s. Augustinus. Ne timeas homines, quum te forsitan desperna nt, te ludibrio propterea habeant irrideantque. Quid tibi maioris est valoris: aut Dei mandatum aut hominum leve execrandumque iudicium? Nescis ne, quid dicat rhetor Romanorum primus, Cicero: »Viros fortes et magnanimos, eosdem bonos et simplices, veritatis amicos minimeque fallaces esse volumus.«[1]

[1] Cicero, De offic. lib. I. cap. 19.

Forsan proderit talis cum suavis tum gravis admonitio, quae omni possibili occasione repetatur et prudenter inculcetur. Experientia docet, studiosos hos imperativos quattuor memoria tenere et etiam post studia reminisci eorum. Si oblata occasione sollemniter polliciti fuerint, numquam eorum se oblituros esse, saltem saepius de eis cogitabunt; granum bonum remanebit et fructus afferet saluberrimos. Et vir, in cuius corde radices religionis pullulant, bonus est appellandus. »Quos autem dicam bonos, perspicuum est: omnibus enim virtutibus instructos et ornatos tum sapientes tum viros bonos dicimus.«[1]

Sic studiosi praeparantur pro vita futura, ut viribus et bonis propositis cordis sui pares sint saevientibus procellis et minantibus periculis.[2] Numquam vero omittet magister religionis pro ipsis orare: *Ut impleantur agnitione voluntatis eius in omni sapientia et intellectu spiritali; ut ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes et crescentes in scientia Dei.* (Colos. 1, 9. 10).

Iuventuti in scholis mediis ab Ecclesia catholica semper cura praebebatur sollicita. Studiosi numquam Ecclesiae deliciae esse desierunt. Quantas impensas sumptusque eis adiuvandis obtulit! Quot scholas, quot collegia pro eis instituit! Pro pauperibus discipulis stipendia prima et hospitia publica gratuita, pro peregrinantibus xenodochia, pro aegrotis nosocomia fundavit. Quantam operam eorum eruditioni vovit! Synodus, Ravennae anno

---

[1] Cicero, Tuscul. disputationum lib. V. cap. 10. — [2] Edict. Min. pro C. et I. de die 16. Januarii 1854 Nr. 11851: Der katholische Religionsunterricht an den Gymnasien hat vermöge des bestehenden Lehrplanes die Aufgabe, die Schüler mit den Grundwahrheiten der christlichen Glaubens- und Sittenlehre, mit der Erklärung der gottesdienstlichen Handlungen und mit der Geschichte der Offenbarung und der christlichen Kirche bekannt zu machen; er ist aber überdies der wichtigste Hebel für die gesamte religiöse und sittliche Erziehung der Jugend. Durch ihn muss die Wahrheit christlicher Überzeugung hervorgerufen und in dem empfänglichen Gemüte des Jünglings die sittliche Grundlage befestigt werden, damit er als Mann in den Stürmen des Lebens nicht verloren gehe. (Marenzeller, Normalien für die Gymnasien und Realschulen in Österreich. Wien, 1884. I. pag. 29. 67).

1314 celebrata, definivit, omni feria IV. et V. in hebdomada in Missis orationem pro studiosis esse inserendam.[1]

Et in scholis tanti momenti tradit difficilem pastorationem Ecclesia magistro religionis, qui eam perficiat in salutem universalem studiosorum. Ipsum obligari ad munera gravissima clare patet. Iam praeparationem eius scientificam longiorem profundioremque esse oportet. Sit paedagogus providus, prudens, eruditus, praeditus doctrina omnium scientiarum, praesertim earum, quae in scholis mediis docentur, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.* (Tit. 1, 9). Sed non doctrina tantum pastorationem fulciet, duobus propugnaculis officium suum communiet adhuc, *exemplo suo et oratione.* Cui plus, quam ipsi, valent Apostoli verba: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate!* (I. Tim. 4, 12). *In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate!* (Tit. 2, 7).

In Christo carissimi magistri religionis in scholis mediis, sic operamini, in pastoratione studiosorum sudantes, *et quum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam!* (I. Petr. 5, 4).

Caput CLVIII.

De exstirpando vitio intemperantiae.

Nemo non videt alcoholismum dirum hostem esse societatis humanae universae, praeprimis vero plebis christianae, quam apostolorum princeps beatus Petrus hortatur, ut *abstineat se a carnalibus desideriis* et sequatur vestigia Christi passi. (I. Petr. 2, 11. 21). Maxime autem status sacerdotalis eiusque officii et actionis adversarium esse alcoholismum quotidiana experientia probat; nam inter impedimenta, curam animarum

[1] Dr. Carl Joseph Hefele, Conciliengeschichte. VI. Band. Freiburg im Breisgau, 1867. Pag. 501 sq.

cohibentia, intemperantia vix non principem tenet locum.[1]

Parvi habenda non sunt damna, quae immoderatus potuum inebriantium usus infert corporali vigori. Cuius rei nosocomia sat numerosa, sed in dies adhuc augenda et amplianda, tristes exsistunt testes. Deplorandum hoc vitium omnia fere corporis organa tenerrima depravat, immo destruit ac praeproperum adducit vitae occasum. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adiiciet vitam.* (Eccli. 37, 34). Quae damna non alcoholicum solum, sed iure quasi hereditario descendentes et posteros quoque attingunt, qui culpam maiorum usque ad tertiam et quartam generationem misere debent luere.

Sed et ad sequelas oeconomicas attentio dirigatur, necesse est. Scientia statistica teste expensae pro potibus alcoholicis factae aes pro victualibus necessariis erogandum fere adaequant, sumptus vero pro exercitu armando et sustentando ter superant. Adiice summas pecuniae enormes, quae instituta ob alcoholismi sequelas pessimas necessaria, puta nosocomia, sanatoria, carceres, expostulant! *Operarius ebriosus non locupletabitur, et qui spernit modica, paulatim decidet.* (Eccli. 19, 1). Maxime igitur deploranda est conditio hominum alcoholismo addictorum materialis; sed et in societatem totam damna redundant.

Ast quanto magis flenda est conditio spiritualis alcoholicorum! Nam animae quoque vires detrimentum inde capiunt: rationis usus minuitur, voluntas, quae ad virtutes exercendas fortior semper fieri deberet, quum per originale peccatum iam fuerit extenuata, magis adhuc debilitatur. Hominis ebrietati dediti intellectus iam impar est, ut cognoscat vitae finem supernaturalem, christianarum virtutum sublimitatem et decus; cor eius, carnis concupiscentiis inhians, iam erigi nequit ad Patrem coelestem, *a quo est omne datum optimum et donum*

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Pagg. 286—298. — Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pagg. 263—273. — Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno Domini MCMVI celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 244.

perfectum. (Iac. 1, 17). En periculum maximum simul cum vigore corporali bonisque fortunae pessumdandi et vitam spiritualem ac patriam coelestem! *Qui amat periculum, in illo peribit.* (Eccli. 3, 27).

Ebrietas peccata multiplicat, ad vitia inclinat, ad impudica irritat. Iuxta s. Gregorium M.[1] homines gulae dediti — quod valet etiam de ebriosis — in eo, quod escarum delectationi incumbunt, luxuriae se mucrone transfigunt; dum ventri molliter inserviunt, vitiorum laqueis crudeliter adstringuntur. Quapropter apostolorum princeps omnes fideles adhortatur: *Sobrii estote et vigilate!* (I. Petr. 5, 8). Sobrietas cum vigilantia temperantem facit abstinentem, parcum, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum; sobrietas libidines frenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat et vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat.

Certamine contra alcoholismum magna sane pars luctae nostrae contra vitia, per mundum palam grassantia vel clam serpentia, maxime contra carnalia peccata absolvitur; quod enim ecclesia aedificat, cauponae saepe destruunt.

In exstirpando vitio intemperantiae quomodo procedendum, quibus mediis utendum sit, in praelaudatis Synodis anno 1900 et 1903 celebratis, expositum est.

Quum munus sacerdotale sobrietate maxime iuvetur et clericorum mens per eam ad sapientiam transferatur — dicit enim Scriptura: *Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam devitaremque stultitiam, donec viderem, quid esset utile filiis hominum: quo facto opus est sub sole numero dierum vitae suae* (Eccle. 2, 3) — quum porro sacerdotis inimicus sit alcoholismus, etiam sacerdos inimicus alcoholismi, immo vi officii et muneris sui belli dux contra illum esse debet neque certamen hoc utpote *pro populo constitutus in eis, quae sunt ad Deum* (Hebr. 5, 1), declinare potest. Christi verba: *Vos estis sal terrae* (Matth. 5, 13) et ad causam alcoholismi referri possunt

[1] Regula pastoralis. Cap. XIX.

et debent. Sobrius Clerus sal erit, qui populum ab alcoholismi putredine tuebitur.

1. Ineundum ergo est certamen adversus alcoholismum praeprimis populi causa. Infesta enim sunt tempora nostra. Quum omnium oculi in Clerum sint conversi, oportet, ut non parvam per abstinentiam conciliet sibi auctoritatem refellendo calumnias exprobrantium, sacerdotes plebis sudore et labore sumptuose vivere. Maiore animi fortitudine maioreque auctoritate in publicum prodibunt animarum pastores innixi s. Pauli verbis: *In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* (Tit. 2, 7. 8). — Quum autem tentamina ad populi mores emendandos suscepta validiora sint, si sacerdotes non singuli sed collatis viribus ac studiis adlaborent, valde desideramus, ut sacerdotalis *Unio ad impugnandum alcoholismum* quantocius suscitetur, sequentes habens gradus:

a) Primus gradus illorum erit, qui ab omni potu ex frumento aliisve fructibus per decoctionem acquisito (vino adusto, vulgo žganje, Branntwein) abstinent, caeteris vero potibus inebriantibus (vino et cerevisia) nonnisi moderate utuntur, memores sacrae Scripturae verborum: *Vinum in iucunditatem creatum est et non in ebrietatem.* (Eccli. 31, 35).

b) Secundus gradus eorum erit, qui, abstinentes a vino adusto, aliis potibus alcoholum continentibus moderate utuntur, semel tamen in hebdomada etiam ab eis plene abstinent.

c) Tertius gradus eorum sit, qui ab omni potu inebriante plene abstinent.

Unio ista acies sit bene ordinata ad debellandum hostem tam validum et periculosum! Membra eius praeter sacerdotes tum saeculares tum regulares etiam clerici necnon fratres regulares laici esse poterunt. Obligatio erit pro certo tempore, quo peracto renovabitur. Unio haec generali associationi aggregabitur, cuius auctor fuit piae memoriae Episcopus Augustinus Egger. Pium hoc

sodalitium dedicatum erit sacratissimo cordi Iesu et s. Ioanni Baptistae, abstinentium antesignano.

Preces recitandae in schedis inscriptionis adnotabuntur. In pluribus dioecesibus sodales unionum abstinentiae aut temperantiae quotidie ante Sextam in honorem et memoriam Salvatoris in cruce sitientis sequentem oratiunculam recitant: *Cor Iesu, flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui!* Peracto vero Missae sacrificio dicunt: *Pater aeterne, offero tibi sanguinem pretiosum Filii tui in propitiationem pro peccatis meis, pro necessitatibus sanctae matris Ecclesiae et pro salute hominum ebriosorum!*[1]

2. Ast non solum inter animarum curatores abstinentiae uniones fiant, verum etiam inter fideles associationes tales instituantur. Vehementer ergo cohortamur omnes sacerdotes, ut societatem in honorem s. Ioannis Baptistae, quae in dioecesi nostra iam inde ab anno 1885 exsistit quamque in praelaudatis Synodis, anno 1900 et 1903 coadunatis, commendavimus, ubique introducant vel instaurent.[2]

[1] Pius Papa X. per Breve de die 29. Martii 1904 indulgentiam 300 dierum semel in die lucrandam etiam animabus in purgatorio applicabilem concessit recitantibus sequentem orationem: O mein Gott und Vater, um dir meine Liebe zu beweisen, um deine so vielfach verletzte Ehre wiederherzustellen und zum Heile der Seelen nehme ich mir fest vor, am heutigen Tage weder Wein noch Branntwein noch sonst irgend ein berauschendes Getränk zu geniessen! Diese Abtötung bringe ich dir dar in Vereinigung mit dem Opfer Jesu Christi, deines Sohnes, welcher sich täglich zu deiner Verherrlichung auf dem Altare aufopfert. Amen. (Fr. Beringer, Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch. 13. Auflage. Paderborn, 1906. Pag. 270 sq).

[2] En statuta associationis in honorem s. Ioannis Baptistae.

Pravila Družbe treznosti na čast sv. Janezu krstniku.

Namen

družbe je, varovati ude pijančevanja, predvsem jih odvračati od žganih pijač, vaditi jih zatajevanja v uživanju opojnih pijač.

Uredba družbe.

1. Družba obsega vso škofijo. Vodi in nadzira jo od prečastitega knezoškofijstva imenovani škofijski vodja družbe.

2. Družba se ustanovi v posameznih župnijah. Voditelj ji je dotični župnik oziroma duhovni pastir, ki sme pooblastiti drugega duhovnika v župniji (kapelana), da vodi družbo.

3. Contra tam exitiosum malum omnes honesti cives unanimiter et viriliter certare debent.

3. Družbeni patron je sv. Janez krstnik. Družbeni praznik se obhaja v nedeljo po sv. Janezu (ali pa nedeljo poprej), kadar god sv. Janeza že sam ni na nedeljo.

4. V družbo se lahko vpiše vsakdo. Otroci se sprejemajo po opravljenem prvem svetem obhajilu. Zapisovanje se vrši ločeno po spolu, da se vidi na prvi pogled, koliko je moških, koliko ženskih udov. Za otroke se vodi zapisnik posebe.

5. Družba ima tri stopnje. Zato so tudi udje razdeljeni v tri skupine:

a) Taki, ki uživajo sicer opojne pijače (vino, pivo) zmerno, žganja pa ne pijejo nikdar (razen za zdravilo).

b) Tisti, ki sicer uživajo opojne pijače (vino, pivo) zmerno, pa se jih vsaj po en dan na teden popolnoma zdržijo. Žganja ne pijejo nikdar (razen za zdravilo).

c) Tisti, ki se popolnoma zdrže opojnih pijač (razen za zdravilo).

Dolžnosti udov.

1. Vsakdo si prostovoljno izbere stopnjo, katere dolžnosti hoče izpolnjevati.

2. Kdor se v družbo vpiše, se zaveže z moško besedo, dano voditelju družbe, ali z lastnoročnim podpisom, najmanj za dobo enega leta, da hoče izpolnjevati dolžnosti tiste stopnje, katero si je izbral. Obenem isto obljubi Bogu s tem, da opravi molitev, tiskano na sprejemnici. Vendar ga ta zaveza sama na sebi ne veže pod grehom.

3. Poleg tega se zavežejo udje vseh stopenj:

a) da otrokom do 14. leta ne bodo dajali nikakih opojnih pijač,

b) da ne bodo nikogar silili k pitju in se vsakemu prisilnemu pitju ustavljali,

c) da ne bodo dolgo v noč posedali po pivnicah,

d) da se bodo ogibali mnogoštevilnih prilik, ki vabijo k pitju,

e) da bodo namen družbe kolikor mogoče pospeševali s tem, da tudi druge odvračajo od pijančevanja in jim odtegujejo prilike k temu.

Posebe se še zavežejo:

a) matere, da ne bodo pile opojnih pijač,

b) gospodarji in delodajalci, da kolikor mogoče ne bodo dajali poslom in delavcem žganja in ne denarja za pijačo,

c) gostilničarji, da ne bodo med božjo službo in zvečer črez postavno uro imeli odprtih pivnic, da ne bodo dajali pijače ljudem, ki je imajo že dosti, in da ne bodo silili k pitju.

4. Poleg zmernosti ali zdržnosti, ki jo ima držati, moli sleherni družabnik na dan en Očenaš in eno Češčenomarijo za stanovitnost v storjenem sklepu in za izpreobrnjenje grešnikov, vdanih pijančevanju.

5. Vsako leto na družbeni praznik se zaveza ponovi. Kdor pa zaveze ne misli podaljšati ali pa storjene zaveze ne izpolnjuje, naj sprejemnico vrne, da se ne bo štel med ude. Ako pa sam tega ne stori, naj ga voditelj najprej posvari. Če pa svarilo ne izda, naj ga iz družbe izbriše in mu to naznani.

Zaveza se bo napravila s temi-le besedami:

V zahvalo za Jezusovo žejo na križu, v zadoščenje njegovemu z zasramovanjem nasičenemu Srcu in v čast velikemu izpokorniku sv. Janezu krstniku, v spravo za svoje grehe, v tolažbo dušam v vicah, sklenem za eno leto:

a) držati se vseh žganih pijač (razen za zdravilo), druge opojne pijače pa le zmerno uživati,

b) držati se vsakega žganja, druge opojne pijače le zmerno uživati, en dan v tednu pa se jih popolnoma držati.

a) Infantibus domi et pueris in scholis verbo et exemplo inculcanda est temperantiae necessitas et abstinentiae magna utilitas, clare et strenue aperiendo detrimenta ex alcoholismo manantia. Distribuenda sunt etiam scripta puerili intelligentiae accommodata, quae gravem hanc pertractant quaestionem.[1] In publicis etiam sermonibus ista lues omni occasione arrepta reprobetur ut turpe quid, corpori animaeque nocivum, religioni pariter ac patriae perniciosum. Attamen parum vel nihil proficient parentes, magistri, sacerdotes aliive educatores, nisi opere confirmabunt, quod ore docent.

b) Matres familias rem domesticam sedulo administrent, domum nitidam decoramque custodiant, ita ut mariti et filii recreationem honestam, qua indigent, domi inveniant, nec periculosam ac nocivam in cauponis quaerant.

c) Nec respuenda est cooperatio potestatis politicae, quae multis modis ad alcoholismum oppugnandum cooperari potest, vel directe vitium intemperantiae cohibendo vel societates temperantiam et abstinentiam promoventes adiuvando. Alcoholismo potestas civilis occurrere potest limitando venditionem potuum inebriantium, praesertim vini adusti, minuendo numerum cauponarum vel denegando licentias novas petitas, restringendo tempus, quo noctu cauponae apertae manent. Iam anno 1909 a caes. reg. gubernio austriaco deputatis proposita est lex, quae efficacia ad alcoholismum oppugnandum continet praescripta.[2] Promovere dein potest potestas politica

---

c) zdržati se popolnoma opojnih pijač (razen za zdravilo).

Po preteku enega leta bom to zavezo ponovil ali bom pa sprejemnico vrnil. Ravno tako bom storil, če bi svoje besede ne držal.

Obljubim tudi, da bom namen družbe po svoji moči podpiral s tem, da drugim ne bom dajal prilike, ampak jih bom odvračal od pijančevanja.

Pomagaj mi Bog, devica Marija, sv. Janez krstnik in moji sveti patroni, da bom zvesto izpolnjeval ta sklep!

[1] Mali protialkoholni katekizem za male pa tudi za velike ljudi. Ljubljana, 1911. — [2] Bericht des sozialpolitischen Ausschusses über die Regierungsvorlage, betreffend den Entwurf eines Gesetzes, womit Bestimmungen zur Hintanhaltung der Trunksucht getroffen werden. (657 der Beilagen zu den stenogr. Protokollen des Abgeordnetenhauses. XIX. Session 1909. Pagg. 18).

instructionem de alcoholismi damnis in scholis publicis tum elementaribus tum mediis, quae in aliis regionibus iam magno cum successu inducta est, ut exempli gratia in America septentrionali, in Britannia, in regno Belgico, in Gallia, in Suecia, in Dania.

d) Religio ad tanti vitii imminutionem remedium efficacissimum praebet, immo ipsa remedium principale dicenda est. Motiva enim efficacissima praestat, quibus animus erigatur, mortificatio sensualitatis exerceatur, voluntas roboretur. Ex ambone et in sacro tribunali sacerdotes temperantiam et sobrietatem frequenter doceant.[1] In statuta societatum catholicarum etiam articuli de sobrietate servanda inserantur.

e) Abstinentia a quovis potu alcoholico commendanda est hominibus ebrietatis vitio deditis, qui desiderium conceperint sese emendandi. Propositum temperantiae servandae vix umquam erit efficax, quum voluntas iam nimis debilis sit. Abstinentia sola medium est, quod si adhibuerint, salvari poterunt. Sedulo porro adlaborandum est, ut iuventus abstinentiae sit studiosa. Viri docti et periti unanimiter contestantur, eo tempore, quo organismus crescit et firmatur, alcoholum valde perniciosum esse. Praesertim in praeparatione ad primam communionem vel ad confirmationem abstinentia pueris et puellis valde suadenda est. Qua ratione sacerdos educabit adiutores et cooperatores optimos ad alcoholismum prospere debellandum.

Prae oculis autem semper habeant animarum pastores, ad intemperantiae vitium exstirpandum nihil efficacius esse quam clericorum exemplum. Quare omni laude digni sunt, qui non solum temperantiam, sed perfectam abstinentiam exercent.

[1] W. H. Meunier, Die Alkoholfrage auf der Kanzel. Trier, 1909. — Sveta vojska. Protialkoholna knjižnica. Ljubljana, 1907. — A. Grotjahn, Der Alkoholismus nach Wesen, Wirkung und Verbreitung. Leipzig, 1898. — H. Hoppe, Die Tatsachen über den Alkohol. Eine Darstellung der Wissenschaft vom Alkohol. Berlin, 1904. — A. Pieper, Mässigkeitsbestrebungen. München-Gladbach, 1906. — A. Sladeczek, Schule und Alkoholismus. Berlin, 1905. — W. Liese, Trunksuchtsbekämpfung (Staatslexikon. Freiburg im Br. 1912. V. Band. Sp. 531—542).

Adhibete ergo, in Christo dilecti sacerdotes, media ista — contraria contrariis curantur — sapienter et strenue, nec vobis deerit praesidium divinum! *Luxuriosa res vinum et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit sapiens.* (Prov. 20, 1). *Attendite autem vobis, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis huius vitae, et superveniat in vos repentina dies illa!* (Luc. 21, 34). *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu Sancto!* (Ephes. 5, 18).

Caput CLIX.

De mediis contra impraesentiarum palam grassantem immoralitatem.

Sinite parvulos venire ad me et ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei. (Marc. 10, 14). *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.* (Matth. 18, 3).

Ex his aeternae Veritatis verbis claris necessario colligitur, quicumque aeternam a Christo Domino nobis promeritam beatitudinem consequi volunt, eos omnes parvulis conformari debere. Re quidem vera parvulorum integritas, praesertim quum baptismi lavacro a culpae originalis labe fuerint mundati, imago quaedam et vivida repraesentatio primitivae protoparentum in paradiso innocentiae est, et nisi homines facti fuerint innocentes, puri, humiles, mites sicut parvuli, non videbunt paradisum novum et aeternum, de quo s. Ioannes: *Et vidi,* inquit, *coelum novum et terram novam. Primum enim coelum et prima terra abiit et mare iam non est.* (Apocal. 21, 1). De ipso namque praedicat divus Paulus: *Hoc scitote intelligentes, quod omnis . . immundus . . non habet haereditatem in regno Christi et Dei.* (Ephes. 5, 5).

Attamen parvulorum integritati et innocentiae, iuxta quorum exemplar oportet nos facere et operari salutem nostram, immane atque terribile periculum nostris temporibus imminet ex immoralitate nunc magis magisque

iam publice grassante in verbo, scripto, picto et theatro cuiuscumque generis. Quae immoralitas non solum aeternam salutem iuventutis nostrae in discrimen committit, sed etiam temporales vires generationis nostrae corrumpit generationemque ipsam pessum dat.

I. De hac satis late palamque serpente immoralitate agunt litterae encyclicae Archiepiscoporum et Episcoporum ditionis austriacae, publicatae a Nobis die 13. Novembris 1910.[1] Verbis gravissimis hic ostenditur, quomodo moralitas ubique terrarum decrescat et hebescat. Signum huius moralis decrementi iam conatus illorum sunt, qui vehementia febricosa matrimonium christianum eiusque indissolubilitatem impugnant, ut iam ab incunabulis adolescentulos veneno errorum impune imbuere possint.

Praecipui autem fontes, ex quibus virus immoralitatis temporis nostri effunditur, sunt sequentes.

Praeprimis nominantur *libelli illi immorales,* qui divulgantur parvo pretio 10—20 h in multis editionibus non solum per urbes, verum etiam per vicos remotiores. Talia scripta lectorum praesertim non adultorum phantasiam afficiunt eosque ineptos reddunt ad studium ac laborem honestum. Magis adhuc nocivi sunt libri, qui ex professo immoralitatem propagant aut latenter aut aperte aut sub praetextu sexualis vel medicinalis institutionis. Inter haec duo genera perversae litteraturae magna copia est talis, quae etiam perdit fidem et mores, sicut haec faciunt mala folia et pravae ephemerides, de quibus iam in prioribus Synodis[2] locuti sumus.

Non minus periculum quam ex malis libris et foliis imminet *ex arte pictoria.* Immo dicendum multo periculosiorem esse picturam. Aetas enim nostra levis, quamvis

[1] Send- und Lehrschreiben. Verfasst, gesammelt und herausgegeben von *Dr. Michael Napotnik,* Fürstbischof von Lavant. Marburg, 1911. Pagg. 1048–1063. — [2] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pagg. 202, 203, 209, 210, 258—263. — Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 peractae. Marburgi, 1901. Pag. 471. — Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pagg. 253, 260—262, 851—857. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 facta. Marburgi, 1907. Pagg. 224, 225, 325—335, 517.

legendi avida, tamen festinanter vivit et tempus ei deest ad legendos ampliores libros, sed potius animum ad voluptates propensum oblectari vult picturis vel saltem libris pictis seu ut aiunt illustratis. Nemo autem ignorat, quam pravae et perversae sint imagines, quae praebentur temporibus nostris: res nugaces, lasciviam et obscoenitatem illustrantes, quae corrumpunt bonos mores animosque alliciunt ad perversitatem.

Quod non depravat verbum scriptum aut pictum, id corrumpunt *theatra*, ludi kinematographici, spectacula ut varieté, circus, panorama, bioscopus, orpheum et alia genera artis scenicae modernae. Damnosae propagatrices perversitatis sunt denique *pravae chartae postales pictae* et *annunciationes malae*, quae inseruntur ut dicitur libris vel ephemeridibus aut catalogis quibuscumque.

Ex hisce fontibus scaturiunt res de veneno suspectae et pernicie plenae, quae magnum afferunt damnum iuventuti nostrae totique generationi. Hinc magna ex parte illa scelera innumera, de quibus quotidie tractatur in iudiciis nostris, hinc suicidia permulta, hinc perplures aegroti utriusque sexus in nosocomiis affecti variis morbis, etiam insanabilibus. Inde rixae, discordiae, infidelitates et divortia in matrimonio, inde corruptio familiae propagatioque vitii aviti in liberos miserrimos. Inde illa morum lues magna, valde exitiabilis, quae totas iam olim perdidit gentes, quia *ignis est usque ad perditionem devorans et omnia eradicans genimina.* (Iob 31, 12).

II. Tali in statu rerum *positive operandum est* et media efficacia adhibenda, ne aetas nostra amplius hoc venenum hauriat illoque in perniciem suam pascatur.

Ante omnia necesse est *religionem christianam iterum fieri stellam ductricem hominum in vita privata et publica.* Hoc tamquam medium praecipuum commendavimus litteris encyclicis supra commemoratis.[1] Propterea quam

[1] Op. cit. pag. 1054 sq: Ungläubigkeit und Unsittlichkeit stehen zueinander in Wechselwirkung. Wie die Unsittlichkeit ungläubig macht, so führt hinwieder die Ungläubigkeit zur Unsittlichkeit. Mag es einzelnen auserlesenen Charakteren immerhin gelingen, aus natürlich ästhetischen Rücksichten die Macht der der menschlichen Natur innewohnenden Leidenschaft zu überwinden;

maxime incumbant animarum pastores in religiosam educationem non solum iuventutis, verum etiam totius populi sibi commissi. Praeprimis utique *maxima debetur puero reverentia*, et iuventus religiose instruenda est ita, ut praeparata sit ad pericula vitae et apta ad illa superanda. Vires corporis et animae sic excolendae sunt, ut florere possit illa virtus, de qua Sapientia divina dicit: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est et apud homines!* (Sap. 4, 1).

Praeter generale hoc medium iterum inculcamus ea, quae iam saepius synodaliter fecimus *de libris et ephemeridibus*, quia ex ephemeridibus potissimum imminet populo nostro periculum immoralitatis. De ephemeridibus novissimum Concilium provinciale Salisburgense breviter statuit, quod sequitur: *In selectu ephemeridum recipiendarum tum clerici tum laici providi sint. Ephemerides a Romano Pontifice vel Ordinario prohibitae omnino respuendae sunt. Animarum curatores fideles suos omni cura a malis ephemeridibus amoveant; bonae ephemerides calamo, consiliis et aere iuvandae sunt.*[1]

Quum vero luctuosissima pernicies per libros malos et ephemerides pravas in dies magis diffundatur, non sufficit monere solummodo fideles, ne legant scripta fidei et moribus infensa, sed oportet illis etiam *occasionem praebere bona scripta acquirendi*, praesertim quum illis undique mala in manus obtrudantur. Qua de re laudamus illas in dioecesi Nostra existentes *associationes catholicas lectorum*, qui scripta bona sustinent, legunt et legi curant. Commendandae sunt associationes pro pueris et puellis. Iuventus enim maxime est legendi cupida,

aber ein ganzes Volk sittlich vorwurfsfrei zu erhalten, dazu ist notwendig *der lebendige Glaube an Gott.* den Allmächtigen und Allheiligen, der feste Glaube an ein höheres, göttliches Sittengesetz, welches die niederen menschlichen Triebe dem ewigen Zwecke und Ziele der unsterblichen Seele, sich den Himmel zu verdienen, unterordnet. Und deshalb ist auch ohne treue Hingebung an Gott und seine Stellvertreterin, an die Kirche, keine Sittlichkeit und keine wahre Besserung der heutigen beklagenswerten Zustände zu erhoffen.

[1] Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno Domini 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 203.

et si non accipit bonos libros, haurit venenum ex malis et perversis. Per huiusmodi associationes curatori animarum etiam possibile erit pervigilare, quae in parochia leguntur, amovere mala et propagare bona scripta et diaria. Huc veniunt deinde *bibliothecae parochiales*[1] *et scholares*, quae pari modo multum conferre possunt, ut per bibliothecas parochiales fideles generatim, per bibliothecas scholares, si sunt bonae, discipuli amoveantur a mala lectione et accipiant ad legendum, quaecumque sunt vera, bona et pulchra.[2]

III. Praeter positiva haec media necessaria quoque sunt *negativa*, quibus gens nostra arceatur a malo verbo scripto, picto aut dicto. Nocivi libri enim, perversae picturae et illustrationes aut chartae postales pictae publice exponuntur in mercatorum fenestris et alias, ut videantur a quocumque et homines alliciantur ad emendum. Novitatis et ut dicunt sensationis cupidi homines cuiuscumque aetatis a tenellis pueris et puellis usque ad senem has res avide aspiciunt, emunt, legunt, propagant ita, ut ingens multitudo inde detrimentum spirituale patiatur. Similis lues pestis perniciosae instar divulgatur a malis cuiuscumque generis spectaculis, praesertim kinematographicis.

Hicce salus et prosperitas populorum postulat, ut *res publica civilis per leges subditos tueatur*. Nam gubernii civilis ius est et officium legibus poenisque scelera et actus pravos, saltem gravissimos, vel impedire vel reprimere, morum corruptionem cavere, legalitatem seu externam decentiam promovere et per hoc cives ad veram

[1] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pagg. 851—857. — [2] § 80 edicti caes. reg. Ministerii pro C. et I. de die 29. Septembris 1905 Nr. 13200 id etiam desiderat: Die Lehrer haben die Schulkinder zu einer regen und zweckdienlichen Benützung der Schülerbibliothek anzuleiten; sie haben auch sonst auf den häuslichen Lesestoff der Kinder tunlichst Einfluss zu nehmen, damit nur dem Zwecke der Erziehung dienliche Bücher in deren Hände gelangen. Im Falle des Vorhandenseins zulänglicher Mittel können die Schulkinder bei geeigneten Anlässen, wie bei der Ausfolgung der Zeugnisse und Schulnachrichten, an patriotischen Festtagen und bei anderen Schulfeierlichkeiten mit guten Büchern und anderen zweckmässigen Gaben beschenkt werden. (Das Reichsvolksschulgesetz samt den wichtigsten Durchführungsvorschriften. Wien, 1906. Pagg. 78 sq).

honestatem disponere. Propterea etiam Concilium provinciae Salisburgensis constituit: »Ante omnia etiam necesse est, ut potestas publica rigorose et strenue agat contra omnia lasciviae publicae genera, quae in dies non in maioribus solum, sed etiam in minoribus oppidis impune fere increscunt. Non solum propter animarum immortalium, sed etiam propter ipsius populi et nationis bonum potestas publica arceat et impediat, quominus lasciva folia, libri et imagines aperte a bibliopolis exponantur et cuivis postulanti vendantur. Est officium auctoritatis publicae, ut iuventutem a talibus morum permagnis periculis praeservet et sic populorum saluti tum corporis tum animae consulat«[1]. Et revera habemus etiam in nostro imperio austriaco leges contra propagationem immoralitatis publicae. Sed omni vi ad id tendendum est, ut leges etiam teneantur executionique dentur.[2]

Iuxta § 516 *legis poenalis* puniendus est, qui per picturas aut immorales actiones laedit moralitatem aut pudicitiam insigniter et modo scandalum publicum praebente, severo carcere octo dierum usque ad sex mensium. Si haec laesio facta est per opera typographica, vindicanda est severo carcere sex mensium usque ad unius anni.[3] Iudicia ergo et magistratus tamquam custodes publicae honestatis munere suo contra grassantem immoralitatem solummodo fungi oportet.

[1] Edit. cit. Pag 249. — [2] Litterae pastorales superius allegatae desuper observant: Fällt nun der Kirche, der Schule und der Familie die Aufgabe zu, die Jugend religiös-sittlich zu erziehen, so ist die öffentliche Staatsgewalt in hervorragender Weise berufen, ihren starken Arm zur Abwehr der vielen Angriffe und Gefahren zu leihen, die der Sittlichkeit der Jugend und des Volkslebens in der Öffentlichkeit drohen. Der Staat hat auch tatsächlich Gesetze zur Verhinderung der Unsittlichkeit gegeben; es kommt darauf an, dass dieselben gehandhabt werden. Darum ist es Eure Aufgabe, geliebte Gläubige, Euch den Schmutz und Unflat nicht ruhig gefallen zu lassen und die Anwendung der gesetzlichen Bestimmungen zu fordern. (Op. cit. pag. 1055). — [3] Das allgemeine Strafgesetz vom 27. Mai 1852, § 516: Wer durch bildliche Darstellungen oder durch unzüchtige Handlungen die Sittlichkeit oder Schamhaftigkeit gröblich und auf eine öffentliches Ärgernis erregende Art verletzt, macht sich einer Übertretung schuldig und soll zu strengem Arreste von acht Tagen bis zu sechs Monaten verurteilt werden. Wurde aber eine solche Verletzung durch Druckschriften begangen, so ist sie als ein Vergehen mit strengem Arreste von sechs Monaten bis zu einem Jahre zu ahnden. — Ad vocem

Deinde edictum Ministerii pro C. et I. de die 29. Sept. 1905 Num. 13200 paragraphos quasdam habet, quibus iuventus a peste immoralitatis tuenda sit. Ita edicit § 212, scholam observare debere salutem spiritualem et corporalem iuventutis sibi commissae et omnia mala ab illa repellere.[1] Et § 77 scholae esse ait curare, ne liberi pestifero quodam influxu in morali-religiosa educatione detrimentum patiantur.[2] Atqui perversae picturae, chartae postales illustratae variis lasciviis, libri mali et alia huius generis revera influxum pestiferum et exitiabilem in iuventutem exercent. Ergo haec omnia removenda sunt ab oculis et manibus iuventutis nostrae. Pari modo prohibet § 79 iuventuti scholari frequentationem theatri aliorumque spectaculorum, nisi respectu religiosae-moralis educationis commendari possint. Hanc paragraphum caes. reg. Consilium scholarum provinciae Styriacae decreto de die 10. Martii 1911 inculcavit et ad kinematographos extendit.[3]

„öffentliches Ärgernis" adnotentur decisiones supremi tribunalis: Mehrere Entscheidungen des Obersten Gerichts- und Kassationshofes, so vom 9. Juli 1891 Z. 6462 oder vom 31. Okt. 1901 Z. 7622 besagen, dass der wirkliche Eintritt des Ärgernisses kein Tatbestandsmoment des § 516 St. G. bilde; dass hiezu vielmehr schon die „konkrete Eignung der Tat, Ärgernis zu erregen", ausreicht.

[1] Allein die öffentliche Stellung der Volksschule und die ihr zugewiesene Aufgabe bringen es mit sich, dass auch die Schulbehörden und die Lehrer dem geistigen und körperlichen Wohle der Schulkinder Beachtung zu schenken und auf die Beseitigung wahrgenommener Übelstände hinzuwirken haben. — [2] Die Kinder sollen auch von allem ferngehalten werden, was auf sie einen verderblichen Einfluss ausüben und ihre sittlich-religiöse Erziehung gefährden könnte. — [3] Die Aufmerksamkeit des Unterrichtsministeriums ist darauf gelenkt worden, dass bei kinematographischen und ähnlichen Vorstellungen nicht selten auch Bilder vorgeführt werden, welche eine Gefahr für die sittliche Erziehung der solchen Vorstellungen beiwohnenden Schuljugend in sich bergen. Bei aller Würdigung des Wertes entsprechender kinematographischer Vorführungen für den Unterricht muss es doch als Pflicht der Schulbehörde angesehen werden, im Vereine mit dem Elternhause dafür Sorge zu tragen, dass die Schuljugend von diesen Gefahren möglichst gewahrt werde. Nach § 79 der Schul- und Unterrichtsordnung al. 1. und al. 5. ist der Besuch öffentlicher Schaustellungen, Theatervorstellungen und Konzerte den Schulkindern in Begleitung der Eltern oder deren Stellvertreter nur dann gestattet, wenn das betreffende Programm in sittlicher und religiöser Beziehung einwandfrei ist und wenn auch das Betragen, der Fleiss, der Fortgang und der Schulbesuch des Kindes zu keinerlei Bedenken Anlass bieten. Da diese Bestimmungen zweifellos auch auf den Besuch von kinematographischen Vorstellungen Anwendung zu finden haben, wird der Bezirks- (Stadt-) Schulrat beauftragt, die unterstehenden Schulleitungen anzuweisen, sich die gedachten Bestimmungen auch bezüglich des

Valde desiderandum est, ut ad has leges *normae adhuc severiores* condantur contra propalam grassantem immoralitatem. Si habemus leges contra invasionem pestis et caeterorum morborum, eo magis necessariae sunt leges contra invasionem et propagatores pestis spiritualis.

Consilium scholarum circuli Vindobonensis annuentibus possessoribus kinematographorum decrevit, se per approbationem destinaturum esse, quae res kinematographicae a liberis videri possint. Et *magistratus* Vindobonensis, cui publicae securitatis cura est delata, condidit specialem officinam, quae dirigat pugnam contra publice grassantem immoralitatem.[1]

Gubernium austriacum pariter *nonnulla decreta* huc spectantia edidit.[2] Ut autem facilius censura exerceatur

Besuches der Kinematographen-Theater durch schulpflichtige Kinder genauestens gegenwärtig zu halten und auch die Eltern auf die Gefahren, welche ihren Kindern durch den Besuch nicht einwandfreier Vorstellungen drohen, aufmerksam zu machen. (K. k. steierm. Landesschulrat. Graz, 10. März 1911 Z. $3 \frac{2045}{5}$ 11).

[1] In Wien wurde im Pressdepartement der Polizeidirektion ein neues Zentralamt eingerichtet, das ausschliesslich dazu bestimmt ist, die Verbreitung der pornographischen Literatur zu verhüten Diese Behörde wird mit den Behörden sämtlicher europäischer Staaten in Füllung stehen, so dass sie über alle Erscheinungen auf diesem Gebiete informiert sein wird. Dadurch kann das neue Zentralamt in der Lage sein, noch vor der Einfuhr solcher Druckwerke ein Verbot auszusprechen, während bis jetzt die betreffenden Verfügungen fast stets erst zu einer Zeit erfolgten, da ein grosser Teil der betreffenden Bücher schon verbreitet war. (Kathol. Warte. Wien, 1911. Nr. 2. pag. 4). Die k. k. Polizeidirektion in Wien hat am 22. September 1911, Z.-P.-B. 36/83 11, an die Papierhändlergenossenschaft nachstehenden Erlass gerichtet: Anlässlich des Umstandes, dass in Papierhandlungen, Schreibwaren- und Zeichenrequisitengeschäften Ansichtskarten und Photographien anstössiger Art, vielfach weibliche Nuditäten darstellend, zur Schau gestellt und verkauft werden, wird darauf aufmerksam gemacht, dass derartige Erzeugnisse nicht mehr als Presserzeugnisse angesehen werden können, welche lediglich den Bedürfnissen des Gewerbes und Verkehrs oder des häuslichen und geselligen Lebens zu dienen bestimmt sind. Sie sind sonach nicht der Gegenstand eines freien Gewerbes und erscheint der weitere Vertrieb und die Schaustellung derartiger Presserzeugnisse seitens der Papierhändler und sonstiger einschlägigen Geschäftsleute, soferne dieselben nicht etwa eine Konzession zum Buch- oder Kunsthandel besitzen, gemäss § 23 P.-G. unstatthaft. (Idem, Num. 6. pag. 9). — [2] Die Klagen über den Vertrieb und die Schaustellung unsittlicher und namentlich für die Jugend verderblicher Presserzeugnisse in einzelnen Tabaktrafiken haben in letzter Zeit derart zugenommen, dass sich das Finanzministerium veranlasst sah, sämtlichen Tabakverschleissern den Verkauf und die Schaustellung von derartigen Presserzeugnissen, insbesondere von unsittlichen Bildern und Ansichtskarten, sowie den Verschleiss und die Schaustel-

de rebus venum dandis, de picturis in fenestris et caeteris locis publicis exponendis aut de rebus in kinematographis et aliis spectaculis monstrandis, gubernium nostrum centralem officinam magistratus Vindobonensis, cui pugna contra publice grassantem immoralitatem est demandata, pro tota Austria instituit et cum variis guberniis conventionem internationalem iniit ad repudianda opera immoralia.

Ut severiores leges et normae, immoralitatem spectantes, condantur et *res publica in reprimenda immoralitate adiuvetur*, pro suis quisque viribus privatim et in societatibus agat contra publicam lasciviam. Per litteras encyclicas proposuimus, ut unio virorum ad impugnandam immoralitatem instituatur.[1]

Initia talis unionis iam facta sunt. Magnam operam namque rei tribuit singularis societas Vindobonensis, quae anno 1905 condita est et hucusque multos bonos libellos gratis distribuit aut bonos libros per colportatores suos vendidit.[2] Bibliopolas, qui opera immoralia in fenestris exponunt et illa amovere nolunt, denunciat magistratui aut iudiciis. Ut cum maiore successu operari posset, anno 1911 mense Martio condidit folium »Warte« et instituit Vindobonae centralem officinam (Zentralstelle). Societas »Volksaufklärung« in eo est, ut sibi adiungat alias virorum aut mulierum uniones, quibus viribus unitis pugnam contra publice grassantem immoralitatem excipiat. Utinam ex his initiis revera exoriatur centralis organisatio et etiam in Nostra dioecesi condatur sectio quaedam ad eundem finem!

---

lung von Erzeugnissen der sogenannten Schundliteratur allgemein zu verbieten. Gleichzeitig hat das Finanzministerium entsprechende Verfügungen wegen wirksamer Durchsetzung dieses Verbotes getroffen. (Edictum Ministerii pro cura aerarii de die 27. Februarii 1912).

[1] Ein Männerverein zur Bekämpfung der öffentlichen Unsittlichkeit wäre recht zeitgemäss als Zentralstelle, an die sich jeder wenden könnte, der in dieser traurigen Angelegenheit persönlich vorzugehen Bedenken trüge, damit von vereinswegen die geeigneten Schritte unternommen würden. (Op. cit. pag. 1056). — [2] Österr. Reichsverein „Volksaufklärung", Gesellschaft zur Verbreitung guter Bücher und Bilder im Kampfe gegen Schmutz und Schund in Buch und Bild.

IV. Animarum pastores tamquam rationem daturi pro ovibus sibi commissis curent in ecclesia, schola et societatibus, ut fideles instruantur de periculis imminentibus ex publica immoralitate. Vitandi omnino sunt vendentes opera immoralia turpis lucri gratia (Tit. 1, 11), adiuvandi autem vendentes bona et pulchra. Monendi sunt fideles, ne habeant in domibus suis scripta et picta, quae scandalum praebeant liberis. Proh dolor, qualia scripta et quales imagines saepe inveniuntur in domibus, praesertim urbanis! Tales parentes sibi dicent de liberis per opera talia perditis: *Nos docuimus, ex nobis audierunt.* Utinam haud immemores sint mandati Paulini ad Timotheum: *Et hoc praecipe, ut irreprehensibiles sint. Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.* (I. Tim. 5, 7. 8).

Itaque sacerdotes unacum populo fideli *positive et negative, vi legum latarum, privatim et in societatibus* contendant, ne haec immoralitas palam iam ubique grassans irretiat populum nostrum. Agitur etenim de salute eius temporali et aeviterna, agitur de sanctitate familiae, de honore feminae, de fidelitate viri, de innocentia iuventutis, de vigore et existentia populi. Pestis haec immoralitatis publicae facit populo sicut iuveni mulier ornatu meretricio, praeparata ad capiendas animas, in libris Proverbiorum: *Irretivit eum multis sermonibus et blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam et quasi agnus lasciviens et ignorans, quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius: velut si avis festinet ad laqueum et nescit, quod de periculo animae illius agitur . . . Multos enim vulneratos deiecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Viae inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis.* (Prov. 7, 21—27).

Exitium et mors sempiterna est sors gentis adulterae et perversae, perditae per pestem immoralitatis; castae autem generationis immortalis est memoria. *Apud Deum nota est et apud homines. Quum praesens est, imitantur illam; et desiderant eam, quum se eduxerit, et in*

perpetuum coronata triumphat coinquinatorum certaminum praemium vincens. (Sap. 4, 1. 2).

Caput CLX.

De apostasia ut vocatur a Roma.

Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu (II. Tim. 3, 12), toto cordis ardore amant Ecclesiam catholicam, quum ipsa sit *Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* (I. Tim. 3, 15). Pro omnibus, qui in Ecclesia sunt, valent verba beati Pauli apostoli: *Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* (Ephes. 2, 19—22).

Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. (Luc. 10, 16). Hisce verbis Dominus ac Redemptor ipse Ecclesiam audiendam et propterea amandam esse iubet. Et gentium Doctor, ut Ecclesiam diligamus, nos monet, *sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* (Ephes. 5, 25—27).

Illam vero solummodo veram esse Ecclesiam Christi, cuius est caput Pontifex Romanus, sole clarius patet. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* (Matth. 16, 18. 19). Quae distincta verba sensum admittunt solummodo unum: Romanum Pontificem scilicet esse caput Ecclesiae Christi.

Hoc idem commonstrant praeclara opera sanctorum Patrum, qui Sedem Romanam innumerabilibus locis glorificant. *S. Hieronymus* ad Damasum P. M. scribit: »Cum successore Piscatoris, cum discipulo crucis loquor. Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio.«[1] Similiter permulti alii Patres. Idem omne aevum antiquum monumentis illustribus. Omnes caeterae sic dictae ecclesiae sunt opus humanum, ortum dilabente tempore, ex oppositione contra veram Ecclesiam Christi.

Quum tanto amore tamque inconcussa persuasione de eius veritate et institutione divina Ecclesiae Romanae adhaereamus, ingenti afficimur dolore, quotiescumque legimus vel videmus vel audimus, quomodo haec vera Christi Ecclesia oppugnetur, calumniis obruatur, ludibriis irrideatur. Summa autem indignatione replemur, quando quis, ut filii filiaeque huius verae Ecclesiae ab ipsa deficiant, tentet nitaturque, quasi liberos a matre optima seducere studeat. Tales conatus atque sollicitationes hodierno tempore, proh dolor, saepe saepius suscipiuntur et committuntur! Nullibi vero hoc crudele et indignum et detestandum proelium adversus Ecclesiam catholicam tam vehementer talibusque atrocibus et abominandis modis geritur, quam in nostra perdilecta patria austriaca. Re sane vera, patria nostra meta facta est, circa quam acerbissime pugnatur.

Etiam nostra Lavantina dioecesis graviter patitur, detrimentum non exiguum cepit, damno difficili percussa est. Protestantium haeresis multos catholicos fideles seduxit. Negari non potest, adversarios nostros in sua pervicaci et obstinata haeresi multum profecisse, plures urbes et parochias et singulas familias venenato odio in Ecclesiam catholicam plus minusve replevisse. In Synodo dioecesana, anno 1903 hic in Nostra residentiali urbe celebrata, capite LXIII. de *apostasia ut vocatur a Roma* copiose egimus, diserte de historia huius apostasiae tractavimus, longius etiam causas, quae raro

[1] Epist. XV. ad Damasum. (I. P. Migne, Patrologiae cursus completus. Tom. XXII. Paris. 1845. Col. 355).

mere religiosae sunt, explicuimus. Ad finem sacerdotibus multa media commendavimus, quibus grave hoc malum tolli vel saltem impediri posset. Praeparanda est medicina curandi mali iam illapsi, et porro statuendum est munimentum adversus iacturam imminentem. Sacerdos igitur medici morbos curantis et pastoris greges tuentis munere fungatur!

Quaeri potest, quomodo se evolverit in nostra Lavantina dioecesi apostasia a Roma ex eo tempore, quo per totam Austriam ista commotio contra Ecclesiam catholicam exorta est, i. e. incipiente anno 1897, quum primum in aula universitatis Vindobonensis studiosus quidam exclamaret: »Los von Rom — Procul a Roma!« Optime nobis progressum demonstrabit conspectus, in quo per singulos annos definitus numerus et apostasiarum ab Ecclesia catholica et iuxta illum simul numerus conversionum ad Ecclesiam ponitur. Pro nostra dioecesi hic conspectus talem ostendit faciem:

Anno 1897 apostasiae 8 et conversiones 1, 1898: 13 et 4, 1899: 122 et 1, 1900: 70 et 0, 1901: 72 et 7, 1902: 62 et 9, 1903: 33 et 7, 1904: 155 et 17, 1905: 339 et 9, 1906: 175 et 32, 1907: 120 et 36, 1908: 94 et 38, 1909: 98 et 42, 1910: 145 et 33, 1911: 68 et 83, 1912 hucusque: 25 et 35. Ergo inter 507.786 catholicos Lavantinos numerantur in summa 1599 apostasiae et 353 conversiones. Numerus decrescit constanter, quod signum catholicos nova spe et grata satisfactione confortat.

Ex prospectu, supra patefacto, momentum sequitur duplex, apostasias paulatim deficere, numerum conversionum semper accrescere. Calamitates maximas iam superatas esse et fidem catholicam talia detrimenta, sicuti quibusdam praeteritis annis, in nostra dioecesi amplius non esse passuram, sperare licet. Utinam mox pro nostra dioecesi adhiberi possint verba libri prophetici: *Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus, et convertam conversionem populi mei Israel et Iuda, ait Dominus, et convertam eos.* (Ier. 30, 3). Utinam cito propediemque dicere possimus omnibus, qui matrem Ecclesiam deseruerunt,

cum Principe apostolorum: *Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.* (I. Petr. 2, 25).

Magnus adhuc manet labor, ut et qui lapsi sunt iterum in sinum Ecclesiae revertantur, ex quibus cuilibet dicendum est: *Surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei: Pater, peccavi in coelum et coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* (Luc. 15, 18. 19). Deinde adnitendum est, ne illi, qui Ecclesiae adhaerent, seducantur et in haeresim prolabantur.

Experientia docet, *duo media* multo profuisse tuendae fidei catholicae in hoc tempore periculoso.

Quidam sacerdotes, in pastoratione difficultates graves quotidie adferente constituti, operam dederunt diligentissime, ut et errantes ad Ecclesiam reducerent et fideles stabilirent. Illi maxime de conversionibus bene meriti sunt. Gratiae eis sincerae conveniunt. Deus benedicat et retribuat illis! Erant boni pastores. Ipsis *corona tribuetur in generationem et generationem.* (Prov. 27, 24). Pergant continuare opus suum gloriosum! *Diligite lumen sapientiae omnes, qui praeestis populis!* (Sap. 6, 23). Sciant omnes pastores et operarii in vinea Domini, idem esse officium omnium, imprimis qui parochiis praesunt periclitantibus. Nemo obliviscatur verborum prophetae, nomine Domini dicentis: *Lac comedebatis et lanis operiebamini, et quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum erat, non consolidastis, et quod aegrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, et quod abiectum est, non reduxistis, et quod perierat, non quaesistis.* (Ezech. 34, 3. 4).

Altero medio usi sunt omnes, qui interfuerunt magnis comitiis Marburgi vespere diei 30. Iulii 1910. Adversarii infensissimi illa convocabant, ut »protestarentur,« sicuti dixerunt, contra encyclicam Pii PP. X. de terna vice recurrente centenario canonizationis s. Caroli Borromaei *Editae saepe* de die 26. Maii 1910, revera autem solummodo eum in finem, ut Ecclesiam catholicam sermonibus effrenatis calumniarentur, sacerdotes catholicos inaudita petu-

lantia flagitiorum horribilium arguerent, scientiam catholicam afficerent ignominia, fideles catholicos impudentissime offenderent. Quae omnia superabundanter fecerunt. Comitiis, in quibus plus quam duo millia hominum congregati erant, affuerunt etiam quingenti viri catholici, ex quibus quidam adversarios oratores confutavit sermone longiore calumniasque eorum retrusit. Fortitudo catholicorum protestantes eorumque amicos commovit et percussit. Ex quo tempore non audebant amplius publice in comitiis Ecclesiam catholicam aggredi. Sic fiat semper simili occasione, ne maledicant impune et sine contradictione hostes Ecclesiae catholicae! Mementote omnes exhortationis apostolicae: *Vigilate, state in fide, viriliter agite et confortamini!* (I. Cor. 16, 13).

Defendendo fidem catholicam quilibet persuasum sibi habeat se pugnare pro unice vera fide, pro vera Ecclesia Christi, pro religione vere divina!

De illa *Gottholdus Ephraim Lessing*, scriptor sagacissimus et philosophus, ipse de haeresi protestantium: »Ego, inquit, nequaquam cognosco in mundo aliquam rem, in qua ratio humana plus laboraverit et plus effecerit, quam in vetere systemate catholicismi. Opus malum imperitorum hominum est religionis systema, quod nunc quidam in eius loco ponere volunt.«[1]

Christus unus est, unica et eius religio. *Iesus Christus heri et hodie ipse et in saecula! Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci!* (Hebr. 13, 8. 9).

Caput CLXI.

De operatione sociali in dioecesi.

Simile factum est regnum coelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Quum autem dormirent homines, venit inimicus eius et superseminavit zizania in medio tritici et abiit. (Matth. 13, 24. 25). Etiam in dioe-

[1] Dr. Theodor Deimel, Zeugnisse deutscher Klassiker für das Christentum. Freiburg im Breisgau, 1904. Pag. 103.

cesi Lavantina non desunt inimici, qui in corde christifidelium ex fide viventium student superseminare zizania indifferentismi quoad fidei et morum veritates quique incautos ad apostasiam trahere conantur. Hinc Nostrae curae est, vigilare, ne zizania fructum perniciosum afferant. Revera vigilavimus et inter alia etiam operatione sociali impedimenta opposuimus, ne zizania radices agant et crescant. Perspiciatis nunc, fratres mei dilectissimi, fructus salutares operationis socialis inde ab anno Domini 1907 et sciatis, quod non frustra laborastis.[1]

I. Consecrationes ecclesiarum et altarium.

Consecrata est restaurata ecclesia parochialis cum altari maiore beatae Mariae virg. in coelum assumptae in Kapele die 1. Maii 1907. — Viginti quinque altaria portatilia in ecclesia cathedrali Marburgi die 29. Novembris 1907. — Altare renovatum s. Francisci Xaverii in ecclesia cathedrali et parochiali s. Ioannis Bapt. Marburgi die 3. Decembris 1907. — Altare maius in ecclesia parochiali s. Georgii in Coll. slov. die 12. Maii 1908. — Nova ecclesia parochialis cum altari maiore s. Martini in Teharje die 2. Iunii 1908. — Altare B. M. V. de Lourdes in Basilica minore s. Mariae matris misericordiae Marburgi die 18. Octobris 1908. — Altare maius in ecclesia parochiali s. Elisabeth in Ljubno die 1. Septembris 1909. — Nova ecclesia parochialis cum altari maiore s. Iacobi in Dol die 28. Septembris 1909. — Altare s. Crucis in Basilica s. Mariae matris misericordiae Marburgi die 17. Octobris 1909.

Altare B. M. V. auxiliatricis christianorum in ecclesia parochiali s. Iacobi in Dol die 2. Iunii 1910. — Altare s. Barbarae virg. et mart. in ecclesia parochiali s. Iacobi in Dol die 2. Iunii 1910. — Altare maius in ecclesia parochiali s. Aegidii prope a Velenje die 11. Iunii 1910. — Altare sacratissimi cordis Iesu in Basilica Matris misericordiae Marburgi die 26. Iunii 1910. — Altare

[1] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pagg. 335—350

sacratissimi cordis Iesu in ecclesia s. Ioseph in Studenci die 21. Augusti 1910. — Nova ecclesia filialis cum altari maiore s. Pancratii in monte Radl parochiae s. Georgii in Remšnik die 6. Septembris 1910. — Altare sacratissimi cordis Iesu et altare purissimi cordis Mariae in ecclesia s. Ioseph prope a Celeia die 16. Octobris 1910. — Altare maius in ecclesia parochiali B. M. V. in Novaštifta prope a Gornjigrad die 21. Maii 1911. — Ecclesia parochialis ampliata cum altari maiore ss. apostolorum Philippi et Iacobi in Laporje die 11. Iunii 1911. — Nova ecclesia parochialis cum altari maiore B. M. V. in Cirkovce die 8. Septembris 1911. — Tria altaria lateralia, sacratissimi cordis Iesu, purissimi cordis Mariae et sacratissimi rosarii B. M. V. in ecclesia parochiali ss. apostolorum Philippi et Iacobi in Laporje die 5. Maii 1912. — Altare maius in ecclesia parochiali s. apost. Petri prope a Marburgo die 16. Maii 1912. — Viginti quinque altaria portatilia in ecclesia cathedrali Marburgi die 27. Iulii 1912.

II. Sacrae ordinationes et confirmationes.

Maiores ordines susceperunt diebus 21. 23. et 25. mense Iulio in ecclesia cathedrali s. Ioannis Bapt. Marburgi anno 1907: 15, anno 1908: 14, anno 1909: 11, diebus 23. 25. et 27. mense Iulio anno 1910: 6 et diebus 21. 23. et 25. mense Iulio anno 1911: 12 — summatim 58 clerici, qui, per impositionem manuum episcopalium ministri Dei facti, erant omnes exceptis quattuor alumni dioecesis Lavantinae. Insuper die 28. Maii 1911 quinque Religiosi, professi Ord. Cist. ref. Reichenburgi in capella ad s. Nicolai ibidem et die 19. Novembris 1911 unus alumnus dioecesis Lavantinae in princ.-episc. capella aulica B. M. V. immaculatae Marburgi s. ordinem Presbyteratus susceperunt.

Sacramentum sacrae confirmationis susceperunt e manibus reverendissimi Domini Principis-Episcopi, peracto cum istis examine praescripto, anno 1907: 8319,

anno 1908: 8261, anno 1909: 13.540, anno 1910: 12.485, anno 1911: 10.155 — in summa 52.760.

Qui omnes confirmati sunt vel in ecclesia cathedrali s. Ioannis Bapt. Marburgi, ubi quotannis die Dominica Pentecostes, celebrata Missa pontificali et data Benedictione apostolica cum plenariis indulgentiis, sacramenti confirmationis administratio fit, vel vero in singulis ecclesiis parochialibus dioecesis Lavantinae occasione visitationis episcopalis.

III. Benedictiones.

Benedicta sunt *anno 1907*: Praesepe D. N. I. Chr. unacum statuis B. M. V., sacratissimi cordis Iesu et purissimi cordis Mariae, s. Ioachim et s. Annae pro ecclesia parochiali B. M. V. in coelum assumptae in Kapele die 1. Maii 1907. — Baldachinum, vexillum cum imaginibus B. M. V. et s. Iacobi apost., duo vexilla (sine imag.), alba et velum oblongum pro ecclesia parochiali s. Iacobi apost. in Lembach die 20. Maii 1907. — Capella B. M. V., exstructa a Francisco Witzmann in parochia B. M. V. in Eremo, una cum statuis sacratissimi cordis Iesu, s. Ioseph et s. Francisci Xaverii ac cum imaginibus B. M. V., ss. apost. Petri et Pauli, s. Andreae apost. et s. Annae die 25. Maii 1907. — Imago altaris maioris in ecclesia parochiali Omnium Sanctorum prope a Mihalovci die 18. Iunii 1907. — Lapis primarius pro aedificando novo paedagogio sororum scholarium Marburgi die 26. Iunii 1907.

Crux cum globo pro turri ecclesiae parochialis s. Barbarae penes Borl die 30. Iunii 1907. — Via circularis trans montem Okič inter parochias s. Barbarae penes Borl et s. Andreae prope a Leskovec die 30. Iunii 1907.

Quattuor campanae pro ecclesia parochiali s. Martini in Teharje die 7. Iulii 1907. — Tres campanae pro ecclesia parochiali s. Margaritae in Kebelj die 17. Iulii 1907. — Vexillum congregationis Marianae iuvenum cum imaginibus B. M. V. et s. Ioseph et confessionale in ecclesia parochiali s. Iacobi in Pameče die 27. Iulii

1907. — Vexillum congregationis Marianae iuvenum et puellarum cum imaginibus sacratissimi cordis Iesu et immaculatae B. M. V. in ecclesia parochiali s. Aegidii prope a Turjak die 31. Iulii 1907. — Campana maior in ecclesia filiali s. Crucis in Monte olivarum parochiae s. Margaritae penes Polzela die 25. Augusti 1907.

Duae campanae pro capella in Schöpfendorf, parochiae B. M. V. in coelum assumptae in Apače, Marburgi die 5. Septembris 1907. — Nova domus scholaris pro caes. reg. paedagogio Marburgi die 22. Septembris 1907.[1] — Quattuor campanae pro ecclesia parochiali s. Martini in Hajdinja die 29. Septembris 1907. — Statuae s. Antonii Pad., s. Blasii, s. Ludovici Tolosani, s. Philumenae, s. Barbarae et s. Agnetis una cum crucibus et tabernaculis pro duobus altaribus minoribus in Basilica s. Mariae matris misericordiae Marburgi necnon electromotor pro Basilica et monasterio s. Francisci, ibidem stante, die 20. Octobris 1907. — Praesepe D. N. I. Chr. una cum congruis statuis in ecclesia cathedrali et parochiali s. Ioannis Bapt. Marburgi die 24. Decembris 1907. — Calices 36, patenae 35 in capella residentiali Marburgi decursu anni 1907.

Anno 1908: Capella cum altari s. Barbarae et mausoleum familiarum d'Orsay-Löwenthal in parochia s. Chunegundis superioris, insuper imago s. Barbarae, crux altaris, crux in pariete, crux supra sepulchrum erecta, ornamenta altaris, tobaleae et mappae altaris, imago s. Georgii die 9. Maii 1908. — Statuae s. Ioannis Nep., s. Francisci Xaverii, s. Ioachim et s. Annae nec non imagines quattuor ss. Evangelistarum, sanctissimae Trinitatis, Nativitatis et Fugae D. N. I. Chr. in Aegyptum, Christi docentis in templo, Desponsationis, Annunciationis, Visitationis et Coronationis B. M. V., sacratissimi cordis Iesu et immaculatae Conceptionis B. M. V. in ecclesia parochiali s. Georgii in Coll. slov. die 12. Maii 1908.

[1] Das Einweihungs- und Eröffnungsfest der neuen k. k. Lehrerbildungsanstalt in Marburg, am 22. September 1907. Von Dr. Michael Napotnik, Fürstbischof von Lavant. Marburg, 1908. 8°. Pagg. 57.

Crux pro altari maiore in ecclesia parochiali s. Martini in Teharje die 2. Iunii 1908. — Imago renovata pro altari maiore in ecclesia parochiali s. Georgii iuxta fluvium Pesnica die 9. Iunii 1908. — Baldachinum cum imagine sacratissimi cordis Iesu in ecclesia parochiali s. Iacobi in Coll. slov. die 15. Iunii 1908. — Imago renovata pro altari maiore necnon vexillum processionale cum imaginibus s. Andreae apost. et s. Floriani in ecclesia parochiali s. Andreae in Svečina die 16. Iunii 1908. — Lapis primarius pro aedificanda ecclesia parochiali s. Iacobi in Dol die 28. Iunii 1908. — Lapis primarius pro aedificanda ecclesia parochiali B. M. V. de Lourdes in Reichenburg, statua B. M. V. de Lourdes pro ecclesia parochiali s. Georgii in Zdole necnon fornax coctoria laterum in Reichenburg die 16. Iulii 1908. — Statua s. Francisci Xaverii in parochiali ecclesia s. Oswaldi die 28. Iulii 1908.

Noviter exstructa domus sanatoria militaris »Kaiser Franz Josef I. Jubiläumsstiftung« in Slatina die 5. Augusti 1908. — Tres campanae pro ecclesia parochiali Sancti Spiritus in Artiče die 9. Augusti 1908. — Altare sacratissimi cordis Iesu in ecclesia filiali ss. Trium Regum, parochiae s. Benedicti in Coll. slov. die 15. Augusti 1908. — Vexillum processionale congregationis Marianae iuvenum cum imaginibus B. M. V. immac. et s. Aloysii in ecclesia parochiali s. Annae in Fram die 22. Augusti 1908. — Statua s. Familiae Nazarethanae, coemeterium et duae campanae pro ecclesia parochiali in Fram die 23. Augusti 1908.

Nova domus scholaris pro paedagogio sororum scholarium Marburgi die 27. Septembris 1908. — Nova domus pro excolendis puellis sororum scholarium Tergesti die 1. Octobris 1908. — Campana maior pro ecclesia parochiali s. Petri prope a Radgona die 11. Octobris 1908. — Tabula marmorea, in memoriam Suae caes. ac reg. Apostolicae Maiestatis Francisci Iosephi I. per duodecim lustra imperantis constructa, in ecclesia cathedrali et parochiali s. Ioannis Bapt. Marburgi die 2. De-

cembris 1908. — Tres campanae pro ecclesia parochiali Sancti Spiritus prope a Središče die 13. Decembris 1908. — Calices 52, patenae 52 in capella residentiali Marburgi decursu anni 1908.

Anno 1909: Novum organum una cum imagine s. Caeciliae in ecclesia cathedrali et parochiali s. Ioannis Bapt. Marburgi die 18. Februarii 1909. — Duae campanae in capella monasterii Carmelitarum Marburgi die 6. Iunii 1909. — Duo vexilla cum imaginibus sanctissimi Sacramenti, B. M. V. et s. Ioseph in ecclesia parochiali s. Georgii in Coll. slov. die 12. Iunii 1909. — Statua B. M. V. de Lourdes in ecclesia parochiali s. Benedicti in Coll. slov. die 14. Iunii 1909. — Crux campestris, erecta ab Aloysio Kottas nobili de Heldenberg, in parochia s. Leonardi in Coll. slov. die 17. Iunii 1909. — Septem cruces in parochiali ecclesia s. Martini in Hajdinja die 26. Iunii 1909. — Imago s. Francisci de Assisi pro altari minore in ecclesia parochiali ss. apost. Petri et Pauli Petovii die 28. Iunii 1909.

Crux turris cum globo pro ecclesia parochiali s. Marci prope a Petovio die 1. Iulii 1909. — Capella in honorem B. M. V. de sacratissimo corde Iesu, via Crucis, tres cruces, imago s. Aloysii et statuae sacratissimi cordis Iesu, s. Ioseph, s. Francisci de Assisi et s. Antonii Pad. in paedagogio »Kaiser Franz Josef I. Jubiläums-Lehrerinnenbildungsanstalt« nuncupato sororum scholarium Marburgi die 6. Iulii 1909. — Noviter exstructa capella una cum statua s. Ioseph in Gaberje parochiae B. M. V. in Dobova die 12. Iulii 1909. — Sipho pro »Gasilno društvo« in Pišece die 14. Iulii 1909. — Statuae renovatae s. Gregorii Mag., s. Hieronymi, s. Ambrosii et s. Augustini in altari maiore, duo nova vexilla cum imaginibus B. M. V. de Lourdes, s. Ioseph, s. Ruperti, ss. Cyrilli et Methodii, imago s. Ioseph prope ab altari maiore, crux renovata in memoriam sacrae missionis, tabernaculum renovatum in altari s. Antonii Pad. et nonnulla paramenta in ecclesia parochiali s. Ruperti in Coll. slov. die 28. Iulii 1909.

Campana maior pro ecclesia parochiali s. Crucis supra Marburgum die 15. Augusti 1909. — Duae cruces pro cultu publico, renovata capella publica s. Crucis, duae campanae, imagines sacratissimi cordis Iesu et purissimi cordis Mariae, renovatum presbyterium una cum imaginibus quattuor ss. Evangelistarum in ecclesia parochiali B. M. V. ad Nives die 22. Augusti 1909. — Novae statuae s. Elisabeth, sacratissimi cordis Iesu et purissimi cordis Mariae et imago B. M. V. de sacratissimo rosario in ecclesia parochiali s. Elisabeth in Ljubno die 1. Septembris 1909. — Tabernaculum et statuae s. Nicolai et ss. Cyrilli et Methodii pro altari maiore, imagines ss. archangelorum Michaelis et Raphaelis in fenestris presbyterii, imagines in parietibus s. Ambrosii s. Augustini, s. Hieronymi, s. Gregorii Mag., s. Agnetis, s. Catharinae, s. Teresiae, s. Elisabeth, s. Martini, s. Ioannis Nep., s. Stanislai, s. Aloysii, regis Davidis, s. Caeciliae, s. Francisci Ser., s. Magdalenae et s. Nicolai in ecclesia parochiali s. Nicolai in Sevnica die 12. Septembris 1909.

Crux, statuae s. Mariae matris dolorosae et s. Ioannis apost. et evang., imagines purgatorii et coeli pro altari s. Crucis, crux processionalis et septem confessionalia in Basilica Matris misericordiae Marburgi die 17. Octobris 1909. — Oratorium renovatum B. M. V. immaculate conceptae in nosocomio Marburgi una cum tabernaculo, statuis altaris B. M. V., s. Ioseph et s. Vincentii de Paulo, insuper imago s. Aloysii supra statuam Immaculatae die 7. Novembris 1909. — Tabula marmorea, in memoriam iubilaei argentei episcopatus Pii PP. X. in ecclesia cathedrali et parochiali s. Ioannis Bapt. Marburgi exstructa, die 21. Novembris 1909. — Coemeterium pro familia de Rossmanit in Radvanje prope a Marburgo die 22. Decembris 1909. — Calices 40, patenae 41 in capella residentiali Marburgi decursu anni 1909.

Anno 1910: Ciborium pro caes. reg. paedagogio Marburgi die 21. Februarii 1910. — Crux pro cultu publico, crux usui privato inserviens, imagines sacratissimi

cordis Iesu et purissimi cordis Mariae necnon nonnulla rosaria in princ.-episc. Villa Leitersbergi die 13. Maii 1910. — Statuae sacratissimi cordis Iesu et purissimi cordis Mariae pro altaribus minoribus, vexillum cum imaginibus Iesu puritatis virginum et B. M. V. immaculatae pro congregatione Mariana puellarum in ecclesia archiparochiali s. Georgii in Hoče die 16. Maii 1910. — Statua B. M. V. immaculatae et duo confessionalia in ecclesia parochiali s. Annae in Fram die 17. Maii 1910. — Imagines ss. Cyrilli et Methodii et novum organum pro ecclesia parochiali s. Laurentii in Campo Dravi necnon paramenta et altaris mappae pro ecclesia filiali s. Antonii eremitae die 23. Maii 1910. — Statua s. Antonii Pad. et candelabrum in ecclesia parochiali B. M. V. in Črna gora die 24. Maii 1910. — Ecclesia filialis s. Antonii eremitae in Župečja vas parochiae s. Laurentii in Campo Dravi et pro ista ecclesia imagines sacratissimi cordis Iesu et purissimi cordis Mariae, statuae s. Antonii eremitae, s. archangeli Michaelis, s. Ioannis Bapt., B. M. V., armarium in sacristia, organum renovatum, tabernaculum cum cruce die 24. Maii 1910.

Mappae et linteamina, ornamenta et statuae B. M. V. immaculatae, s. Ioannis apost. et evang., s. Ioseph, s. Barbarae, s. Annae, s. Ioachim necnon cruces et tabernacula pro utroque altari consecrato in ecclesia parochiali s. Iacobi in Dol, porro pro ista ecclesia statuae s. Iacobi Maior. apost., ss. apostolorum Petri et Pauli, Simonis et Andreae, divini Salvatoris resurg., boni Pastoris supra ambonem ac duo confessionalia diebus 2. et 3. Iunii 1910. — Mappae et linteamina pro altari maiore, casula cum additamentis, vexillum cum imaginibus sacratissimi cordis Iesu et s. Aloysii in ecclesia parochiali s. Aegidii prope a Velenje die 11. Iunii 1910.

Vexillum cum imaginibus sacratissimi cordis Iesu et B. M. V. immaculatae pro congregatione Mariana virginum, quattuor fenestrae in presbyterio cum imaginibus B. M. V. »sedež modrosti«, s. Barbarae »podoba srčno-

sti«, s. archangeli Michaelis »vzor pravičnosti« et s. Ioannis Bapt. »vzgled zmernosti« pro ecclesia parochiali s. Georgii in Škale die 13. Iunii 1910. — Statuae sacratissimi cordis Iesu et purissimi cordis Mariae, s. Ioseph, crux altaris, mappae, linteamina et alia ornamenta pro neoconsecrato altari sacratissimi cordis Iesu in Basilica Matris misericordiae Marburgi die 26. Iunii 1910.

Statuae sacratissimi cordis Iesu et purissimi cordis Mariae, imagines B. M. V. in coelum assumptae, s. Antonii Pad., vexillum processionale cum imaginibus sanctissimae Trinitatis et sanctorum Cyrilli et Methodii in ecclesia parochiali sanctissimae Trinitatis in Mala Nedelja die 1. Augusti 1910. — Vexillum cum imagine s. Georgii pro societate Veteranorum ad s. Georgium iuxta fluvium Ščavnica die 2. Augusti 1910. — Duae fenestrae cum imaginibus s. Ioseph cum divino Infante et s. Annae cum filia Maria pro ecclesia parochiali s. Magdalenae in Kapela die 3. Augusti 1910. — Mappae, linteamina aliaque ornamenta, crux altaris, tabernaculum, statuae sacratissimi cordis Iesu, beati Ioannis Gabrielis Perboyre, beati Francisci Clét, duorum angelorum, imagines relevatae s. Andreae apost., Transfixionis sacratissimi cordis Iesu in monte Calvaria, Manifestationis sacratissimi cordis Iesu et animarum in purgatorio detentarum pro ecclesia s. Ioseph in Studenci die 21. Augusti 1910.

Archidiaconus Dom. Franciscus Hrastelj in Konjice, eiusdem indumenta pontificalia et insignia necnon lapidea tabula votiva die 28. Augusti 1910. — Imagines sacratissimi cordis Iesu et purissimi cordis Mariae in ecclesia parochiali B. M. V. in Brezno die 5. Septembris 1910. — Statuae B. M. V. immaculatae et s. Ioseph pro noviter aedificata ecclesia parochiali beatae Mariae Lourdes Reichenburgi, in oppido Lourdes in Gallia die 26. Septembris 1910. — Statua sacratissimi cordis Iesu pro supra nominata ecclesia parochiali in oppido Paray-le Monial in Gallia die 29. Septembris 1910.

Capella et altare s. Crucis in castello »Gutenhaag« Aloysii Kottas nobilis de Heldenberg parochiae s. Ruperti

in Coll. slov., dein ibidem altaris imago s. Crucis cum Christo crucifixo, statuae s. Ernesti et s. Ioannis Nepomuc., tabernaculum, ornamenta altaris, duae statuae B. M. V. de Lourdes, septem cruces usui privato inservientes, imago sacratissimi cordis Iesu et imago purissimi cordis Mariae die 23. Octobris 1910. — Abbas ord. Cisterc. reform. P. Placidus Epalle Rajhenburgi die 18. Decembris 1910. — Calices 52, patenae 51 in capella residentiali Marburgi decursu anni 1910.

Anno 1911: Duae coronae pro divino Infante eiusque Genitrice, Domina nostra de sacratissimo corde Iesu, in oratorio privato apud scholares sorores Marburgi die 25. Martii 1911. — Linteamina et ornamenta in genere pro altari maiore ecclesiae parochialis B. M. V. in Novaštifta prope a Gornjigrad die 21. Maii 1911. — Novum tabernaculum, vexillum processionale cum imaginibus B. M. V. immaculatae et s. Bartholomaei apostoli, tapete et linteamina pro ecclesia parochiali s. Bartholomaei apost. in Ribnica die 6. Iunii 1911.

Chrismale pro altari maiore, via Crucis, statuae sacratissimi cordis Iesu, s. Ioseph et s. Barbarae, tabernaculum, crux, candelabra et ornamenta pro altari minore sacratissimi cordis Iesu, statuae purissimi cordis Mariae, s Floriani et s. Stephani, tabernaculum, crux, candelabra et ornamenta pro altari minore purissimi cordis Mariae, crux pro credentia in ecclesia parochiali ss apost. Philippi et Iacobi in Laporje die 11. Iunii 1911. — Via Crucis pro ecclesia parochiali s. Crucis in Poličane die 25. Iunii 1911.

Capella cum statua B. M. V. de Lourdes in Doberna die 3. Iulii 1911. — Novum tabernaculum, duo cussini, duo candelabra, bursa pro ecclesia parochiali s. Leonardi in Novacerkev die 4. Iulii 1911. — Vexillum pro congregatione Mariana virginum cum imaginibus B. M. V. immaculatae et angelorum Sanctissimum adorantium, vexillum pro congregatione Mariana iuvenum cum imaginibus sacratissimi cordis Iesu et s. Aloysii pro ecclesia parochiali s. Aegidii in Zreče die 6. Iulii 1911. — Fundus

pro capella B. M. V. de Lourdes exstruenda in parochia s. Aegidii in Zreče die 8. Iulii 1911. — Vexillum pro congregatione virginum et mulierum cum imaginibus Mariae matris dolorosae et s. Annae in Konjice die 9. Iulii 1911. — Via Crucis, vexillum pro congregatione Mariana virginum cum imaginibus B. M. V. immaculatae et s. Agnetis, antipendium pro altari maiore in ecclesia parochiali B. M. V. in Prihova die 10. Iulii 1911.

Vexillum pro congregatione Mariana virginum cum imaginibus B. M. V. immaculatae et s. Ioseph, picturae in nova ecclesia parochiali s. Ioannis Bapt. in Čadram et quidem: Annunciationis nativitatis s. Ioannis Bapt., Visitationis B. M. V., »Ecce Agnus Dei«, Decollationis s. Ioannis Bapt., s. Ioannis Bapt. cum Christo et Maria in coelis, Moysis et regis Davidis, ss. apost. Petri et Pauli, Adami et Evae, s. Familiae Nazarethanae, Assumptionis B. M. V., Fugae in Aegyptum, quattuor angelorum cum symbolis ex Litaniis Lauretanis, Ascensionis D. N. I. Chr., Christi in monte Oliveti orantis, quattuor angelorum cum signis Passionis D. N. I. Chr., s. Matthaei evang. et s. Gregorii Mag., s. Marci evang. et s. Hieronymi, s. Lucae evang. et s. Ambrosii, s. Ioannis evang. et s. Augustini, s. Benedicti et s. Dominici, s. Francisci de Assisi et s. Ignatii, duorum angelorum cantantium, ornamenta diversa die 11. Iulii 1911. — Cancelli et velum oblongum pro ecclesia parochiali Sancti Spiritus in Loče die 12. Iulii 1911. — Quattuor novae campanae pro ecclesia archiparochiali s. Bartholomaei apost. in Rogatec die 16. Iulii 1911. — Tobaleae, sex candelabra pro altari maiore, duo candelabra magna lateralia ad altare maius, lampas coram Sanctissimo perpetuo collucens, candelabrum pendens medio ex lacunari, octo imagines angelorum in presbyterio, picturae ornamentales in parietibus ecclesiae, scamna in ecclesia, duo confessionalia pro ecclesia parochiali B. M. V. in Cirkovce die 8. Septembris 1911. — Coemeterium, crux in coemeterio cum statuis Matris dolorosae et s. Ioannis evangelistae pro parochia B. M. V. in Cirkovce die 9. Sep-

tembris 1911. — Via Crucis in XIV Capellis iuxta viam a Samaria ad ecclesiam filialem s. Rochi, omnes statuae et picturae in praedictis capellis, statua s. Rochi et B. M. V. in supra nominata ecclesia s. Rochi die 8. Octobris 1911.

Tabernaculum, crux et ornamenta necnon linteanima pro altari, lampas pro lumine perpetuo coram Sanctissimo, picturae ornamentales et via Crucis in Oratorio Asyli infantium ad officinas viae ferreae australis Marburgenses pertinentis die 15. Octobris 1911. — Calices 40, patenae 39 in capella residentiali Marburgi defluxu anni 1911.

Anno 1912 hucusque: Tobaleae pro tribus consecratis altaribus, crux pro altari sacratissimi rosarii B. M. V. in ecclesia parochiali ss. apost. Philippi et Iacobi in Laporje die 5. Maii 1912. — Chrismale cum reliquis tobaleis, tabernaculum, crux supra tabernaculum, statuae duorum angelorum et ornamenta pro marmoreo altari maiore in ecclesia parochiali s. apostoli Petri prope a Marburgo die 16. Maii 1912. — Baldachinum cum imaginibus Agni Dei, pelicani, calicis et sacratissimi cordis Iesu, duo vexilla processionalia cum imaginibus s. Barbarae V. M. et s. apost. Bartholomaei nec non ss. apost. Philippi et Iacobi in ecclesia parochiali s. Barbarae prope a Vurberg die 19. Maii 1912. — Novum organum pro ecclesia parochiali s. Martini in Kamnica die 28. Maii 1912. — Imagines pro primo tholo (adoratio sanctissimi Sacramenti) s. Thomae Aquin., s. Alphonsi Mariae de Ligorio, s. Veronicae de Iulianis et s. Clarae una cum quattuor symbolis ex Litaniis sanctissimi Sacramenti inter imagines: Iesu fontis omnium gratiarum, Iesu sacrificii incruenti, Iesu agni immaculati et Iesu mannae absconditae; imagines pro secundo tholo (adoratio sacratissimi cordis Iesu) s. Francisci Sal., s. Bonaventurae, b. Margaritae M. Alacoque et s. Mechtildis; imagines pro tertio tholo (adoratio s. Crucis) s. apost. Andreae, s. Francisci de Assisi, s. Helenae et s. Catharinae Sen. in ecclesia parochiali s. Margaritae ad fluvium Pesnica die 2. Iunii 1912. — Calices 20, patenae 21 in capella residentiali Marburgi.

IV. Sacrae missiones.

Anno 1907: ad s. Aegidium prope a Velenje, ad B. M. V. in coelum assumptam Celeiae, in Doberna (trid.), in Dobje, ad sanctissimam Trinitatem in Haloze, in Buče, in Galicija (trid.), in Velika Nedelja, in Jarenina (trid.), ad s. Chunegundem in monte Pohorje (trid.), in Ljutomer (trid.), ad s. Magdalenam Marburgi (exerc.), ad s. Margaritam prope a Polzela (ador. perp.), in Makole (trid.), ad s. Michaelem supra Mozirje, ad s. Nicolaum prope ab Ormož, ad s. Oswaldum (trid.), in Pilštanj (ador. perp. et noven.), ad s. Petrum prope a Marburgo (trid.), ad s. Danielem in Razbor, in Ribnica (2 trid.), in Rogatec (trid.), in Slivnica prope ab Hoče, in Šromlje (ador. perp.), in Frankolovo (trid.), in Stoperce (trid.), in Trbovlje, ad s. Vitum prope a Planina (ador. perp.), ad s. Vitum prope a Petovio, ad s. Andream in Belevode (trid.), in Slovenska Bistrica (trid.), in Slovenjgradec (trid. occasione iubilaei septingentesimi nativitatis s. Elisabeth), in Podčetrtek (ador. perp.) et in Zagorje (ador. perpetua).

Anno 1908: in Staritrg (iubil.), ad B. M. V. in coelum assumptam Celeiae (iubil.), in Doberna (trid.), in Kozje (trid.), ad s. Georgium prope a Celeia (ador. perp.), ad s. Gertrudem supra Tiberium, in Konjice (miss. et trid.), in Hajdinja, in Jarenina (iubil.), ad s. Ioannem Bapt. in Campo Dravi (ador. perp.), in Hoče, ad s. Chunegundem in monte Pohorje, ad s. Laurentium in Campo Dravi (ador. perp.), in Ljutomer (trid. et exerc.), ad s. Magdalenam Marburgi (exerc.), in ecclesia cathedrali et parochiali s. Ioannis Bapt. Marburgi (iubil.), ad s. Mariam matrem misericordiae Marburgi (trid.), ad B. M. V. in Črna gora (ador. perp.), ad B. M. V. ad Nives (iubil.), ad s. Martinum prope a Slovenjgradec (trid.), ad s. Petrum prope a Königsberg (ador. perp.), ad s. Petrum in Kronska gora, ad s. Petrum prope a Marburgo (trid. et iubil.), ad s. Petrum prope a Radgona, in Pišeče, in Podgorje, ad s. Ioanem Bapt. in Razbor (iubil.), in Ribnica (trid.), in Reichenburg,

in Remšnik, ad s. Rochum iuxta fluvium Sotla (exerc.), in Slivnica prope a Celeia (trid.), in Sromlje (ador. perp.), in Sladkagora (ador. perp.), in Špitalič (trid.), in Dramlje (trid.), in Trbovlje, in Spodnja Polskava (iubil.), ad s. Andream in Belevode (iubil.), in Slovenska Bistrica (trid.), in Podčetrtek (ador. perp.), in Zavodnje, in Zibika et in Cirkovce (ador. perp.)

Anno 1909: in Svetinje (trid.), ad s. Barbaram prope a Borl, in ecclesia s. Caeciliae PP. Capucinorum Celeiae (iubil.), in Doberna (miss. et trid.), in Kozje (ador. perp.), ad s. Georgium in Coll. slov., in Konjice (ador. perp. et trid.) in Kapele prope a Brežice, in Kostrivnica (trid.), in Hoče (ador. perp.), ad s. Crucem supra Marburgum, in Loka (exerc.), ad s. Leonardum prope a Velika Nedelja, ad s. Leonardum supra Tiberium (trid.), ad s. Laurentium in Campo Dravi (exerc.), in Ljutomer (trid.), ad s. Magdalenam Marburgi (exerc. et ador. perp.), ad s. Mariam matrem misericordiae Marburgi (trid. et iubil.), ad s. Marcum prope a Petovio (renov.), in Makole, in Planinski trg, in Pilštanj (trid. et ador. perp.), ad s. Petrum in Medvedovo selo (trid.), ad s. Petrum prope a Marburgo (trid.), ad ss. Petrum et Paulum Petovii, in Podgorje (ador. perp.), in Prevorje (ador. perp.), in Prihova (trid.), ad s. Ioannem Bapt. in Razbor (trid.), in Remšnik (ador. perp.), in Rogatec (trid.), in Slivnica prope ab Hoče (ador. perp.), in Škale, ad s. Stephanum prope a Žusem (trid.), in Dramlje (ador. perp.), in Trbovlje, ad s. Vitum prope a Valdek, in Slovenska Bistrica (trid.), in Podčetrtek (ador. perp.) et ad s. Wolfgangum in Coll. slov.

Anno 1910: ad s. Aegidium prope a Turjak, ad s. Aegidium in Coll. slov., ad s. Benedictum in Coll. slov., ad s. Danielem Celeiae (ador. perp.), ad B. M. V. in coelum assumptam Celeiae (noven.), in Doberna (trid.), in Kozje (ador. perp.), in Vransko, ad s. Georgium sub Tabor (trid.), in Konjice (ador. perp. et trid.), in Podsreda (trid. occasione iubilaei centesimi inde a consecratione ecclesiae parochialis ad s. Ioannis Bapt.), in Dol, in Ka-

lobje, in Kapela prope a Radgona, in Kostrivnica (trid.), in Hoče (ador. perp.), ad s. Crucem prope a Ljutomer (ador. perp.), in Loka, in Laporje, in Loče, ad s. Laurentium supra Marburgum, in Ljutomer (ador. perp.), ad s. Magdalenam Marburgi (exerc. et ador. perp.), in ecclesia cathedrali et parochiali ad s. Ioannem Bapt. Marburgi (conferentiae de rebus religionis), ad s. Margaritam prope a Polzela (ador. perp.), ad s. Margaritam prope a Rimske toplice, ad. B. M. V. in Novaštifta prope a Gornjigrad, in Makole (trid.), ad s. Michaelem supra Mozirje (ador. perp.), in Pilštanj, (trid.), ad s. Petrum in Medvedovo selo (miss. et trid.), ad s. Petrum prope a Königsberg (ador. perp.), ad s. Petrum in Kronska gora (trid.), ad s. Petrum prope a Marburgo (trid.), ad s. Ioannem Bapt. in Razbor (trid.), in Ribnica (trid.), in Rogatec (trid.), in Slivnica prope ab Hoče (quadrid.), in Tinje (quadrid.), Tiberii (trid.), ad s. Vitum prope a Planina, in Slovenska Bistrica (trid.), ad s. Wolfgangum in monte Kog et in Zavodnje.

Anno 1911: ad s. Aegidium prope a Turjak, ad s. Aegidium in Coll. slov., in Bizeljsko, in Brezno (trid.), ad B. M. V. in coelum assumptam Celeiae (conferentiae de rebus religionis), ad s. Danielem Celeiae (renov. et trid.), in Doberna (trid.), in Dobje (trid.), in Dramlje, ad s. Georgium in Coll. slov. (exerc.), in Hoče (ador. perp.), ad s. Ioannem Bapt. in Campo Dravi, in Konjice (trid.), in Kozje (ador. perp. et trid.), ad s. Crucem prope a Slatina, in Ljutomer (trid.), in Leskovec, in Loče, in ecclesia cathedrali et parochiali s. Ioannis Bapt. Marburgi (trid. et conferentiae de rebus religionis), ad s. Magdalenam Marburgi, apud s. Margaritam ad fluvium Pesnica, ad s. Mariam in Eremo, ad s. Mariam matrem misericordiae Marburgi (exerc.), ad s. Martinum in Pohorje, in Muta, ad s. Petrum prope a Marburgo (trid.), ad s. Petrum prope a Radgona (iubil.), in Pilštanj (trid.), in Planina, in Podčetrtek (ador. perp.), ad s. Ioannem Bapt. in Razbor (trid.), in Rogatec (trid.), in Selnica, in Slivnica prope ab Hoče (trid.), in Slivnica prope a

Celeia (trid.), in Slovenska Bistrica (trid.), in Solčava (renov.), in Središče (exerc.), in Stoperce, in Stranice (trid.), in Svečina, in Teharje, in Trbovlje, in Vitanje, in Vuzenica, ad s. Wolfgangum in Coll. slov. (renov.) et ad s. Wolfgangum in Kog.

Anno eucharistico 1912 hucusque: ad s. Aegidium in Coll. slov. (trid. euch.), ad s. Andream supra Polzela (trid.), ad s. Antonium in Coll. slov. (trid.), in Brezno (trid.), in Buče (ador. perp.), ad s. Danielem Celeiae (trid. et devot. euch.), in Cirkovce, in Doberna (trid.), ad s. Georgium in Coll. slov. (ador. perp.), ad s. Georgium prope a Celeia (exerc.), in Hoče (trid. euch.), in Jarenina (trid. euch.), in Konjice (conferentiae de rebus religionis, ador. perp. et devot. euch.), in Lembach (miss. euch.), in Ljutomer (trid. euch.), ad s. Magdalenam Marburgi (exerc.), in ecclesia s. Aloysii Marburgi (devot. euch.), in ecclesia cathedrali et parochiali ad s. Ioannem Bapt. Marburgi (trid. euch., exerc. euch., devot. maialis euch.), ad s. Mariam matrem misericordiae Marburgi (2 trid. euch.), ad B. M. V. ad Nives, ad B. M. V. in Nazaret, in ecclesia B. M. V. soror. schol. III. ord. s. Francisci de Assisi Marburgi (devot. euch.), apud s. Margaritam ad fluvium Pesnica (miss. et exerc.), ad s. Martinum prope a Gornjigrad, in Mozirje, ad s. Nicolaum prope ab Ormož (trid. euch.), in Olimje (ador. perp.), ad s. Georgium Petovii (trid. euch.), ad. s. Petrum in Kronska gora (trid.), ad s. Petrum prope a Marburgo (trid.), ad s. Petrum in Savinjska dolina, in Podčetrtek (ador. perp.), ad s. Primum in monte Pohorje, ad s. Ioannem Bapt. in Razbor (trid.), in Remšnik (trid.), ad s. Rupertum in Coll. slov. (trid.), in Slivnica prope ab Hoče (trid.), in Stoperce (trid.), in Stranice (trid. euch.), in Svetinje (trid. euch.), ad B. M. V. in Šmarje (exerc.), ad s. Thomam prope a Velika Nedelja, in Trbovlje, in Videm (renov.) et in Zreče (trid.).

V. Associationes pro aedificandis ecclesiis.

Associatio pro restauranda ecclesia cathedrali — fundata Marburgi 1891. Protector reverendissimus Dominus

Ordinarius. Praeses Dr. med. Arthur Mally, arcarius Dom. Franciscus Moravec, Parochus. Sodales solvunt annuatim 6 K vel semel pro semper 30 K. Summa collectarum erat 39.960 K 09 h. Ex hac summa persolutae sunt anno 1909 die 16. Iunii pro reparatione turris ecclesiae cathedralis magistratui Marburgensi 20.297 K 07 h. Superest summa 22.086 K 92 h.

Associatio pro aedificanda Basilica Matris misericordiae Marburgi instituta die 14. Iulii 1891. Sodales solvunt singulis annis 1 K 20 h vel uti fundatores semel pro semper 2000 K. Numerus sodalium 68.250. Summa collectarum 934.817 K 18 h. Praeses P. Callistus Heric, O. F. M., ecclesiae parochialis Rector.

Associatio pro exstruenda ecclesia parochiali s. Magdalenae Marburgi constituta 1900. Num. sod. 814, summa collectarum 53.202 K 31 h. Sodales solvunt annuatim 1 K 20 h vel ceu fundatores semel pro semper 1000 K. Praeses Dom. Simon Gaberc, Canonicus honorarius, Parochus et Decanus.

Associatio pro aedificanda nova ecclesia parochiali in Čadram introducta 1885. Num. sod. 2396, summa collectarum 177.046 K 49 h. Praeses Monsig. Georgius Bezenšek, Suae Sanctitatis Camerarius secretus supra numerum, Parochus, princ. - episc. Consiliarius consistorialis.

Associatio pro aedificanda ecclesia parochiali ad s. Petrum »pod Svetimi Gorami« erecta 1893. Num. sod. 523, summa collectarum 45.023 K 17 h. Praeses Dom. Iosephus Tombah, Parochus.

Associatio pro exstruenda ecclesia parochiali ad s. Georgium ad rivum Ščavnica fundata 1892. Num. sod. 1260, summa collectarum 79.669 K 43 h. Praeses Dom. Ioannes Kunce, Parochus.

Associatio pro aedificanda ecclesia parochiali ad s. Martinum iuxta fluvium Paka constituta 1894. Num. sod. 121, summa collectarum 34.325 K 47 h. Praeses Dom. Iosephus Kolarič, Parochus.

Associatio pro aedificanda ecclesia parochiali in Vitanje erecta 1889. Num. sod. 352, summa collectarum 12.526 K 40 h. Praeses Dom. Aloysius Arzenšek, Parochus, Consiliarius episcopalis.

Associatio pro sartis tectis ecclesiae archiparochialis ad s. Crucem prope a Slatina convocata 1897. Num. sod. 1058, summa collectarum 12.320 K. Praeses Dom. Archiparochus pro tempore.

Associatio pro restauranda ecclesia parochiali ad s. Leonardum in Coll. slov. instituta 1894. Num. sod. 250 et benefactorum 154, summa collectarum 10.024 K 01 h. Praeses Dom. Iosephus Janžekovič, Parochus.

Associatio pro reaedificanda ecclesia s. Pancratii in parochia Remšnik fundata 1893. Num. sod. 278, summa collectarum anno 1911: 2410 K 07 h. Praeses Dom. Antonius Podvinski, Parochus.

Associatio pro amplianda ecclesia parochiali in Trbovlje concita 1900. Num. sod. 40, summa collectarum 19.592 K 41 h. Praeses Dom. Parochus pro tempore.

Associatio pro aedificanda ecclesia parochiali in Dol orta die 14. Aprilis 1901. Num. sod. 794, summa collectarum 163.240 K 13 h. Praeses Dom. Parochus pro tempore.

Associatio pro construenda turri ecclesiae parochialis ad s. Barbaram penes Vurberg formata die 18. Ianuarii 1900. Num. sod. 115, qui annuatim solvunt 1 K 20 h. Praeses Dom. Iosephus Mihalič, Parochus.

Associatio pro aedificanda ecclesia parochiali in Loka erecta die 6. Martii 1900. Num. sod. 869, summa collectarum 39.428 K 94 h. Praeses Dom. Parochus pro tempore.

Associatio pro aedificanda ecclesia parochiali in Gomilsko instituta 1900. Num. sod. 436, summa collectarum 29.000 K. Praeses Dom. Parochus pro tempore.

Associatio pro aedificanda ecclesia parochiali s. Mariae de Lourdes in Reichenburg fundata die 17. Maii 1901. Num. sod. 23.000, summa collectarum 218.901 K. Praeses Dom. Parochus pro tempore.

Associatio pro fundanda ecclesia parochiali Runae efformata 1899. Num. sod. 558, summa collectarum 23.992 K 34 h. Associatio possidet etiam domum cum pretio 5400 K. Praeses Dom. Parochus pro tempore.

Pro aedificanda nova ecclesia parochiali ad s. Andream in Makole constitutus est anno 1894 coetus, ad quem pertinent Dom. Parochus Michael Lendovšek et quattuor vitrici quique hucusque summam 33.662 K collegit.

Associatio pro aedificanda nova turri campanaria et pro comparandis novis campanis una cum organo pro ecclesia s. Ioseph in Studenci prope ab urbe Marburgensi erecta anno 1901. Summa collectarum 27.500 K.

Associatio pro exornanda ecclesia parochiali s. Nicolai in Sevnica instituta 1906. Num. sod. 436, summa collectarum pro 1911 anno 5576 K 60 h. Praeses Dom. Parochus vel Provisor pro tempore.

Associatio in honorem sacratissimi cordis Iesu pro aedificanda ecclesia parochiali s. Iacobi in Pameče condita anno 1907. Num. sod. 425, summa collectarum 1680 K 75 h. Praeses Dom. Parochus pro tempore.

Associatio in honorem sacratissimi cordis Iesu pro exstruenda ecclesia parochiali s. Georgii in Škale instituta 1909. Num. sod. 280, summa collectarum 702 K 80 h. Praeses Dom. Parochus pro tempore.

Associatio pro aedificanda ecclesia parochiali s. Margaritae prope a Polzela erecta 1909. Num. sod. 237, summa collectarum 31.613 K 51 h. Praeses Dom. Parochus pro tempore.

Associatio pro aedificanda ecclesia ss. Trinitatis in Mala Nedelja convocata anno 1911. Praeses Dom. Parochus pro tempore. Num. sodalium 60, summa collectarum 536 K.

VI. Catholicae associationes.

Associatio perpetuae adorationis ss. Sacramenti et pro exornandis ecclesiis. Fundata est die 27. Maii 1881 et archisodalitati romanae aggregata die 1. Ianuarii 1882.

Praeses Dom. Franciscus Moravec, Parochus. Num. sod. 26.906. Sodales solvunt annuatim 1 K vel ad minimum 24 h. Totalis summa collectarum 134.560 K 90 h.

Confraternitas sacerdotalis adorationis sanctissimi Sacramenti instituta per decretum princ.-episc. Ordinariatus Lavantini de die 6. Novembris 1895 Nr. 2957. Num. sod. 233. Confraternitas aggregata est archiconfraternitati *Lutetiae Parisiorum* existenti, cui addicti sunt plus quam 80.000 sodalium. Directio generalis residet in Conventu de sanctissimo Sacramento Bolzani. Director pro dioecesi Lavantina Dom. Rudolphus Janežič, Pater spiritualis seminarii maioris.

Associatio perserverantiae sacerdotalis constituta anno 1883. Num. sod. 564. Associatio unita est cum archisocietate Vindobonensi numerante circa finem anni 1911 in 223 dioecesibus 21.301 sodales. Director Monsig. Carolus Hribovšek, Praepositus Capituli cathedralis.

Societas sacerdotum dioecesis Lavantinae condita die 14. Novembris 1873 pro sublevandis sacerdotibus dioecesis Lavantinae, qui magno annonae pretio in egestatem redacti sunt aut ob infirmitatem auxilio indigent. Protector reverendissimus Dominus Princeps-Episcopus. Praeses Dom. Dr. Ioannes Mlakar, Decanus Capituli cathedralis. Num. sod. 310. Singuli solvunt annuatim 2 K et semel 100 K. Substantiam 160.000 K efficiunt diversae obligationes et domus hospitalis in thermis Neuhaus-Doberna.

Societas presbyterorum dioecesis Lavantinae instituta anno 1813 ad mutuum auxilium ferendum sacerdotibus defunctis per celebrationem sacrificii Missae cum beneficio altaris privilegiati ex indulto Pii PP. X. de die 28. Februarii 1905. Num. sod. 422.

Societas Ecclesiae protegendae et sacerdotibus defendendis adaptata introducta in Synodo Lavantina, anno 1906 concita et facta. Num. sod. 86, qui solvunt annuatim 4 K. Praeses Dom. Dr. Ioannes Mlakar, Decanus Capituli cathedralis.

Associatio christianarum familiarum in honorem sanctae familiae Nazarethanae introducta per Breve apostolicum Leonis PP. XIII. de die 14. Iunii 1892, in dioecesi commendata litteris pastoralibus de die 21. Ianuarii 1894 et canonice erecta resolutione princ.-episc. Ordinariatus Lavantini de die 10. Martii 1894. Num. familiarum 30.648 cum 150.699 sodalibus. Praeses Monsig. Carolus Hribovšek, Praepositus Capituli cathedralis.

Archiconfraternitas sacratissimi cordis Iesu condita in seminario clericali Marburgensi die 13. Aprilis 1861. Num. sod. 42.400. Director Pater spiritualis seminarii clericalis. In ecclesia s. Ioseph prope a Celeia numerantur 26.062 sodales huius archiconfraternitatis.

Archiconfraternitas purissimi cordis Mariae erecta in seminario clericali Marburgensi die 25. Februarii 1861. Num. sod. 53.300. Director Pater spiritualis seminarii clericalis. In ecclesia s. Ioseph prope a Celeia adnexi sunt huic archiconfraternitati 23.160 sodales.

Archiconfraternitas sacratissimi rosarii canonice erecta in seminario clericali Marburgensi anno 1886, dein translata die 2. Octobris 1904 ad novum in ecclesia cathedrali Marburgi exstructum altare B. M. V. de sacratissimo rosario. Num. sod. 4906. Director Dom. Parochus ecclesiae cathedralis pro tempore. Haec sodalitas etiam pluribus in aliis parochiis dioecesis existit. In ecclesia abbatiali et parochiali Celeiae anno 1891 erecta societas sacratissimi rosarii numerat 8227 sodales.

Confraternitas perpetui sacratissimi rosarii erecta in Selnica penes Marburgum ante annum 1782 pro impetranda felici morte et in auxilium fidelium defunctorum; die 26. Augusti 1867 unita est cum archiconfraternitate ad s. Mariam in Monterone Romae. Num. sod. 50.600. Festum principale celebratur Dominica post Commemorationem Omnium fidelium defunctorum. Praeses Parochus pro tempore in Selnica existens.

Sodalitas doctrinae christianae tradendae vel Congregatio doctrinae christianae, cuius institutio in omnibus et singulis paroeciis dioecesis Lavantinae mandata est

in Synodo Lavantina anno 1906 concita et facta. Sedes centralis existit in ecclesia parochiali ad s. Ioannem Bapt. Marburgi. Sodalitas aggregata est archisodalitati Romae existenti.

Confraternitas in honorem septem dolorum B. M. V. in ecclesia abbatiali et parochiali Celeiae inducta saeculo decimo sexto et denuo confirmata die 12. Ianuarii 1856 a princ.-episc. Ordinariatu Lavantino. Num. sod. continuo 700, qui est numerus clausus et fixus. In locum decedentium assumuntur totidem novi sodales. Sodales solvunt per annum 70 h.

Confraternitas ss. Cyrilli et Methodii erecta anno 1852 a reverendissimo Domino Principe-Episcopo Antonio Martino pro uniendis schismaticis cum Ecclesia catholica. Num. sod. 157.300. Directores Dom. Superior pro tempore domus missionariae ad s. Ioseph prope a Celeia et pro sede Marburgensi Director spiritualis seminarii clericalis.

Confraternitas s. Ursulae instituta in ecclesia PP. Capucinorum s. Caeciliae Celeiae per Breve apostolicum Pii PP. IX. de die 12. Martii 1858 pro impetranda felici morte. Undecim rosae efficiunt unam coronam; tales coronae existunt 8944 cum 99.814 sodalibus. Director Vicarius PP. Capucinorum pro tempore.

Confraternitas B. M. V. de monte Carmelo. Num. sod. in ecclesia s. Ioseph prope a Celeia 30.631, in ecclesia parochiali sanctissimae Trinitatis in Coll. slov. 14.224, in Basilica Matris misericordiae Marburgi 6649 et quam plures in aliis parochiis.

Confraternitas s. Ioseph erecta in ecclesia s. Ioseph prope a Celeia anno 1868. Num. sod. 21.957.

Confraternitas scapularis Passionis D. N. I. Chr. (scapulare rubrum) instituta in ecclesia s. Ioseph prope a Celeia. Num. sod. 25.000.

Confraternitas scapularis immaculatae Conceptionis B. M. V. (scapulare caeruleum) erecta in ecclesia s. Ioseph prope a Celeia. Num. sod. 25.000.

Tertius ordo s. Francisci de Assisi. Num. sod. in Basilica Matris misericordiae Marburgi usque ad 31. Octobris 1911 anni 15.915, in ecclesia B. M. V. in Nazareth 4026, in ecclesia PP. Franciscanorum Runae 1333, in ecclesia PP. Franciscanorum sanctissimae Trinitatis in Coll. slov. 6400, in ecclesia PP. Capucinorum Celeiae 25.381, in ecclesia ss. apostolorum Petri et Pauli Petovii 552.

Societas apostolatus orationis inducta anno 1884. Num. sod. 12.910. Director Pater spiritualis seminarii clericalis.

Congregationes Marianae pro viris, feminis, iuvenibus et virginibus in ecclesia Lavantina ita florent, ut iam in omnibus fere paroeciis peramplae dioecesis existant.

Congregatio Mariana magistrarum sub titulo »Immaculata Conceptio B. M. V. et s. virgo et martyr Philumena« fundata Marburgi die 28. Augusti 1904, complectens duas sectiones — magistrarum et alumnarum. Num. sod. 208. Praeses P. Henricus Heitger S. I., Minister stationis Graecensis.

Congregatio Mariana virorum erecta Marburgi die 4. Aprilis 1910. Praeses Dom. Franciscus Moravec, Parochus. Numerus sodalium 54. Ecclesia congreg. ad s. Aloysii in seminario clericorum.

Insuper foventur in dioecesi Lavantina *confraternitas s. archangeli Michaelis, societas s. Leopoldi, societas B. M. V.* ad sublevandas missiones catholicas in Africa, *societas B. M. V. immaculatae Conceptionis* ad sublevandos fideles catholicos in Oriente, *societas s. Bonifatii, societas s. Infantiae Iesu, custodia honoraria sacratissimi cordis Iesu, confraternitas B. M. V. de sacratissimo corde Iesu, confraternitas S. Spiritus, confraternitas s. Nicolai, confraternitas s. Valentini, confraternitas s. Teresiae, pia unio s. Antonii Pad. Runae.*

Sodalitas s. Hermagorae approbata a princ.-episc. Ordinariatu Lavantino die 5. Iunii 1860 pro edendis libellis cum piis tum profanis, qui salutare pabulum praestent populo fideli, lingua slovenica utenti. Num. sod. 84.855, inter quos degunt infra fines dioecesis La-

vantinae 26.509. Sodales contribuunt annuatim 2 K vel semel pro semper 30 K.

Societas s. Ioseph pro edendis bonis theodiscis libris popularibus canonice erecta Klagenfurti 1894. Num. sod. 180.000, inter quos sunt circa 500 Lavantini. Annuatim solvuntur 2 K.

Sodalitas typographica dioecesis Lavantinae condita die 6. Februarii 1871 pro edendis bonis ephemeridibus. Habet suam propriam domum (ab anno 1905) et suam propriam officinam typographicam s. Cyrilli Marburgi. Praeses Dom. Martinus Matek, Canonicus. Num. sod. 129, qui singuli solvunt annuatim 10 K.

Societas s. Victorini fundata die 8. Augusti 1906 in Synodo dioecesana eo tempore concita et facta et quidem praelecta in conventu synodali constitutione »De utilitate ac necessitate bonorum diariorum«, auspice et suasore reverendissimo Praesule eum in finem, ut edantur et propagentur libri, diaria et alia scripta. Protector celsissimus ac reverendissimus Dominus Princeps-Episcopus. Praeses Dom. Martinus Matek, Canonicus. Num. sod. 135, qui solvunt annuatim saltem 1 K; benefactores ii nuncupantur, qui 100 K, et fundatores, qui 500 K semel pro semper solvunt.

Sodalitas s. Caeciliae pro cantu ecclesiastico promovendo instituta 1887. Num. sodalium annuatim 4 K solventium 52. Praeses Dom. Iosephus Majcen, Canonicus. — Marburgi formata est anno 1906 *sodalitas s. Caeciliae* pro cathedrali et parochiali ecclesia ad s. Ioannem Bapt. Num. sod. subvenientium 102, actualium 40. Annuatim solvendae veniunt 4 coronae. Praeses Dom. Franciscus Moravec, Canonicus et Parochus. — Celeiae aperta est anno 1899 *schola pro excolendis organoedis*, cuius rector est Carolus Bervar, organoedus Celeiae. Usque ad annum 1911 septuaginta tres discipuli examen publicum progressuum subierunt.

Unio catholicorum opificum sociorum facta die 25. Decembris 1855 Marburgi. Num. sod. 56, honorariorum 72 et benefactorum 70. Sodales actuales solvunt sin-

gulis mensibus 40 h, sublevantes autem annuatim 2 K. Protector reverendissimus Dominus Ordinarius. Praeses Dom. Dr. Franciscus Feuš, Professor sacrae Theologiae.

Societas s. Vincentii a Paulo. Prima conferentia initium cepit in parochia s. Magdalenae Marburgi die 30. Martii 1879. Num. sod. actualium 6, sublevantium 279, sublevatorum pauperum 62. Summa collectarum 1911 anno 718 K 21 h. Praeses ad honores Dom. Parochus pro tempore. Praeses actualis Dom. Franciscus Kokol. — Secunda conferentia parochiae s. Ioannis Bapt. Marburgi convocata est die 5. Aprilis 1887. Num. sod. actualium 16, sublevantium 218. Collecta pro sublevandis pauperibus et infirmis anno 1911 attigit summam 1384 K 53 h. Sublevatae autem sunt 12 familiae cum 20 prolibus, 20 viduae cum 34 prolibus et diversae 36 personae pauperes. Praeses Dom. Iosephus Dufek, civis Marburgensis. — Tertia conferentia parochiae s. Mariae matris misericordiae Marburgi condita est mense Maio anni 1910. Num. sod. actualium 15 et sublevantium 114. Summa collectarum anno 1911 usque ad 31. Decembris 1377 K 73 h. Numerus pauperum sublevatorum 1 familia cum 7 prolibus, 1 vidua cum 4 prolibus, 2 coniugati, 1 infans et 22 diversae personae pauperes. Praeses Dom. Ioannes Gratschan, Conductor superior viae ferreae.

Societas mulierum catholica activae christianae caritatis incepit Marburgi die 9. Aprilis 1860. Num. Sod. 440. Protector reverendissimus Dominus Ordinarius. Consulens Dom. Iosephus Majcen, Canonicus. Praeses Matrona Francisca Scherbaum, Domina ordinis Elisabethae II. classis, civis Marburgensis. Sodales solvunt annuatim 4 K. Summa collectarum in subsidium pauperum superat 232.796 K. Anno 1911 collectae sunt 3880 K 81 h. Sublevabantur per annum 100 aegroti pauperes necnon 140 pauperes puellae, visitantes scholam sororum scholarium III. ordinis s. Francisci de Assisi Marburgi.

Unio christianarum mulierum nata Marburgi anno 1902 eum in finem, ut in familiis et in vita publica propagentur praecepta institutaque christiana et ut con-

ditio christianorum opificum et mercatorum promoveatur. Num. sod. 668, qui annuatim solvunt saltem 1 K. Praeses Matrona Teresia Fuchs, aedium custodis uxor.

Societas mulierum catholica activae christianae caritatis formata Petovii die 17. Februarii 1897. Num. sod. 171. Protector reverendissimus Dominus Ordinarius. Consulens Dom. Iosephus Fleck, Praepositus. Praeses Matrona Maria Raschka, vidua c. r. exactoris vectigalium. Sodales solvunt annuatim 2—4 K. Summa collectae 1911 anni 1687 K.

Unio christianarum mulierum instituta Petovii anno 1907. Num. sod. 108. Annuatim solvendae veniunt a sodalibus ordinariis 1 K et a sublevantibus sodalibus 2 K. Anno 1911 collectae sunt 137 K 80 h. Praeses unionis Matrona Anna Stuhec, uxor Doctoris medicinae.

Societas mulierum catholica activae christianae caritatis inita Celeiae die 2. Iunii 1899. Num. sod. 124. Protector reverendissimus Dominus Ordinarius. Consulens Dom. Franciscus Ogradi, Abbas. Praeses Matrona Leopoldina Schellander. Sodales solvunt annuatim pro beneplacito suo ad maximum 2 K. Collecta 1911 anno attigit summam 3651 K 32 h.

Associatio catholica pro sublevanda schola privata sororum scholarium III. ord. s. Francisci de Assisi Celeiae fundata 1878. Num. sod. 324. Protector reverendissimus Dominus Ordinarius. Praeses Dom. Franciscus Ogradi, Abbas. Sodales solvunt annuatim 4 K, fundatores semel pro semper 80 K. Sodales sublevantes vero solvunt per anni decursum 1 K 04 h. Collecta 1911 anno complevit summam 4816 K 24 h.

Associatio catholicorum operariorum constituta 1895 Marburgi pro sublevanda sorte operariorum. Num. sod. 389. Praeses Dom. Martinus Matek, Canonicus. Sodales sublevantes solvunt annuatim 2 K, actuales per mensem 40 h. Summa collectae 1911 anno 3680 K 42 h. — Anno 1911 initium cepit Marburgi *organisatio iuvenum* sub rectore Dom Ioanne Bogovič, chori vicario et catecheta.

Associatio catholicorum operariorum instituta die 14. Februarii 1895 in Žalec. Num. sod. 42. Praeses Dom. Bartholomaeus Meh, sartor. Sodales ordinarii solvunt singulis mensibus 20 h, sublevantes annuatim 1 K. Summa collectarum 145 K 85 h. Associatio possidet bibliothecam pro operariis.

Associatio catholicorum operariorum facta die 20. Septembris 1896 in Konjice. Num. sod. 50. Praeses Dom. Archidiaconus pro tempore. Sodales actuales solvunt singulis mensibus 30 h, sublevantes annuatim 8 K vel semel pro semper 50 K. Summa collectae 1911 anno 12 K 35 h.

Societas „Marianum“ pro sublevandis et protegendis ancillis vacantibus fundata Marburgi die 21. Decembris 1899. Director Dom. Martinus Matek, Canonicus. Num. sod. 492. Sodales actuales solvunt annuatim 3 K, sublevantes 4 K. Sodales in »Mariano« subsunt regimini sororum scholarium III. ordinis s. Francisci de Assisi Marburgensium.

Associatio pro sublevandis organoedis condita die 8. Novembris 1910 Celeiae in honorem s. Caeciliae. Protector reverendissimus Dominus Ordinarius. Praeses Dom. Carolus Bervar, organoedus ecclesiae abbatialis et parochialis apud s. Danielem Celeiae.

Associatio catholicorum magistrorum opificum (Meisterverein) erecta 19. Iulii 1901 Marburgi. Num. sod. 70. Praeses ad honores Dom. Dr. Franciscus Feuš, Professor sacrae Theologiae. Praeses actualis Dom. Georgius Stern, aedium possessor Marburgi. Sodales actuales solvunt singulis mensibus 40 h, sublevantes annuatim saltem 2 K.

Associatio catholicorum operariorum convocata die 12. Octobris 1902 ad s. Mariam in Eremo. Num. sociorum actualium 38, sublevantium 8. Praeses Dom. Ioannes Perše, possessor. Consulens Dom. Casparus Zernko, Parochus loci. Sodales solvunt annuatim 4 K 80 h. Summa collectae 1911 anno 123 K 20 h.

Unio catholica scholaris pro imperio austriaco — sectio parochialis »ad s. Ioannem Bapt Marburgi« for-

mata die 3. Februarii 1907. Praeses Dominus Pius Baro Twickel, Dominus praedii Marburgi. Num. sod 114. Sodales solvunt per singulos annos 1 K 20 h.

Societas *Patronage in opere s. Philippi Nerii pro puellis* constituta Marburgi die 12. Aprilis 1908. Numerus puellarum 90. Fundatrix et praeses Mechtildis Baronessa Twickel, Domina praedii Marburgi. Catecheta Dom. Dr. Franciscus Lukman, Professor sacrae Theologiae. Patronessae numerantur 14. Leo XIII. concessit societati indulgentias et privilegia per Breve de die 13 Septembris 1901.

Unio catholica iuvenum Marburgi, cuius statuta approbata sunt a princ-episc. Ordinariatu Lavantino per decretum de die 28. Aprilis 1912 Nr. 2090.

Videte fructus uberrimos christianae operationis socialis in dioecesi Lavantina! Dum Vos, dilectissimi cooperatores in vinea Domini, de Vestra sollertia laudamus et Vobis pro tot tantisque exantlatis laboribus grates referimus promeritas, cohortamur Vos paterno cum affectu, ne remittat sollicitudo Vestra in munere pastorali, quia non potest Vos latere, quanti momenti sit operatio socialis nostris hisce temporibus.

Mémores manete moniti Archiepiscoporum et Episcoporum ditionis austriacae de die 16. Novembris 1910 ad Clerum directi: »Episcopis alte persuasum est, Clerum ad id quoque vocari, ut actionem quam socialem vocant, iuxta spiritum Ecclesiae et doctrinam a Leone XIII. f. r. traditam promoveat et evolvat . . . Ad actionem Cleri socialem pertinet etiam cura de associationibus catholicis e. g. magistrorum, iuvenum, opificum, operariorum.«[1]

Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur, et in ea invenies thesaurum. (Eccli. 40, 18).

[1] Folium officiale dioecesis Lavantinae. 1910. Num. XIII. alin. 116. pag 191.

Titulus secundus.

De cultu divino.

Deum colere est divinam eius maiestatem nostramque dependentiam agnoscere et manifestare. Quum ergo cultus divinus in mutua relatione hominis erga Deum, creaturae erga Creatorem fundetur atque in agnitione supremae superioritatis Dei super nos existat, evidens est huius cultus necessitas eiusque dignitas.

Anima et corpus, quibus homo constat, obligantur, ut Creatorem suum laudent. Itaque cultus internus et externus debetur Deo. *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* (Matth. 4, 10). Cultus quoque publicus Deo exhibendus est ab homine, tamquam ente sociali. Ipsa societas humana a Dei providentia dependet summoque bonorum largitori gratias agere tenetur totum genus humanum. *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos et non ipsi nos . . . Introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis: Confitemini illi!* (Ps. 99, 3. 4).

Externus cultus publicus est internae pietatis splendor, ille fovet et nutrit eam. Prout flamma flammis accrescentibus crescit, consimili modo fides et devotio nostra exemplis coetus christiani, ad Dominum glorificandum congregati, augmenta capit. Sola sancta Ecclesia, divinitus instituta, praescribit ritus ac caeremonias, quibus nos Deum digne colere decet.

Ideo ea, quae ab Ecclesia ad cultum Dei promovendum sapienter instituuntur, religiose sunt observanda. Ut autem cultus ad digne Deum honorandum ordinatus iuxta sensum matris Ecclesiae a populo comprehendatur exerceaturque, a ministro Dei vocato rite explicetur per propriumque potissimum exemplum intimetur. *Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue*

instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt.[1]

Caput CLXII.

De servando ordine cultus divini publici.

In Synodo dioecesana, anno 1906 concita et facta, generales quaedam normae editae sunt de servando ordine in cultu Dei publico peragendo.[2]

Quum e relationibus, tenore litterarum princ.-episc. Consistorii de die 16. Aprilis 1906 Num. 1501 ab officiis parochialibus transmissis, ob earum mancam conditionem elenchus generalis sacrarum functionum per decursum anni in singulis parochiis dioecesis Nostrae occurrentium confici non potuisset, in eadem Synodo mandavimus, ut a parochis liber agendorum, in quo accuratus contineretur elenchus omnium functionum ecclesiasticarum, tam in ecclesia parochiali quam in filialibus peragendarum, conficeretur et princ.-episc. Curiae substerneretur usque ad finem mensis Maii 1908.

Neque ex his relationibus, a nonnullis animarum curatoribus tempore praefixo propositis, memoratus elenchus generalis componi potuit. Quapropter ex ordinationibus in dioecesi Nostra vigentibus nec non ratione habita circumstantiarum, quae nunc sunt, summarium cultus divini publici confici curavimus eum in finem, ut maiores saltem discrepantiae in publico cultu divino peragendo, quae speciatim in finitimis parochiis magis apparent et maius incommodum causant, removerentur aliisque defectibus hinc inde existentibus occurreretur et uniformitati in rebus cultum divinum publicum concernentibus consuleretur. Quod summarium animarum pastoribus hisce communicamus, eosdem quanto possumus fervore excitantes, ut ubique et ab omnibus

[1] Concil. Trident. sess. XXII. cap. 1 de reformatione. — [2] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXVIII. pagg. 352—355.

dioecesis Nostrae curatis ad amussim observetur et executioni detur.

1. Omnibus diebus Dominicis et festis de praecepto in ecclesiis, ubi unus tantum residet curatus, hora pro opportunitate populi fidelis stabilita, dicatur Missa parochialis pro populo offerenda, sive curatus sit parochus sive administrator tantum vacantis parochiae, dummodo curam animarum vel tamquam veri nominis pastor vel tamquam eius vicarius exerceat.[1]

2. Iuxta perantiquam Ecclesiae consuetudinem de regula infra Missam ante *Credo* legatur Epistola et Evangelium isti diei assignatum, et fiat homilia seu simplex et plana Evangelii vel Epistolae explicatio cum applicatione ad fidei dogmata firmanda et dilucidanda atque ad mores informandos. Excipiuntur ab hac regula maiora festa per annum nec non extraordinariae sollemnitates, quibus concio ordinaria habeatur.[2]

Summarium fidei catholicae et vitae christianae atque instructio de quarto Ecclesiae praecepto et de sacramento matrimonii statis diebus Dominicis pro concione populo fideli ex ambone legantur.[3]

Insuper et decretum de quotidiana sanctissimae Eucharistiae sumptione nec non de aetate admittendorum ad primam communionem eucharisticam certis diebus Dominicis fidelibus publicentur.[4]

3. In eis vero ecclesiis, ubi duo vel plures sunt sacerdotes, duo quoque Sacra, quorum unum pro populo offerendum est, praedicto modo ita peragantur, ut alterum mane, infra quod a festo s. Michaelis archangeli usque ad festum s. Georgii pro homilia instructio catechetica, adultis accommodata, fiat cum practicis applicationibus

---

[1] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXIX. alin. 20. pag. 295. — [2] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXXXII. alin. 8. pag. 765. — [3] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Cap. XXVII. pagg. 188—218; cap. XXXVIII. pagg. 316—320. Folium officiale dioecesis Lavantinae 1909. Num. I. pagg. 2—11. — [4] Synodus dioecesana Lavant. anno 1906. concita. Marburgi, 1907. Cap. CXIX. pagg. 369—374. — Operationes et constit. Synodi dioec. Lavant. anno 1911 congregatae. Marburgi, 1912. Cap. CLVI. pagg. 405—422.

iuxta ordinem catechismi,[1] alterum serius cum concione ordinaria habeatur.

Hae duae Missae eo temporis intervallo ab invicem distent, ut fideles, qui mane custodes domorum fuerint, secundae commode interesse possint.

4. Curati quoque solitarii seu sine coadiutore, sibi invicem vicini, Missas diebus Dominicis et festivis de praecepto mutuo consensu ita distribuant, ut unus Sacrum matutinum alter antemeridianum modo supradicto habeat, quatenus omnes fideles utrique parochiae adscripti sive priori sive posteriori Sacro et instructioni religiosae intervenire queant. Talis ordo, ut plurimum ex perantiqua consuetudine iam stabilitus, non immutetur absque gravi causa, Nobis prius notificanda et a Nobis approbanda.[2] Tempus officii divini in eiusmodi ecclesiis parochialibus peragendi in conferentiis pastoralibus determinari potest.

5. Finito sermone actus *fidei, spei et caritatis* cum fidelibus eliciantur, et ad summum adhuc ter *Pater noster, Ave Maria* et *Gloria Patri* digne ac devote et non properanter recitetur. Commemorationes illae, e sacro ambone post sermonem ex pacto certi stipendii in aliquibus locis recitari solitae, ad finem sacrae peractionis ab altari persolvantur.[3]

6. Qualibet die Dominica vel ante vel post sermonem parochi et concionatores fidelibus denuncient festa recolenda, dies ieiunii de praecepto observandos, vigilias, dies rogationum aliasque devotiones, quae in subsecuturam hebdomadam incidunt, obligationes religiosas, quas adimplere debent, indulgentias, quas lucrari possunt, tempus et horam, qua confessionem sacramentalem peragere et ad sacram communionem accedere valent, nec non omnia, quae cultum divinum respiciunt.[4]

[1] Sammlung spezieller Disziplinar- und Pastoralvorschriften für die Lavanter Diözese. Num. VIII. de die 2. Ianuarii 1847. alin. 3. a; num. XVII. de die 4. Octobr. 1855. alin. 5. — [2] Synodus dioec. Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXVIII. pag. 355. — [3] Sammlung spezieller Disziplinar- und Pastoralvorschriften für die Lavanter Diözese. Num. XI. de die 15. Decembris 1847. pag. 17. — [4] Ecclesiae Lavant. Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXXII. alin. 7. pag. 764. — Synodus dioec. Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXVIII. pag. 354.

Insuper valde exoptamus, ut in qualibet ecclesia parochiali ordo cultus divini, per hebdomadam sequentem peragendi, in tabula nigra, in valvis ecclesiae seu in alio loco patenti affigenda, publicetur, id quod circa promulgationem indulgentiae plenariae iam praecepimus[1] et quoad casus iudicio Nostro reservatos in locis pro confessionibus destinatis affigendos ordinavimus.[2] Quae publicatio convenienter fieri poterit in lingua vernacula, addita, ubi necessarium censebitur, lingua latina.

Schema publicationis.

Red službe božje — Gottesdienstordnung — Ordo cultus divini, v tej cerkvi — in dieser Kirche — in hac ecclesia, od .. do .. — von .. bis .. — a .. usque ad ..

Ob nedeljah in zapovedanih praznikih — An Sonn- und gebotenen Feiertagen — Dominicis et festis de praecepto.

Slovesna sv. maša — Hochamt — Missa sollemnis, ob .. uri — .. Uhr — hora ..

Pridiga — Predigt — Praedicatio, ob .. uri — .. Uhr — hora ..

Druge sv. maše — Andere hl. Messen — Aliae Missae, ob .. uri — .. Uhr — hora ..

Krščanski nauk — Christenlehre — Catechesis, ob .. uri — .. Uhr — hora ..

Večernice — Vesper — Vesperae, ob .. uri — .. Uhr — hora ..

Pobožnosti — Andachten — Devotiones, ob .. uri — .. Uhr — hora ..

Ob delavnikih — An Werktagen — Feriis.

Sv. maše — Hl. Messen — Missae, ob .. uri — .. Uhr — hora ..

Mrtvaška peta sv. maša — Totenamt — Requiem, ob .. uri — .. Uhr — hora ..

Druge pobožnosti — Andere Andachten — Aliae devotiones, ob .. uri — .. Uhr — hora ..

Priložnost za sv. izpoved — Beichtgelegenheit — Occasio confitendi.

Vsak dan — Jeden Tag — Quotidie, ob .. uri — .. Uhr — hora ..

Vsako soboto zvečer — Jeden Samstag abends — Sabbato ad vesperum, ob .. uri — .. Uhr — hora ..

[1] Ecclesiae Lavant. Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXIII. alin. 10. pag. 536. — [2] Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. VIII. pag. 290.

Vsak večer pred prazniki — Jeden Vorabend vor Feiertagen — Vigiliis festorum, ob .. uri — .. Uhr — hora ..

Vsako nedeljo in vsak praznik zjutraj — Jeden Sonn- und Feiertag morgens — Diebus Dominicis et festis mane, ob .. uri — .. Uhr — hora ..

Sv. obhajilo se deli — Die hl. Kommunion wird gespendet — Sacra communio distribuitur.

Ob nedeljah in praznikih — An Sonn- und Feiertagen — Diebus Dominicis et festis, pred sv. mašami (med sv. mašami, po sv. mašah) — vor (während, nach) den hl. Messen — ante (infra, post) Missas.

Ob delavnikih — An Werktagen — Feriis, pred sv. mašami (med sv. mašami, po sv. mašah) — vor (während, nach) den hl. Messen — ante (infra, post) Missas.

Druga sv. opravila — Andere hl. Verrichtungen — Alia officia.

Odpustek — Ablass — Indulgentia ...

Postni dnevi — Fasttage — Dies ieiunii ...

Praeter ea, quae ordo cultus divini postulat, ex sacro suggestu nihil promulgetur, nisi quod ex vetusta iam consuetudine promulgari solet vel quod a princ.-episc. Ordinariatu tamquam ex ambone promulgandum mandatum fuerit.[1]

7. Infra Missam lectam cantus, ad pios fidelium affectus excitandos aptus, omnino commendatur; quem in finem musica quoque uti dici solet figurata, gravis, modesta atque loci sanctitate digna conceditur; nequaquam autem illa profana, a tibicinibus ruralibus haberi solita, quae adstantes forsan oblectare, minime vero aedificare, sed potius distrahere consuevit.[2] In Missa vero sive sollemni sive cantata omnes textus ordinarii et extraordinarii integri aut cantentur aut saltem recitentur.[3]

8. A meridie hora statuta ad parvulorum aeque ac adultorum instructionem catechesis instituatur atque materiae in catechismo contentae ita distribuantur, ut

[1] Sammlung spezieller Disziplinar- und Pastoralvorschriften für die Lavanter Diözese. Num. XII. de die 30. Decembris 1850. Pag. 19 et 20. — [2] Sammlung spezieller Disziplinar- und Pastoralvorschriften für die Lavanter Diözese. Num. XIII de die 11. Nov. 1851. Pag. 21. — Ecclesiae Lavant. Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXVIII. pagg. 590—600. — [3] Gesta et statuta Synodi dioec. Lavantinae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. IX. pagg. 291—299. — Ecclesiae Lavant. Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXVII. pagg. 573—590.

omnia fidei dogmata morumque praecepta saltem infra quattuor vel quinque annos absolvantur.[1] Quae catechesis omnibus diebus Dominicis, excepta tantum Dominica Paschatis et Pentecostes, habeatur. Quodsi circumstantiae locales ulteriorem exceptionem postulaverint, recurrendum erit ad princ.-episc. Ordinariatum.[2]

9. Peracta catechesi pomeridiana coram exposito sanctissimo Eucharistiae sacramento litaniae omnium Sanctorum vel pro festi exigentia Lauretanae de beata Maria virgine vel sanctissimi nominis Iesu[3] vel sacratissimi cordis Iesu[4] in lingua populari dicantur, adiectis orationibus de sanctissimo Sacramento, pro summo Pontifice, pro reverendissimo Episcopo, pro augustissimo Imperatore atque pro quibuscumque necessitatibus.

10. Pius vetusque mos recitandi a fidelibus rosarii Marianii per quadrantem horae, officium divinum praecedentem, valde laudandus est ideoque, ubi iam viget, retineatur, ubi vero nondum existit, introducatur. Ad munus autem praefandi has preces eligantur viri religiosi, integrae vitae et bonae famae, qui insuper clara voce et distincta loquela gaudent.[5]

Pari modo praxis recitandi per sacerdotem ipsum rosarii Marianii Dominicis quattuor temporum nec non festo sacratissimi rosarii beatae Mariae virginis, sive ad officium divinum antemeridianum sive pomeridianum, tamquam omni laude digna fideliter observetur.

Usus Dominicis quattuor temporum, si rosarium Marianum recitatur coram exposito Sanctissimo, cantandi recitata quavis decade hymnum *Sanctus, sanctus, sanctus,*

[1] Sammlung spezieller Disziplinar- und Pastoralvorschriften für die Lavanter Diözese. Num. VIII. de die 2. Ian. 1847. Pag. 10. — Kirchl. Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1860. Num. VIII. pag. 3. — Idem, 1905. Num. IX. pag. 135. — Schlussprotokoll über die im Jahre 1905 in der Lavanter Diözese abgehaltenen Pastoralkonferenzen. (Kirchl. Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1906. Num. XIII. pagg. 141—145). — [2] Sammlung spezieller Disziplinar- und Pastoralvorschriften für die Lavanter Diözese. Num. XI. de die 15. Dec. 1847. Pag. 17. — [3] Schlussprotokoll über die im Jahre 1873 in der Lavanter Diözese abgehaltenen Pastoralkonferenzen. A. pag. 2. — [4] Kirchl. Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese, 1899. Num. III. pag. 55. — [5] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXVIII. pag. 354.

confert ad augendam sollemnitatem et devotionem, quapropter commendatur, sed non praecipitur.[1]

11. Quoad patrocinia et alias festivitates tam in parochiis finitimis quam in ecclesiis filialibus celebrari solitas observentur, quae a Nobis praescripta et ordinata sunt in Synodo dioecesana anno 1903 coadunata.[2]

12. Alii sacerdotes, in parochia degentes, diebus Dominicis et festivis in ecclesia curata hora, a parocho loci ipsis determinata, celebrent, parochus autem invigilabit, ne eiusmodi Missis privatis populus a Missa parochiali et ab instructione christiana avertatur. Praeterea, dummodo legitime non fuerint impediti, sacris functionibus, publicis precibus et processionibus interveniant, confessiones fidelium exaudire, quem in finem sibi iurisdictionem necessariam procurent, et curatos pro viribus adiuvare non graventur.

13. Diebus feriis quotidie unum saltem Sacrum hora determinata habeatur, in quo vel post Evangelium intra Missam vel post illam omnibus feriis temporis quadragesimalis nec non festis pro foro abrogatis Epistola et Evangelium in lingua vernacula populo fideli praelegatur.[3]

14. Sabbatis et vigiliis festorum de praecepto ad vesperam etiam ruri in ecclesiis curatis haberi possunt litaniae beatae Mariae virginis aut sanctissimi nominis aut sacratissimi cordis Iesu, quibus in pervigiliis festorum eiusdem beatae Mariae virginis etiam rosarium Marianum adiici potest. Quodsi populus copiosior in ecclesia comparuerit, permittitur, ut dictae preces coram exposito sanctissimo Sacramento persolvantur tandemque populo benedicatur.

15. Missa scholaris tempore aestivo de regula a die 1. Maii usque ad finem anni scholastici bis infra hebdomadam hora opportuna legatur, ad quam pueri et puellae alternatim aut cantent aut rosarium Marianum recitent.

[1] Schlussprotokoll über die bei den Pastoralkonferenzen des Jahres 1863 in der Lavanter Diözese besprochenen Gegenstände und darüber festgesetzten Bestimmungen. alin. 7. pag. 7. — [2] Cap. LXXXII. alin. 11. pag. 766 et 767. — [3] Actiones et constit. Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Cap. XXX. pag. 241.

Ubi vero plures existunt scholae populares, ab ecclesia parochiali distantes, pro singulis, in quantum possibile est, saltem semel in septimana Missa celebretur. Diebus vero Dominicis et festis de praecepto pueri et puellae, praesertim in urbibus et oppidis, in commune intersint officio divino.[1] Item intersint Sacro sollemni ad initium et in fine anni scholastici nec non die 18. Augusti et 4. Octobris ac 19. Novembris.[2]

16. Quoad Missas et exequias pro defunctis stricte observandae sunt rubricae Missalis romani et Collectionis rituum dioecesis Lavantinae.[3]

De caetero animarum pastores diligenter attendant ad generaliter praenotanda in Directorio dioecesano, ubi quotannis indicatur, quando Missas pro defunctis cantare aut legere licitum sit.[4]

17. Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere communionem generalem puerorum ad eamque non modo novensiles admittere verum etiam alios, qui parentum confessariive consensu iam antea primitus de altari sancta libarunt.[5] Consuetudo, eiusmodi puerorum ac puellarum communionem quam sollemnissime celebrandi, animarum pastoribus commendatur.[6] Ad peragendam hanc sollemnitatem, si Dominica in Albis aut alia aliqua Dominica infra tempus paschale eligatur, advertendum est, ne per eandem publicae devotionis ordo turbetur.

18. Missa coram exposito sanctissimo Sacramento ex mente sanctae Ecclesiae raro fiat, sed qua par est

[1] Schlussprotokoll über die im Jahre 1895 in der Lavanter Diözese abgehaltenen Pastoralkonferenzen. II. alin. VIII. pag. 16. — [2] Synodus dioec. Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXLIV. pag. 647. — [3] Missae pro defunctis ad commodiorem ecclesiarum usum ex Missali romano desumptae. — Collectio rituum dioecesis Lavantinae. Marburgi, 1896. Tit. VII. cap. 1—7. pagg. 137—193. — Sammlung spezieller Disziplinar- und Pastoralvorschriften für die Lavanter Diözese. Num. XVII. de die 4. Oct. 1855. Pagg. 31—33. — [4] Directorium Romano-Lavantinum pro 1912. Marburgi, 1912. Gen. praenot. III. alin. 5. pagg. 9—11. — [5] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1910. Num. XII. alin. 102. pag. 173. — [6] Collectio rituum dioecesis Lavant. Marburgi, 1896. Pars I. Tit. V. cap. 4. pagg. 71—78. — Gesta et statuta Synodi dioeces. anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. VII. pag. 280. — Ecclesiae Lavant. Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXX. pagg. 460—495.

sollemnitate. Nimis frequentibus Missis coram exposito Sanctissimo ac benedictionibus cum Sanctissimo experientia teste devotio fidelium erga venerabile Sacramentum non augetur, immo potius imminuitur et haud raro animi levitatem ne dicamus irreverentiam erga sanctissimum Sacramentum generat. Qua de re non tantum imminutio Missarum coram exposito sanctissimo Sacramento, sed et uniformitas in eisdem celebrandis necessaria est. Hinc animarum curatoribus sequentia in memoriam revocantur.

Diebus Dominicis et festivis de praecepto ad principalem tantum peractionem sacram sanctissimum Sacramentum exponatur et cum eo ante et post Missam sollemnem populo benedicatur, ubi hic usus ab immemoriali viget et expositio Sanctissimi qua par est sollemnitate et devotione fieri assolet. Festis Domini et beatae Mariae virginis intonetur hymnus *Tantum ergo* et *Genitori*. Ad alteram sacram peractionem solummodo festis sollemnibus et Dominicis quattuor temporum post Missam benedictio detur cum ostensorio.

Diebus feriis in communibus tantum necessitatibus, v. gr. grassante aliquo morbo, Missa celebretur coram exposito sanctissimo Sacramento, quae tamen Dominica vel festo praecedente fidelibus promulgetur cum adhortatione, ut Missae magno numero interveniant. Ad privatas intentiones aut prorsus pro defunctis Missa coram Sanctissimo non legatur. »Sanctissima Eucharistia ne quavis causa sed publica tantummodo eaque gravi exponatur«.[1]

Missa votiva *Rorate* tempore Adventus et Missa occasione devotionis triduanae aut novemdialis, approbante Ordinario celebratae, nec non infra octavam festi sanctissimi corporis Christi celebrari potest coram exposito Sanctissimo, praesente copioso fidelium numero. Abusus vero celebrandi duas Missas continuas coram exposito Sanctissimo, ita ut primus sacerdos venerabile

[1] S. Caroli Borrom. sermo in 11. Synodo dioecesana. — Sammlung spezieller Disziplinar- und Pastoralvorschriften für die Lavanter Diözese. Num. XVIII. de die 4. Oct. 1855. alin. 16. pag. 33.

Sacramentum exponat, alter vero finita secunda Missa reponat, si alicubi irrepserit, omnino tollatur.

Sic dictae Missae contra tempestates, ubi sunt in usu, non habeantur coram exposito Sanctissimo, excepto casu, quo fideles unam tantum exoptent sollemnem precationem ad avertendas noxias tempestates.

Ad officium sacrum pomeridianum in festis sollemnibus bis, diebus vero Dominicis aliisque diebus festis in fine tantum benedictio cum Sanctissimo impertiatur. Diebus sabbatis et ante festa de praecepto in devotionibus vespertinis, si populus copiosior in ecclesia comparuerit, ad finem detur benedictio cum Sanctissimo in ciborio.

De caetero animarum pastores hac in re succedentes observent regulas.

a) Numerum Missarum coram exposito sanctissimo Sacramento non adaugeant, sed imminuere studeant, quum Ecclesia hoc potissimum mysterium fidei tractari vult summa cum verecundia et reverentia, quae nimis frequenti expositione sanctissimi Sacramenti non augeri, immo potius imminui solet.

b) Quotannis fideles suos sive in concione sive catechesi de reali Iesu Christi praesentia in sanctissimo altaris Sacramento rite instruant et ad debitam huic venerabili mysterio, praesertim si expositum sit, adorationem attentos faciant illosque praemoneant, ex lege Ecclesiae sanctissimum Sacramentum exponi non debere, si desit debita devotio fidelium et conveniens ecclesiastica sollemnitas v. gr. cantus.

c) Animarum curatores in hac re non tantum caute et prudenter, sed et constanti animo procedant, ne in expositione Sanctissimi sive fidelium arbitrio sive parochianorum impetu sive turpis lucri spe moveantur.[1]

Si contingat, sanctissimam Eucharistiam ministrari exposito in eadem ecclesia sanctissimo Sacramento, aut quando populo data vel proxime danda sit benedictio

[1] Sammlung spezieller Disciplinar- und Pastoralvorschriften für die Lavanter Diözese. Num. XX. de die 20. Sept. 1850. Pag. 35 et 36.

cum eodem, benedictio cum pyxide aut manu omittatur. Item sacerdos, si immediate post vel data rationabili causa immediate ante Missam in paramentis nigri coloris sacram communionem ministraverit, benedictionem omittat.[1]

Expositio sanctissimi Sacramenti in sepulchro feria VI. in Parasceve fiat iuxta ritum praescriptum.[2]

Anno 1904 in dioecesi Nostra sollemnem expositionem sanctissimae Eucharistiae sacramenti pro perpetua adoratione diurnis horis, nempe ab hora sexta matutina usque ad horam sextam vespertinam, per singulas parochias ex ordine introduximus atque summa afficimur laetitia considerantes, hanc devotionem fidelibus esse peradamatam ab eisque maximo cum animarum fructu frequentari.

Die 15. Martii 1904 sanctae apostolicae Sedi duas substravimus litteras supplices, hanc devotionem respicientes, alteras pro impetranda facultate cantandi durante expositione sanctissimi Sacramenti Missas votivas de sanctissimo Eucharistiae sacramento et pro Pace, alteras ad expostulandas indulgentias pro fidelibus sollemni adorationi venerabilis Sacramenti adstantibus.

Primae litterae supplices sonant, ut sequitur:

Sanctissime Pater!

Ut pientissimo desiderio meo, in Synodo dioecesana a 24. usque ad 28. Augusti 1903 celebrata iam patefacto, adaugendi scilicet in dioecesi mea Lavantina venerationem sanctissimi Sacramenti, pro viribus satisfaciam, in ecclesiis dioecesis meae a Dominica prima sacri Adventus huiusce anni sollemnem expositionem sanctissimi Eucharistiae sacramenti pro perpetua adoratione diurnis tantum horis quotidie ex ordine et quidem ab hora sexta matutina usque ad horam sextam vespertinam instituere intendo.

Qua de causa ego devotissime infrascriptus Episcopus Lavantinus, ad pedes Sanctitatis Vestrae provo-

[1] Collectio rituum dioecesis Lavantinae. Marburgi, 1896. Pars I. Tit. V. cap. 2. pag. 70. — [2] Op. cit. Pars III. Tit. un. cap. 8. pagg. 389—392.

lutus, humillime supplico, ut Sanctitas Vestra benignissime mihi concedat privilegium, quo in ecclesiis, in quibus enunciata fiet sollemnis expositio per unum diem, hac ipsa die expositionis unica Missa votiva sollemnis de sanctissima Eucharistia; in ecclesiis vero, in quibus expositio haec per duos aut tres dies celebrabitur, prima respective tertia expositionis die memorata Missa votiva sollemnis de sanctissima Eucharistia, secunda die vero Missa votiva pro Pace ad tramitem instructionis recolendae memoriae Clementis XI. pro Oratione quadraginta horarum in alma Urbe cantari valeat.

Pro qua gratia . . .

Marburgi in Styria, Austria, die 15. Martii 1904.

† **Michael,**
Episcopus.

Super quibus litteris hoc decretum a Sacra rituum Congregatione editum est:

No. 35. 1904. Y.

Lavantina.

Reverendissimus Dominus Michael Napotnik, Episcopus Lavantinus, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X. privilegium humillime flagitavit, quo in ecclesiis sibi commissae dioeceseos, in quibus sollemnis expositio sanctissimi Eucharistiae sacramenti ad instar Orationis XL horarum etsi horis tantum diurnis fieri solet, Missas votivas de sanctissima Eucharistia ac pro Pace liceat cantare; ea tamen lege, ut Missa de sanctissima Eucharistia cani valeat prima die et altera sollemnis pro Pace cantetur secunda die, ubi enunciata expositio duobus vel tribus diebus habeatur; ac Missa votiva tantum de Eucharistia decantetur in ecclesiis, in quibus una tantum die sanctissimum Sacramentum sollemniter maneat expositum. Sacra porro rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces: dummodo caetera serventur, quae in instructione fe. re.

Clementis Papae XI. praescribuntur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 15. Aprilis 1904.

S. Card. Cretoni m. p. Praef.

† **D. Panici** m. p. Archiep. Laodicen. Secret.

Alterae litterae supplices huiusce sunt tenoris:

Beatissime Pater!

Ut ardentissimo desiderio meo, in Synodo dioecesana a 24. usque ad 28. Augusti 1903 habita iam patefacto, augendi scilicet in dioecesi mea Lavantina cultum sanctissimi Sacramenti, pro viribus satisfaciam, in ecclesiis dioecesis meae a Dominica prima sacri Adventus anni dilabentis sollemnem expositionem sanctissimi Eucharistiae sacramenti pro perpetua adoratione diurnis tantum horis, quotidie ex ordine et quidem ab hora sexta matutina usque ad horam sextam vespertinam, instituere intendo.

Quapropter ego devotissime infrascriptus Episcopus Lavantinus, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime flagito, quatenus Sanctitas Vestra fidelibus dioecesis meae, huic sollemni adorationi venerabilis Sacramenti adstantibus, indulgentias a Sancta Sede Apostolica Orationi quadraginta horarum in Urbe concessas clementissime largiri dignetur.

Pro qua gratia . . .

Marburgi in Styria, Austria, die 15. Martii 1904.

† **Michael,**
Episcopus.

Ad has litteras responsum datum est per Breve de die 6. Aprilis 1904.

Pius PP. X.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem! Cum, sicut accepimus, in publicis ecclesiis dioeceseos Lavantinae

Sacramentum augustum a Dominica prima sacri Adventus huius vertentis anni diurnis tantum horis, id est ab hora sexta matutina usque ad horam sextam vespertinam, perpetuae fidelium adorationi ex ordine et de Ordinarii consensu quotidie exponi velit; Nos, quo cultus erga tantum divini amoris mysterium magis magisque foveatur in dies, omnibus ac singulis utriusque sexus christifidelibus, qui quocumque die quamlibet e memoratis ecclesiis per aliquod temporis spatium visitaverint ibique ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, ut omnes ac singulas tum plenarias tum partiales servatis servandis indulgentias consequantur, quas consequerentur, si quamlibet ex huius almae Urbis Nostrae ecclesiis, ubi Oratio XL horarum est instituta, eiusdem orationis tempore personaliter ac devote visitarent, dummodo, quae ad eas indulgentias consequendas iniuncta sunt, pietatis opera rite praestiterint, auctoritate Apostolica Nostra praesentium tenore concedimus et largimur: quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus habeatur fides, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 6. Aprilis 1904.

Pontificatus Nostri Anno Primo.

Pro Dom. **Card. Macchi**
N. Marini.

Accuratiorem explicationem de privilegiis, duobus hisce decretis Apostolicis benigne concessis, venerabili

Clero dioecesano dedimus litteris, quibus sollemnem sanctissimi Sacramenti expositionem in dioecesi Nostra introduximus.[1]

Ad prorogandas indulgentias piis adoratoribus sanctissimi Sacramenti anno 1904 ad septennium concessas die 12. Octobris 1911 hanc supplicationem Sanctissimo Patri substravimus.

Beatissime Pater!

Per Breve Apostolicum de die 6. Aprilis 1904 Sanctitas Vestra Christi fidelibus dioecesis meae Lavantinae sollemni adorationi venerabilis Sacramenti, in dioecesi Dominica prima sacri Adventus die 27. Novembris 1904 a me introductae, devote adstantibus indulgentias a Sancta Sede Apostolica orationi quadraginta horarum in Urbe concessas ad septennium largiri dignata est.

Quum indultum hoc die 27. Novembris 1911 exspiraturum sit, ego devotissime infrascriptus Episcopus Lavantinus humillime supplico, quatenus Sanctitas Vestra istud clementissime prorogare dignetur.

Pro qua gratia . . .

Marburgi in Styria, Austria, die 12. Octobris 1911.

† **Michael,**
Episcopus.

Ad quam supplicationem sacra Congregatio S. Officii respondit:

Die 21. Octobris 1911.

Sanctissimus D. N. D. Pius Div. Prov. Pp. X. per facultates R. P. D. Adsessori S. Officii impertitas benigne annuit pro petita prorogatione ad aliud septennium, servato tenore concessionis in supplici libello memoratae. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Aloisius Giambene,
Sub^tus^ pro Indulgentiis.

Indulgentiae hoc decreto concessae itaque valiturae sunt usque ad diem 27. Novembris 1918.[2]

[1] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1904. Num. XI. alin. 102. pagg. 161—169. — [2] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1911. Num. XII. alin. 126. pag. 224.

19. Devotiones variae per annum occurrentes v. gr. devotio novemdialis in honorem Spiritus Sancti, devotio in honorem sacratissimi cordis Iesu prima feria VI. uniuscuiusque mensis, quam animarum pastoribus intime commendavimus,[1] et Triduum eucharisticum infra octavam corporis Christi vel, si locorum et personarum adiuncta aliter expostulaverint, alio anni tempore,[2] porro varia pietatis exercitia in honorem beatae virginis Mariae mense Maio, rosarii Marialis mense Octobri vel Novembri et aliae, quae quam plurimum conferunt ad profectum vitae christianae, quotannis instituantur in aedificationem populi fidelis.[3] Quoad Missam votivam *Rorate* observetur decretum S. R. C. de die 16. Novembris 1888.[4]

20. Processiones sacrae publicae, in Ecclesia catholica ex antiquo instituto in die festo Purificationis beatae virginis Mariae, Dominica Palmarum, in sollemnitate resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, in Litaniis maioribus et minoribus, in festo sanctissimi corporis Christi sive Dominica infra octavam eiusdem festi fieri solitae, iuxta ritum praescriptum ea qua decet modestia, reverentia ac sollemnitate instituantur; item sic dicta quattuor evangeliorum initia, ubi in usu sunt, a Dominica infra octavam festi sanctissimi corporis Christi usque ad Dominicam ante festum s. Bartholomaei apostoli.[5]

Aliae in plurimis parochiis dioecesis Lavantinae consuetae processiones extraordinariae seu votivae retineantur utpote laudabiles; abusus tamen, qui forsan fluxu temporis irrepserint, tollantur.[6] Novae vero pro-

---

[1] Litterae pastorales de die 19. Ian. 1902. (Dr. Michael Napotnik, Send- und Lehrschreiben. Marburg, 1911. Pag. 635). — [2] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXIX. pagg. 378—380. — [3] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXIV. pag. 545; cap. LXXV. pag. 554. — [4] Schlussprotokoll über die in der Lavanter Diözese im Jahre 1888 abgehaltenen Pastoralkonferenzen. Pag. 10. — Directorium Romano-Lavant. 1912. Marburgi, 1912. Gen. praenot. III. alin. 2. pag. 7 et 8. — [5] Collectio rituum dioecesis Lavantinae. Marburgi, 1896. Pars. III. Tit. un. cap. 2. pagg. 378—411. — [6] Op. et loc. cit. cap. 2 et 3. pagg. 411 432. — Schlussprotokoll über die im Jahre 1880 in der Lavanter Diözese abgehaltenen Pastoralkonferenzen. Pagg. 5—17.

cessiones numquam absque speciali, a princ.-episc. Ordinariatu requisita et obtenta licentia introducantur.

21. Caeremoniae, ritus sacri ac benedictiones, certis per annum diebus ab Ecclesia ordinatae aut variis occasionibus fieri solitae, ad praescriptum Missalis Romani et Collectionis rituum dioecesis Lavantinae, qui libri in qualibet ecclesia curata alioquin adesse debent, religiose observentur et peragantur; aliae vero benedictiones, neque in Missali neque in Collectione rituum contentae utpote ab Ecclesia non commendatae, omittantur.

Ut ritus sacri, festo Purificationis beatae Mariae virginis, feria IV. Cinerum, Dominica Palmarum, feria V. in Coena Domini, feria VI. in Parasceve et Sabbato sancto praescripti, etiam in minoribus ecclesiis, ubi desunt diaconus et subdiaconus, digne et decenter peragerentur, Benedictus PP. XIII. die 4. Decembris 1724 edidit libellum »Memoriale rituum« nuncupatum, qui primitus minoribus Urbis ecclesiis destinatus anno 1821 a Sacra rituum Congregatione etiam aliis orbis catholici ecclesiis ad observandum propositus est.[1]

22. Pulsatio campanarum, quum ad usum religiosum, ad annuncianda scilicet cultus divini et devotionis tempora nec non ad invitandum populum fidelem ad officia divina sit destinata, in sabbatis et vigiliis festorum ad indicendos dies festos sequentes, quemadmodum etiam brevis pulsus campanae imminente aliqua tempestate, quo populus ad preces pro avertendo fulgure et noxia tempestate fundendas admonetur, omnino probatur[2]; nequaquam vero illa immoderata campanarum strepitatio ac mortariorum explosio, quae ad avertendam tempestatem, utpote a Dei voluntate dependentem, inepta et vitae pulsantium saepe periculosa ideoque interdicta est. De caetero quoad pulsationem campanarum, sicut

[1] Memoriale rituum pro aliquibus praestantioribus sacris functionibus, persolvendis in minoribus ecclesiis parochialibus, iussu Benedicti XIII. Pont. Max. editum. Augustae Taurinorum, 1888. — [2] Pontificale Rom. Pars II. „De benedictione signi vel campanae.“ (Editio prima post typicam. Ratisbonae, 1891. Pag. 218).

iam in conferentiis pastoralibus deliberabatur, ita et in priori Synodo specialem edidimus constitutionem.[1]

Hicce additur modus pulsandi campanas, usitatus in urbe Marburgensi.

a) In ecclesia cathedrali et parochiali apud s. Ioannem Baptistam ordinarie et quotidie pulsatur campana: hora 4. matutina, hora meridiana, vespere et quidem mensibus Novembri et Decembri hora 5., mensibus Ianuario, Februario et Octobri hora 6., mensibus Martio, Aprili, Augusto et Septembri hora 7., mensibus Maio, Iunio et Iulio hora 8.

Pulsatur vero diebus festis campana maior, Dominicis per annum campana maiori proxima, diebus per hebdomadam campana tertia. Post pulsationem vespertinam pulsatur campana quarta seu parva in memoriam fidelium defunctorum. Insuper quavis feria V. fit pulsus campanae maioris in memoriam agoniae Domini, feria vero VI. hora 9. antemeridiana in memoriam mortis D. N. I. Chr.

Porro ex voto, in Synodo anno 1903 a Nobis coadunata suscepto, singulis sabbatis hora 9. antemeridiana, diebus autem Dominicis hora 6. vespertina pulsatur campana maior. Ad sonitum huius campanae diebus sabbatis pastores et oviculae flexis genibus, si possibile est, persolvant *Pater* et *Ave* cum *Gloria* in gloriam divini Salvatoris inque laudem eius matris Mariae, haeresum exstirpatricis, pro unitate religionis catholicae inter fideles dioecesis Lavantinae; ad pulsationem vero diebus Dominicis, quinque circiter minutas durantem, eamdem ut supra peragant supplicationem pro sufficienti numero proborum sacerdotum nec non pro salutari operatione sacerdotum in cura animarum constitutorum et constituendorum.[2]

---

[1] Schlussprotokoll über die bei den Pastoralkonferenzen des Jahres 1860 in der Lavanter Diözese besprochenen Gegenstände und darüber festgesetzten Bestimmungen. II. pagg. 5—8. — Schlussprotokoll des Jahres 1861. III. pagg. 8—12. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXXXIV. pagg. 521—531. — [2] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. CIV. pagg. 902—911.

b) Diebus infra hebdomadam ad Missas hora $4^1/_2$ matutina compulsantur duae campanae minores; hora $6^1/_4$ matutina pulsatur tertia, hora $7^3/_4$ matutina quarta seu parva campana. In turri parva laterali duo pendent tintinnabula, quorum maius sonat hora $9^3/_4$ antemeridiana, minus vero tinnire solet in obitu fidelium.

Quodsi hora 8. aut 10. Missa cantatur *Requiem* aut alia celebratur Missa sollemnis, hora $7^3/_4$ respective $9^3/_4$ compulsari solent omnes campanae aut saltem tres excepta maiore.

Pro Vesperis quotidie hora 3. pomeridiana in choro recitandis fit pulsus campanae quartae seu parvae hora $2^3/_4$.

Ad devotionem vespertinam pro fidelibus, quae a feria III. Paschae usque ad finem mensis Septembris hora 6., a mense Octobri usque ad feriam IV. maioris hebdomadae inclusive hora 5. pomeridiana habetur, hora $5^3/_4$ respective $4^3/_4$ campana tertia, ante festa maiora campana maior pulsari consuevit.

Mense Maio diebus infra septimanam devotio haec celebratur hora 7. vespertina, ad quam fideles hora $6^3/_4$ sonitu campanae maioris invitantur.

c) Diebus Dominicis et festivis hora 5. matutina pro diversitate sollemnitatis pulsatur aut campana maior aut eidem proxima, quem pulsum sequitur compulsatio omnium aut trium tantum campanarum. Item hora $5^3/_4$ matutina fit pulsatio campanae maioris aut eidem proximae.

Hora 9. antemeridiana pro diversitate quoque sollemnitatis aut campana maior aut ipsi maiori proxima solet pulsari; hora vero $9^1/_4$ aut omnes aut tres tantum campanae excepta maiore compulsantur.

d) In festis Episcopi ad Sacrum sollemne pulsatio campanae maioris fit hora $8^1/_2$ et 9. Hora vero $9^1/_4$ omnes campanae sollemni modo compulsantur.

Etiam ad praecipuas partes Missae sollemnis nec non ad benedictionem sollemnem in fine Missae sonat campana maior.

In accessu vero Episcopi ad ecclesiam cathedralem pro re divina facienda atque in eius egressu ex ecclesia pulsantur campanae more festivo.[1]

Eodem prorsus modo resonare debent campanae, quando reverendissimus Praesul infra hebdomadam sollemniter celebrat.

e) Vesperae diebus Dominicis et festivis haberi solent hora 4. pomeridiana, ad quas fideles hora $3^3/_4$ pulsu maioris campanae invitantur; festis vero sollemnibus pulsatio fit campanae maioris hora $3^1/_2$, hora vero $3^3/_4$ omnes campanae compulsantur.

f) Ad consuetas processiones nec non ad sollemnem gratiarum actionem item omnes pulsantur campanae.

g) Quoad pulsationem pro defunctis haec sunt notanda. Compulsantur siquidem:

In funere I. classis omnes campanae per tres horas; in funere II. et III. classis omnes campanae per duas horas; in funere IV. classis omnes campanae per unam horam; in funere V. classis tres campanae minores per unam horam; in funere VI. et VII. classis tres campanae minores per dimidiam horam.

In absolutione ad tumbam omnes campanae pulsari assolent.

h) In ecclesiis parochialibus suburbanis beatae Mariae matris misericordiae et s. Magdalenae quotidiana pulsatio hora 4. matutina, hora meridiana et vespertina aequali modo fit ac in ecclesia cathedrali. Circa uniformitatem pulsationis vespertinae in ecclesia cathedrali et parochiali ad s. Ioannem Baptistam in urbe Marburgensi ac in ecclesiis parochialibus suburbanis piae memoriae praedecessor Noster Princeps-Episcopus Iacobus Maximilianus die 11. Ianuarii 1865 proprium decretum edidit et ad praedicta officia parochialia direxit.[2]

---

[1] Caeremoniale Episcoporum. Lib. I. cap. 15. num. 4. — [2] Decretum sic sonat: „Behufs Erzielung der erwünschten Gleichförmigkeit im Rayon der Stadt und Vorstädte Marburg finde ich in Betreff des abendlichen Ave Maria-Läutens Folgendes anzuordnen:

1. In jeder Vorstadtkirche hat das Ave Maria-Läuten *gleichzeitig* (nicht früher, nicht später) mit jenem in der Dom-Stadtpfarrkirche zu beginnen.

Haec uniformitas etiam quoad pulsationem maioris campanae feria VI. et sabbato hora 9. antemeridiana atque die Dominica hora 6. vespertina nec non quoad compulsationem campanarum in processionibus, in sollemni gratiarum actione et in funeribus servatur. De caetero autem in pulsu campanarum praedictae ecclesiae parochiales tum inter se tum ab ecclesia cathedrali discrepant.

Ita in ecclesia parochiali beatae Mariae virginis diebus infra hebdomadam hora $4\,^3/_4$ et $5\,^3/_4$ mane ac hora $6\,^3/_4$ vespere tres, diebus vero Dominicis et festis hora $4\,^3/_4$ et $5\,^3/_4$ matutina, hora $2\,^1/_4$ pomeridiana et $5\,^3/_4$ vespertina quattuor campanae compulsantur. Insuper diebus Dominicis et festivis fideles hora 5. et 8. ante meridiem et hora 2. post meridiem sonitu maioris campanae ad sacram peractionem invitantur.

In ecclesia parochiali s. Magdalenae diebus infra hebdomadam tres pulsari solent campanae spatio unius quadrantis horae ante initium cuiusvis Missae. Diebus Dominicis et festivis sonus maioris campanae hora 5. ad Sacrum matutinum, hora $8\,^1/_2$ ad Sacrum antemeridianum, hora 1. ad officium divinum pomeridianum fideles invitat. Hora vero $5\,^3/_4$ mane, hora $9\,^1/_4$ ante meridiem

---

2. In dieser letztgenannten Domkirche ist mit dem Abend-Läuten zu beginnen:

a)	In den Monaten	Jänner und Februar	um 6 Uhr.
b)	„ „	März und April	„ 7 „
c)	„ „	Mai, Juni und Juli	„ 8 „
d)	„ „	August und September	„ 7 „
e)	„ „	Oktober	„ 6 „
f)	„ „	November und Dezember	„ 5 „

3. Weder in der Domkirche noch in den Vorstadtkirchen soll das Läuten *länger* andauern, als der Zweck desselben es erfordert, nämlich solange als notwendig ist, um den englischen Gruss mit dem Vater unser pro defunctis mit Andacht, wie es sich geziemt, ohne Übereilung, beten zu können.

An das Ave Maria-Geläute an Donnerstagen hat sich selbstverständlich so wie bisher jenes in memoriam agoniae D. N. I. Ch. unmittelbar anzuschliessen.

Diese Anordnung hat vom 15. d. Mts. an ins Leben zu treten, und können die Gläubigen zu ihrer Benehmungswissenschaft hievon — *nämlich von der Zeit des Ave Maria-Läutens* — am nächsten Sonntage von der Kanzel aus verständigt werden.

Marburg, am 11. Jänner 1865.

JAKOB MAXIMILIAN,
Fürstbischof.“

et hora $1\,^3/_4$ post meridiem omnes campanae pulsantur. Item ad sacram Missam, quae diebus Dominicis et festis hora 8. celebratur, hora $7\,^3/_4$ signum datur pulsatione omnium campanarum.

23. Quaenam collectae in dioecesi praescriptae sint et quibusnam diebus instituantur, in schematismo dioecesano praescribitur, ubi etiam indicatur, qua via pecuniae collatae transmittendae sint.[1] In reliquum quoad collectas ecclesiasticas separata constitutio in hac Synodo publicabitur.

Praeter collectas praescriptas aliae non instituantur, nisi ex speciali mandato vel permissione princ.-episc. Ordinariatus.

24. Ut christifideles ad confessionem peragendam et ad communionem paschalem suscipiendam rite praeparentur, examen antepaschale, in dioecesi quoque Nostra longo iam tempore laudabiliter vigens, in omnibus parochiis quotannis est instituendum.[2]

Ad hoc examen rite peragendum quilibet curatus omnium animarum numerum in catalogo redigat, in quo locum habitationis, numerum domus, habitantium nomina et cognomina, diem et annum nativitatis, progressum in fidei rudimentis et moribus annotet, singulis annis recenter natos vel aliunde adventantes adiungat, mortuos vel aliorsum decedentes expungat.[3]

Examen ipsum pro animarum sibi concreditarum numero et pro sua opportunitate eo tempore inchoet, ut illud usque ad tempus, quo communio paschalis incipit, facile absolvat.

Ut iustus ordo huius examinis observetur, diebus Dominicis pro qualibet per proximam septimanam die sibi placita certus examinandorum numerus ex ambone

[1] Personalstand des Fürstbistums Lavant für das Jahr 1912. Marburgi, 1912. Pagg. 225—229. — [2] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese vom 27. Febr. 1811. Num. 135. — Sammlung spezieller Disziplinar- und Pastoralvorschriften für die Lavanter Diözese. Num. VIII. de die 3. Ian. 1847. Pag. 9 et 10. — Schlussprotokoll über die im Jahre 1852 in der Lavanter Diözese abgehaltenen Pastoralkonferenzen. Pag. 15. — [3] Schlussprotokoll über die im Jahre 1871 in der Lavanter Diözese abgehaltenen Pastoralkonferenzen. Pagg. 7—9.

denuncietur, ita tamen, ut viri separati a mulieribus et pueri disiuncti a puellis compareant, ne res eorum familiaris domi curanda ullo modo detrimentum patiatur neve pueris ac puellis occasio conveniendi praebeatur.

Tentandi sunt pueri ac puellae modo placido, hilari, honoris cuique debiti studioso et discreto praesertim de eis, quae scitu sunt necessaria necessitate medii et praecepti quaeque per anni decursum in pomeridianis catechesibus explanata fuerint. Absint quaestiones inutiles, captiosae et aenigmaticae nec non examinandos etsi in quibusdam ignorantes sugillandi aut confundendi libido. Monendi tamen sunt, si eorum ignorantia ex desidia et negligentia proveniat, in omni patientia et caritate. Viri ac mulieres non tam examinandi quam potius edocendi et adhortandi sunt de officiis illis incumbentibus.

Pecunia tempore vel occasione examinis antepaschalis a comparentibus non exigatur, nisi forte pro locorum consuetudine singuli ad libitum pro candelis, paramentis aliisque utensilibus vel indigentiis ecclesiae contribuant.

Eis, qui hoc examine in doctrina christiana sufficienter instructi inveniuntur, exhibeatur schedula approbationem pro confessione et communione paschali testificans; eis vero, qui ignorantiam fidei morumque praeceptorum maxime necessariorum manifestaverint, schedula ista tamdiu denegetur, donec melius instructi denuo ad examen apparuerint et in eodem substiterint. Attamen respectu habito ad hodierna adiuncta sacerdos hac in re prudenter et caute procedat neque sit nimis austerus, ne quem rigidiore agendi ratione a confessione et communione paschali deterreat.

Quodsi illi, qui schedula carent, ad confessionem paschalem venerint, ad eam quidem admittantur, sed schedula de peracta confessione et communione paschali illis non tradatur, exceptis eis, qui forte istam schedulam amiserint aut eius domi obliti sint.[1]

[1] Sammlung spezieller Disziplinar- und Pastoralvorschriften für die Lavanter Diözese. Num. VIII. de die 2. Ian. 1847. Pag. 18.

Finito tempore paschali schedulae, confitentibus a confessario in testimonium peractae confessionis et communionis paschalis exhibitae, a curato colligantur illique, qui tali schedula carent, adnotentur, ut eos data occasione rite monere atque ad ipsorum salutem opportuna remedia adhibere queat.

25. Quilibet parochus conficiat librum, officia cultus divini in ipsius parochia consueti continentem, qui in archivo parochiali asservetur et occasione visitationis canonicae exhibeatur.[1]

Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Applica tribum Levi et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei et observent quidquid ad cultum pertinet! (Num. 3, 5—7).

Caput CLXIII.

De institutione et celebratione deque regulatione et reductione festorum.

Sensu spirituali quilibet dies est dies feriatus seu festus, quia clerici nec non omnes Christi fideles quotidie uni Deo vacare debent. Quamobrem s. Silvester PP. I., sabbati et Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadae dies feriarum nomine distinctos appellari voluit.[2]

Sed homo, quum sit ens sensitivum, sensibilibus etiam incitamentis indiget ad fovendam devotionem et efflagitandam gratiam divinam. Siquidem et gratiarum dona certis temporibus sunt affixa. Sic Dominus flens super Ierusalem dixit: *Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi* (Luc. 19, 42); et in Cana Galilaeae respondit Matri suae: *Nondum venit hora mea.* (Ioan. 2, 4). Item certis temporibus exiit paterfamilias conducere operarios in vineam suam. (Matth. 20, 1—6).

[1] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXVIII. pag. 355. — [2] Breviarii romani lectio VI. in festo s. Silvestri I. Papae et Conf.

Eiusmodi tempora et dies sunt praesertim *festa*. Quapropter sicut apud veteres Hebraeos praeter sabbatum festa quoque per decursum anni, Deo ipso praecipiente vel inspirante, instituta erant ad maxima Dei beneficia recolenda sancte populo observanda, ita Ecclesia Christi a suae institutionis exordio praeter dies Dominicos alios quoque in Dei et beatae Mariae virginis ac Sanctorum honorem sacravit. »Inter eos autem celeberrimi habentur illi dies, qui ob redemptionis nostrae mysteria religioni consecrati sunt, deinde qui sanctissimae Virgini Matri, tum vero Apostolis et Martyribus caeterisque Sanctis in Christo regnantibus dicantur, in quorum victoria Dei bonitas et potentia laudatur atque ad eorum imitationem populus incitatur.«[1]

Primis Ecclesiae temporibus pauca tantummodo erant festa sensu stricto i. e. cum obligatione audiendi Missam et vacandi ab operibus servilibus.

a) Festa Domini, quibus insignia Christi mysteria atque beneficia quotannis recoluntur. Antiquissima festa, quorum mentio fit iam in Scripturis sacris (I. Cor. 5, 7; Act. ap. 20, 16) sunt *Pascha* Domini et festum *Pentecostes*; sequuntur festa *Nativitatis, Epiphaniae et Ascensionis* Domini, quae testantibus scriptoribus ecclesiasticis saltem saeculo tertio et quarto Romae iam in usu erant.[2] Haec quinque festa in Missali romano vocantur *dies sacratissimi*.[3]

b) Festa Sanctorum, qui iam in Bibliis sacris laudantur ac propterea ab antiquissimis temporibus in universa Ecclesia maxime colebantur, prout virgo Maria, benedicta mater Domini, s. Ioannes Baptista, Apostoli Domini, praecipue apostolorum principes Petrus et Paulus et protomartyr s. Stephanus.[4]

---

[1] Catechismus ex decreto Concilii Trid. ad parochos. Ratisbonae, 1875. Pars III. cap. 4. num. 19. — [2] Mich. Gatterer S. I., Annus liturgicus. Editio secunda. Oeniponte, 1912. Pag. 127 et 128. — [3] Canon Missae: *Infra actionem*. — [4] S. Ioseph nutritius Domini et sponsus beatae Mariae virginis, etsi in Evangelio *iustus* praedicatur (Matth. 1, 19), primis tamen saeculis sollemni cultu in Ecclesia non gaudebat, certe hac de causa, quia iuxta primaevam disciplinam memoria martyrum tantum colebatur et fortasse etiam, ne ab inculta plebe verus Domini pater haberetur, prout testante iam s. Matthaeo

Inter festa beatae virginis Mariae nominantur: festum Praesentationis Iesu in templo seu *Purificationis* beatae Mariae virginis, quod Hierosolymis circa annum 380 celebrabatur et inde in occidentem translatum est. Sequuntur festa *Annunciationis*, *Dormitionis* seu *Assumptionis* et *Nativitatis* beatae Mariae virginis, de quibus scriptores saeculo septimo aperte loquuntur.

c) Festa Sanctorum, qui *apud ecclesias principales seu matres* orbis christiani vitam agebant et operabantur quorumque cultus ad caeteras ecclesias, quae ab ecclesiis principalibus doctrinam et institutionem christianam acceperunt, extendebatur v. gr. s. Laurentii Romae.

d) Festa Sanctorum, qui *eximii benefactores* erant alicuius regionis aut regni eique heroica praebebant virtutum exempla v. gr. s. Martinus, Episcopus Turonensis pro Gallia, s. Gregorius Magnus pro Britannia.

e) Singulae ecclesiae suos habebant *martyres insignes* v. gr. ecclesia Carthaginensis s. Episcopum Cyprianum, aliae alios, quorum memoria quotannis sollemni modo recolebatur. Itaque in diversis regionibus diversi Sancti, plures aut pauciores, celebrabantur.

A saeculo quinto usque ad saeculum nonum dies festi, festa potissimum Sanctorum, pro indigentiis temporis magis magisque augebantur. Nam inde a magna migratione gentium rudes et incultae gentes sanctae Christi Ecclesiae aggregabantur, quae in doctrina christiana instruendae et ad mores christianos informandae erant ideoque diligenti et intensa institutione indigebant,

---

apostolo et evangelista (13, 55) quidam Domino improperabant, dicentes: *Nonne hic est fabri filius*, neve ipsa Christi divinitas in dubium vocaretur. Non autem desunt vetustissima documenta contestantia venerationem s. patriarchae Ioseph, prout et ab Ecclesia cultus ipsi praecipuus seu cultus protoduliae exhibetur, quippe quum post beatissimam Virginem praefulgeat dignitate, sanctitate, gloria et patrocinio. Summus Pontifex Gregorius XV. anno 1621 festum s. Ioseph ad festum de praecepto, die 19. Martii celebrandum, evexit; Benedictus PP. XIII. die 19. Decembris 1729 nomen s. Ioseph litaniis omnium Sanctorum inseri iussit, denique Pius PP. IX. die 8. Decembris 1870 s. Ioseph sollemniter patronum Ecclesiae catholicae declaravit, eiusdem festo ad ritum duplicem primae classis elevato. (Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1871. Num. VII. alin. I. Pag. 4). — Dr. Michael Napotnik, Send- und Lehrschreiben. Marburg, 1911. Pagg. 133—154.

quam ordinarie viva voce tantum percipere poterant. Quapropter opus erat frequentibus sollemnitatibus ecclesiasticis, in quibus non solum ad audiendas christianas veritates congregabantur, verum etiam salutari vi, quam festiva tranquillitas nec non sublimes caeremoniae publici cultus divini in earum animos exercebant, ad istas veritates excipiendas alliciebantur. Quod autem indigentia temporis introduxit, populus doctrina Christi imbutus pio fervore prosequebatur.

Hoc temporis spatio festum Paschatis et Pentecostes per septem dies continuos celebrari coepit. Festo Nativitatis Domini tres adiungebantur dies festi, nempe festum s. Stephani protomartyris, s. Ioannis apostoli et evangelistae et ss. Innocentium martyrum; ante festum Ascensionis Domini tres dies festi — sic dictae feriae Rogationum — celebrabantur; accesserunt festa beatae Mariae virginis, quae iam supra enumeravimus, festa duodecim apostolorum, nonnullorum excellentiorum martyrum et confessorum atque omnium Sanctorum.

A saeculo nono usque ad saeculum decimum tertium ulterior evolutio sollemnitatum ecclesiasticarum ad tempus saltem cessavit, festa vero iam existentia in certum ordinem redacta sunt. Collectio decretalium Gregorii PP. IX. cap. 5 *Conquestus est nobis* anno 1232 sequentia statuit circa festa in universa Ecclesia introducta et a summo Pontifice qua talia agnita: »Quamvis non prorogari sed expediri deceat quaestiones, debet tamen iudicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse statuti scilicet: Natalis Domini, s. Stephani, s. Ioannis evangelistae, ss. Innocentium, s. Silvestri, Circumcisionis, Epiphaniae, septem diebus Dominicae passionis, Resurrectionis cum septem sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duobus, qui sequuntur, nativitatis Ioannis Baptistae, festivitatum omnium Virginis gloriosae, duodecim Apostolorum et praecipue Petri et Pauli, beati Laurentii, dedicationis beati Michaelis, sollemnitatis omnium Sanctorum ac diebus Dominicis caeterisque sollemnitatibus, quas singuli

Episcopi in suis dioecesibus cum Clero et populo duxerint sollemniter venerandas.«[1]

In quo catalogo festorum praeter festa iam pridem celebrata adhuc festum s. Silvestri Papae, festum Circumcisionis et tota hebdomas maior, festum Pentecostes cum duobus sequentibus diebus tantum et festum dedicationis s. Michaelis archangeli nominantur.

Quod ad celebrationem dierum festorum attinet, de hac materia iam in Synodo, anno 1903 celebrata, statuenda statuimus et, quae animarum pastores de modo sanctificandi dies festos fideles edocerent observanda, commemoravimus.[2] Adhuc in memoriam revocamus, quod iam sacrosanctum Concilium Tridentinum modum vere christianum celebrandi festa denuo inculcaverit.[3]

Axiomate Gregorii PP. IX. supra allegato, celebrari posse etiam sollemnitates, quas singuli Episcopi in suis dioecesibus cum Clero et populo duxerint sollemniter venerandas, in praxim deducto, numerus festorum imprimis particularium versus finem medii aevi admodum excrevit simulque graves querelae praesertim saeculo decimo sexto motae sunt ob abusus in festorum celebratione ortos et incommoda cum multo eorum numero coniuncta. Quare Urbanus PP. VIII. celebri bulla *Universa per orbem* de die 13. Septembris 1642 numerum festorum contraxit promulgando catalogum, in quo praeter dies Dominicos triginta quinque festa exibentur unice servanda.[4]

»Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Universa per orbem novit Ecclesia romani Pontificis supremae incumbere sollicitudini, Dominicum gregem ad aeternam dirigere salutem et apostolica sic explicare praecepta, ut fideles in viam mandatorum currere et ad beatitudinem feliciter valeant pervenire.

[1] C. 5. X. (II. 9) De feriis. — [2] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXVI. pagg. 560—573; cap. LXXXII. pagg. 759—768. — [3] Sess. XXV. De invocatione et veneratione Sanctorum. — De regularibus. Cap. 12. — [4] Decreta authentica Congregationis sacrorum rituum. Romae, 1898. Vol. I. num. 812. pag. 173 et 174.

§ 1. Plurimorum siquidem venerabilium Fratrum Nostrorum Archiepiscoporum et Episcoporum per varias regiones constitutorum relatione ad Nos pervenit festorum multitudinem per singulas eorum dioeceses et provincias adeo crevisse, devotione atque consuetudine nova in dies introducente, ut multi iam dubitare videantur, quaenam ex praecepto quaeve ex libera cuiusque voluntate sint servanda, pietatis fervore ob nimiam eorumdem numerositatem tepescente. Quinimmo et clamor pauperum frequens ascendit ad Nos, eamdem multitudinem ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem sibi valde damnosam conquerentium, et quod summopere dolendum est, magno cum animi Nostri moerore didicimus, tanta saepe saepius machinatum inimicum in sanctos, ut ipsa multitudine non ad aedificationem et ad laudandum in Ecclesia Deum populi utantur, sed ad otia, vanitates et vitia frequenter abuti non formident; ita ut quae ad glorificandum divinum Numen sunt primitus instituta, temporis decursu inimicus homo corruperit et in magnam illius offensionem gravemque iacturam converterit animarum. Quamobrem dicti venerabiles Fratres Archiepiscopi et Episcopi Nobis fecerunt humiliter supplicari, ut in praedictis de apostolicae potestatis plenitudine congruam aliquam iniremus rationem.

§ 2. Nos itaque volentes ex debito pastoralis officii providere et sanctificationis festorum certum deinceps firmare praeceptum antiquam Ecclesiae in hoc consuetudinem sectantes, habitis prius frequentibus per doctos piosque viros, quos ad haec specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei videtur gravitas postulari; motu proprio et ex certa scientia meraque deliberatione Nostris nec non de praedictae apostolicae plenitudine potestatis, hac perpetuo valitura Constitutione, de voto etiam ven. Fratrum Nostrorum sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum, apostolica auctoritate decernimus et declaramus, infrascriptos dumtaxat dies pro festis ex praecepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas vel universalis

Ecclesiae probavit consuetudo vel omnium gentium unanimis pietas veneratur. Dominicos scilicet dies totius anni, Nativitatis D. N. I. Chr., Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis cum duabus pariter sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, sanctissimae Trinitatis, sollemnitatis corporis Christi et inventionis sanctae Crucis, necnon Purificationis, Annunciationis, Assumptionis et Nativitatis Deiparae Virginis, dedicationis s. Michaelis archangeli, nativitatis s. Ioannis Baptistae, ss. Petri et Pauli, s. Andreae, s. Iacobi, s. Ioannis, s. Thomae, ss. Philippi et Iacobi, s. Bartholomaei, s. Matthaei, ss. Simonis et Iudae et s. Matthiae Christi Domini apostolorum, item s. Stephani protomartyris, ss. Innocentium, s. Laurentii martyris, s. Silvestri papae et confessoris, s. Iosephi etiam confessoris et s. Annae, Deiparae respective sponsi ac genitricis, sollemnitatis omnium Sanctorum atque unius ex principalioribus patronis in quocumque regno sive provincia et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit.

§ 3. Ad reliquorum vero dierum observantiam, quos hactenus sive in universa Ecclesia sive in quavis natione aut regno, provincia, dioecesi aut loco quomodocumque sive ex praecepto sive ex consuetudine sive ex devotione Christi fideles tamquam festivos celebrarent, nequaquam ex praecepto ipsos teneri, dicta auctoritate tenore praesentium perpetuo etiam decernimus et declaramus. Ne autem dies festos a locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad ecclesiasticam ubique servandam aequalitatem de caetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub praecepto novorum festorum studeant abstinere. Ut vero ea, quae superius expressa sunt, ferventiori qua decet veneratione ac devotione colantur, eisdem Ordinariis antiquorum canonum observantiam in memoriam revocamus in concedendis licentiis laborandi diebus festis, quae quidem licentiae non aliter

quam ad formam praedictorum canonum, ut praemittitur, concedendae non nisi gratis, libere et sine ullo prorsus pretio aut pacto, directe vel indirecte, concedantur, sub poenis etiam gravioribus, Nostro successorumque Nostrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc Nostram Constitutionem dies feriatos circa iudicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in iisdem statu et terminis, in quibus erant ante eiusdem promulgationem.

§ 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis Nostrae poena nunc et pro tempore existenti Nostro in Urbe eiusque districtu Vicario in spiritualibus generali ac universis et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis aliisque Praelatis ac cuiuscumque generis locorum Ordinariis, etsi Cardinalatus honore fulgeant, ut has praesentes litteras omniaque et singula in eis contenta singuli videlicet in eorum respectivis dioecesibus publicent et ab omnibus eorum subditis ad unguem observari faciant.

§ 5. Non obstantibus quibusvis apostolicis, etiam in provincialibus, synodalibus et universalibus Conciliis editis et edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus ac singularum provinciarum, civitatum, oppidorum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus longissimo tempore praescriptis ac observatis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, decreti declarationibus et litteris apostolicis aliisque gratiis, tam per ipsos romanos Pontifices praedecessores Nostros ac per Nos etiam motu simili, etiam consistorialiter, quam per Ordinarios locorum cuiuscumque qualitatis etiam Cardinalatus honore ut praefertur fulgentes, Legatos etiam de latere et Sedis apostolicae Nuncios ipsis provinciis, civitatibus, oppidis et locis aliisque quibuscumque etiam quantumvis privilegiatis personis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, Ducum aut aliorum Principum contemplatione vel intuitu ac aliis in contrarium forsan

quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis etsi alias pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum serie specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis et manu Notarii publici subscriptis ac sigillo personae alicuius in Dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 7. Nulli ergo homini liceat hanc paginam Nostrorum decretorum, declarationum, monitionis, intentionis, mandati, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1642 Idibus Septembris Pontificatus Nostri anno XX.«

Praedicto catalogo a Clemente PP. XI. constitutione *Commissi* de die 6. Decembris 1708 additum est festum immaculatae Conceptionis beatae Mariae virginis.

Hic catalogus usque ad novissimum tempus ius commune circa festa de praecepto continuit et est practici momenti quoad obligationem applicandi Missam pro populo et quoad proclamationes nuptiales.[1]

[1] Instructio pro iudiciis ecclesiasticis imperii Austriaci quoad causas matrimoniales. Vindobonae, 1856. § 60.

Iuri communi particularibus dispensationibus derogari coeptum est sub pontificatu Benedicti PP. XIII., qui anno 1727 provinciae ecclesiasticae Tarraconensi in Hispania indulsit, ut septemdecim diebus festivis opera servilia licite peragi possent, manente tamen obligatione audiendi Sacrum; ac postea praesertim a tempore Benedicti PP. XIV. indulta pro diversis regionibus tam multiplicata sunt, ut numerus festorum ab Urbano PP. VIII. praescriptus iam nullibi observetur.

Pro imperio austriaco-hungarico ad preces Mariae Teresiae imperatricis Benedictus PP. XIV. constitutione *Cum sicut quaedam* de die 7. Ianuarii 1754 et Clemens PP. XIV. constitutione *Paternae caritatis* de die 22. Iunii 1771 notabilem concesserunt reductionem festorum de praecepto celebrandorum, ut scilicet omitterentur feriae tertiae post Dominicam Resurrectionis et Pentecostes ac festum inventionis s. Crucis et omnia festa Angelorum et Sanctorum, duobus exceptis nempe ss. Petri et Pauli et s. Stephani. Benedictus XIV. obligationem solummodo quoad praeceptum abstinendi ab operibus servilibus relaxavit, manente praecepto audiendi Missam. Quod indultum quum experientia non probaretur, Clemens XIV. utrumque praeceptum sustulit. Sed loco omissorum festorum praescripta est commemoratio omnium Apostolorum in festo ss. Petri et Pauli atque commemoratio omnium Sanctorum martyrum die festo s. Stephani.[1] Insuper ieiunia vigiliarum ante festa abrogata ad feriam quartam et sextam sacri Adventus translata sunt.

Patroni locorum in Austria non habentur, sed patroni provinciarum politicarum celebrantur v. g. s. Ioseph in provincia Styriae. Patroni dioecesium tamquam festa

[1] Commemoratio omnium ss. apostolorum et omnium ss. martyrum fieri debet ab utroque Clero cum formulis, in appendice Missalis et Breviarii diebus 29. Iunii et 26. Decembris positis. Pro qua commemoratione sive prima sive secunda oratio ibi posita eligi potest. In Missa commemoratio ista *suo loco* ponenda est i. e. post commemorationem Dominicae, si festum ss. Petri et Pauli venerit in Dominica et in festo s. Stephani post commemorationem octavae Nativitatis Domini neque dicitur sub una conclusione cum oratione diei festi.

devotionis celebrari solent, sed de praecepto agi non debent.

Aliis regionibus et regnis alia indulta circa celebrationem festorum concessa sunt; unde magna difformitas et dissonantia in orbe catholico latino invaluit quoad hanc non parvi momenti disciplinam. Hinc iam in Concilio Vaticano supplicatum est summo Pontifici, ut novam festorum legem universalem conderet. Huic multorum Episcoporum desiderio gloriosissime regnans Sanctissimus Pater Pius PP. X. satisfecit, qui egregio Motu proprio *Supremi disciplinae ecclesiasticae* de die 2. Iulii 1911 fere mediam in numero festorum computando viam ingressus est.[1]

Motu proprio de diebus festis.

Supremi disciplinae ecclesiasticae custodes et moderatores Pontifices romani, si quando christiani populi bonum id ipsis suaderet, sacrorum canonum sanctiones relaxare benigne consueverunt. Nos quidem ipsi, quemadmodum iam alia ob mutatas temporum et civilis societatis conditiones immutanda existimavimus, ita etiam in praesens ecclesiasticam legem de festis diebus ex praecepto servandis ob peculiaria aetatis adiuncta opportune temperandam censemus. Lata enim terrarum marisque spatia mira nunc celeritate homines percurrunt facilioremque per expeditiora itinera aditum ad eas nationes nanciscuntur, quibus minor est festivitatum de praecepto numerus. Aucta etiam commercia et citatae negotiorum tractationes videntur ex interposita frequentium festorum dierum mora aliquid pati. Succrescens denique in dies rerum ad vitam necessariarum pretium stimulos addit, ne saepius servilia opera ab illis intermittantur, quibus est victus labore comparandus.

His de causis iteratae preces, praesertim postremis hisce temporibus, sanctae Sedi adhibitae sunt, ut festivitatum de praecepto numerus minueretur.

[1] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1911. Num. X. alin. 97. pag. 183 et 184.

Haec omnia Nobis animo repetentibus, qui unam christiani populi salutem cordi habemus, opportunum maxime consilium visum est, festos dies ex Ecclesiae mandato servandos imminuere.

Itaque Motu proprio et matura deliberatione Nostra adhibitoque consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, qui ad Ecclesiae leges in codicem redigendas incumbunt, haec, quae sequuntur, de festis diebus edicimus observanda.

I. Ecclesiastico praecepto audiendi Sacri et abstinendi ab operibus servilibus hi tantum, qui sequuntur, dies subiecti manebunt: Omnes et singuli dies Dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, immaculatae Conceptionis et Assumptionis almae genitricis Dei Mariae, beatorum Petri et Pauli apostolorum, omnium denique sanctorum.

II. Dies festi sancti Ioseph, sponsi beatae Mariae virginis, et nativitatis sancti Ioannis Baptistae, uterque cum octava, celebrabuntur tamquam in sede propria prior Dominica insequente diem 19. Martii, immoto permanente festo, si dies 19. Martii in Dominicam incidat; alter Dominica, quae festum sanctorum Petri et Pauli apostolorum antecedat. Festum vero sanctissimi corporis Christi idemque cum octava privilegiata Dominica post sanctissimam Trinitatem tamquam in sede propria celebrabitur, statuto pro festo sacratissimi Cordis Iesu feria sexta intra octavam.

III. Ecclesiastico praecepto, quod supra diximus, dies festi patronorum non subiacent. Locorum autem Ordinarii possunt sollemnitatem exteriorem transferre ad Dominicam proxime sequentem.

IV. Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur. Si qua vero in natione vel regione aliquod ex abrogatis festis Episcopi conservandum censuerint, Sanctae Sedi rem deferant.

V. Quod si in aliquod ex festis, quae servata volumus, dies incidat abstinentiae vel ieiunio consecratus, ab

utroque dispensamus; eamdemque dispensationem etiam pro patronorum festis, hac Nostra lege abolitis, concedimus, si tamen sollemniter et cum magno populi concursu ea celebrari contingat.

Novum apostolicae sollicitudinis argumentum huiusmodi praebentes spem Nos certam fovemus, fideles universos eis etiam diebus, quos nunc de numero festivitatum praecepto obstrictarum expungimus, suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem non minus quam antea fore testaturos caeterisque diebus festis, qui in Ecclesia servandi supersunt, diligentiore quam antehac studio observandum praeceptum curaturos.

Contrariis quibusvis, licet speciali et individua mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae apud s. Petrum, die II. mensis Iulii 1911, Pontificatus Nostri anno octavo.

Pius PP. X.

Nova haec lex universalis circa festa de praecepto a summo Pontifice data est *primo* ideo, quia magna in festorum celebratione diversitas in variis regionibus hucusque servata in dies maiora incommoda secum fert, quoniam ob miram facilitatem et celeritatem itinerandi plurimi homines christiani saepissime ad nationes et regiones perveniunt, quae festorum numerum multo minorem vel maiorem habent;[1] *secundo* ideo, ne ob numerum festorum forte maiorem detrimentum aliquod patiantur commercia et negotiorum tractationes, quae nostra aetate valde cito persolvi debent ideoque vel uno die interposito saepissime damnum pati possunt; *tertio* ideo, quia crescens omnium rerum ad vitam necessariarum pretium expostulat, ne ob festa nimis frequentia opera servilia

[1] Sic v. gr. *Romae* duodeviginti festa celebrantur; in reliqua *Italia* et *Germania* disciplina diversa est et unitas omnino desideratur. Apud nos in *Austria* sedecim festa habemus, insuper in quavis provincia proprius celebratur patronus; in tota *Gallia* eiusque coloniis transmarinis, sicut et in partibus Germaniae ad sinistram Rheni ripam sitis solummodo quattuor festa servantur; idem valet pro Belgio, Hollandia et Luxemburg. In statibus foederatis *Americae* septemtrionalis eorumque coloniis sex festa coluntur; in *Anglia* eiusque coloniis octo, in Hispania sedecim festa habentur. In singulis dioecesibus Helveticis valde diversus est numerus festorum.

ab illis intermittantur, quibus est victus labore comparandus; *quarto* ideo, quia his de causis iteratae preces, praesertim postremis temporibus, Sanctae Sedi propositae sunt, ut festivitatum de praecepto numerus minueretur.

Abrogando aliqua festa Sanctissimus Pater nemini vult praecidere requiem aut praescribere laborem, prout sive ex ignorantia sive ex malitia hinc inde ipsi obiicitur, sed neminem cogit, ut praedictis diebus festis a labore abstineat.

Revera autem, proh dolor, multi non in urbibus solum verum etiam ruri iam inveniuntur, qui sponte omisso Sacro diebus Dominicis et festivis opera exercent servilia aut, quod deterius est, in tabernis tempus terunt et potui immoderato indulgent, praesertim si duo vel plura concurrant festa. Haud dubium, quod etiam profanatione festorum, non tantum in urbibus sed etiam in pagis iam frequentius occurrente, Summus Pontifex permotus fuerit ad quorumdam festorum suppressionem.

Catalogus novus festorum de praecepto praeter dies Dominicos, quibus et festa Paschatis ac Pentecostes nec non ss. Trinitatis accensentur, *quattuor festa Domini:* Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Ascensionis, *duo festa beatae Mariae virginis:* immaculatae Conceptionis et Assumptionis, *et duo festa Sanctorum:* ss. Petri et Pauli apostolorum et omnium Sanctorum complectitur. Residuorum festorum praeceptum abolitum est, i. e. reliqua festa ex lege universali pro populo non amplius praeceptiva sunt, *sed nihil obstat immo summus Pontifex valde desiderat, ut populus ex devotione libere festa,* nova hac lege abrogata, *servet, Missae et rei divinae assistendo et ab operibus servilibus abstinendo.*

Ad preces nonnullorum reverendissimorum Episcoporum Beatissimus Pater edi mandavit decretum *Urbis et Orbis,* quod sequitur.

»Decretum S. Congregationis rituum Urbis et Orbis super Motu proprio diei 2. Iulii 1911.

Evulgato *Motu proprio* Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X. de diebus festis diei 2. Iulii vertentis anni

nonnuli Sacrorum Antistites, ne accidat, ut dies octava s. Ioseph, in Dominicis privilegiatis Quadragesimae occurrens, nullam in Officio et Missa commemorationem accipiat et Officium dierum infra octavam, tempore Passionis adveniente saepius omitti debeat, ab Ipso Sanctissimo Domino Nostro instantissime petierunt, ut ad augendum cultum erga s. Ioseph, Ecclesiae universalis Patronum, festum eius die 19. Martii sine feriatione et sine octava recolatur; festum vero Patrocinii eiusdem iuribus et privilegiis omnibus, quae Patronis principalibus competunt, augeatur et sub ritu duplici primae classis cum octava celebretur, prout iam in aliquibus locis et institutis recoli legitime consuevit; eo vel magis, quod tempus paschale aptius recolendae sollemnitati conveniat et festum idem in Dominica III. post Pascha numquam impediri valeat.

Item reverendissimi Episcopi quoad Sollemnitatem sanctissimi corporis Christi ab eodem Sanctissimo Domino nostro humillimis precibus postularunt, quod, remanente feria V. post Dominicam sanctissimae Trinitatis eius festo, absque tamen feriatione, externa sollemnitas ad insequentem Dominicam transferatur.

Sanctissimus Dominus Noster, referente infrascripto sacrorum rituum Congregationis Secretario, audito Commissionis liturgicae suffragio, huiusmodi votis clementer deferens, firmo remanente *Motu proprio* quoad reliqua festa, statuit et decrevit:

I. Festum natale s. Ioseph die 19. Martii sine feriatione et sine octava sub ritu duplici primae classis recolatur, adhibito titulo: *Commemoratio sollemnis s. Ioseph, sponsi B. M. V., confessoris.*

II. Festum Patrocinii eiusdem s. Ioseph Dominica III. post Pascha sub ritu duplici primae classis cum octava, addito festi primarii qualitate, recolatur sub titulo: *Sollemnitas s. Ioseph, sponsi B. M. V., confessoris, Ecclesiae universalis patroni.*

III. Diebus infra octavam et die octava sollemnitatis s. Ioseph adhibeatur officium, uti prostat in appendice Octavarii romani.

IV. Festum sanctissimae Trinitatis, Dominicae I. post Pentecosten affixum, amodo sub ritu duplici primae classis recolatur.

V. Festum sanctissimi corporis Christi celebretur absque feriatione, sub ritu primae classis et cum octava privilegiata ad instar octavae Epiphaniae, feria V. post Dominicam sanctissimae Trinitatis, adhibito titulo: *Commemoratio sollemnis sanctissimi corporis Domini Nostri Iesu Christi.*

VI. Dominica infra octavam huius festivitatis in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, recitato officio cum relativa Missa de eadem Dominica, unica Missa sollemnis cani potest, ut in festo, cum Gloria, unica Oratione, Sequentia, Credo et Evangelio s. Ioannis in fine. Ubi vero non adsit Missae conventualis obligatio, addatur sola commemoratio Dominicae sub distincta conclusione eiusque Evangelium in fine. Hac vero Dominica peragatur sollemnis processio cum sanctissimo Sacramento.

VII. Feria VI. post octavam celebretur ut antea festum sacratissimi cordis Iesu sub ritu duplici primae classis.

Valituro praesenti decreto etiam pro familiis regularibus et ecclesiis ritu latino a Romano diverso utentibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 24. Iulii 1911.

L. † S. **Fr. S.** Card. **Martinelli,** Praefectus.
† **Petrus La Fontaine,** Episc. Charystien., Secretarius.«[1]

»Ad quasdam liturgicas quaestiones de diebus festis nuper propositas enodandas, inspecto *Motu proprio* Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X. diei 2. Iulii vertentis anni 1911 una cum subsequenti decreto *Urbis et Orbis* sacrorum rituum Congregationis diei 24. Iulii eiusdem mensis et anni Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis liturgicae suffragio atque approbante ipso Sanctissimo Domino Nostro, haec statuit et declaravit:

[1] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1911. Num. XI. alin. 106. pag. 199 et 200.

I. Quum festum nativitatis s. Ioannis Baptistae in posterum celebrandum sit Dominica immediate antecedente festum sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac proinde duae octavae simul occurrere possint; hoc in casu agatur officium de octava nativitatis s. Ioannis cum commemoratione octavae ss. Apostolorum.

II. Vigilia nativitatis s. Ioannis Baptistae affigatur sabbato ante Dominicam, quae praecedit festum ss. apostolorum Petri et Pauli. Quando in hoc sabbato simul occurrant vigilia nativitatis s. Ioannis et vigilia ss. Apostolorum, fiat officium de prima cum commemoratione alterius in Missa tantum. Si vero in hoc sabbatum incidat officium ritus duplicis aut semiduplicis, nona lectio erit de vigilia nativitatis s. Ioannis et in Missa fiat commemoratio utriusque vigiliae.

III. In ecclesiis cathedralibus et collegiatis in casu praecedenti dicatur post Nonam Missa de vigilia nativitatis s. Ioannis cum commemoratione vigiliae ss. Apostolorum. Si vero occurrit festum novem lectionum, dicantur duae Missae conventuales, una de officio currenti post Tertiam, altera de vigilia nativitatis s. Ioannis post Nonam cum commemoratione vigiliae ss. Apostolorum.

IV. Si festum s. Ioannis Baptistae incidat in diem 28. Iunii, secundae Vesperae integrae erunt de hac sollemnitate cum commemoratione sequentis festi ss. Apostolorum iuxta rubricas.

V. Quum ex decreto supra citato diei 24. Iulii 1911 ad instar octavae Epiphaniae sit privilegiata octava commemorationis sollemnis sanctissimi corporis D. N. I. Chr., infra hanc octavam prohibentur etiam tum Missae votivae pro sponsis tum Missae cum cantu de Requie pro prima vice post obitum vel eius acceptum nuncium; die vero octava prohibentur Missae privatae de Requie, quae die vel pro die obitus alias cum exequiali Missa permittuntur.

VI. Missa cum cantu de Requie die vel pro die obitus aut depositionis, praesente insepulto non ultra biduum cadavere, vetita est in sequentibus festis nuper

suppressis, nempe commemorationis sollemnis sanctissimi corporis Christi, annunciationis B. M. V., commemorationis sollemnis s. Ioseph et Patroni loci.

VII. Item praedicta Missa inhibetur in festis sollemnitatis s. Ioseph, sanctissimae Trinitatis et in Dominica, in quam transfertur sollemnitas commemorationis sanctissimi Sacramenti.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 28. Iulii 1911.

L. † S. **Fr. S.** Card. **Martinelli,** Praefectus.

† **Petrus La Fontaine,** Episc. Charystien. Secret.«[1]

»Sacrae Congregationi Concilii circa interpretationem eorum, quae nuperrimo *Motu proprio* de diebus festis a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X. die 2. mensis Iulii hoc anno 1911 edito constituta sunt, dubia quae sequuntur enodanda proposita fuerunt:

I. An in festis nuperrimo Motu proprio suppressis quoad forum, nempe sanctissimi corporis Christi, Purificationis, Annunciationis et Nativitatis B. M. V., s. Ioseph, sponsi eiusdem B. M. V., s. Ioannis apostoli et evangelistae, et Patroni cuiusque loci vel dioecesis obligatio remaneat Sacrum faciendi pro populo.

II. An in ecclesiis cathedralibus et collegiatis omnia in praedictis festis suppressis servanda sint prout in praesenti sive quoad officiaturam choralem sive quoad sollemnitatem tum Missarum tum Vesperarum.

III. An festa, ex voto vel constituto auctoritate etiam ecclesiastica firmato sancita, a numero festorum cum obligatione Sacrum audiendi vigore novissimae huius legis expungantur.

IV. An eadem lex novissima de diebus festis servandis immediate vigeat.

Sacra Congregatio Concilii omnibus mature perpensis, ex speciali facultate a Sanctissimo D. N. Pio PP. X.

---

[1] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1911. Num. XI. alin. 107. pag. 200.

tributa, ad omnia haec dubia respondendum censuit: *Affirmative.*

Datum Romae ex Secretaria S. C. Concilii, die 8. Augusti 1911.

L. † S. C. Card. **Gennari,** Praefectus.
B. Pompili, Secretarius.«[1]

»Quum ex *Motu proprio* Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X. diei 2. elapsi mensis Iulii festum nativitatis s. Ioannis Baptistae, a die 24. Iunii perpetuo translatum, assignatum fuerit Dominicae ante sollemnia ss. apostolorum Petri et Pauli tamquam in sede propria, nonnulli reverendissimi Episcopi paragraphum quartam eiusdem *Motus proprii* perpendentes, qua cautum est, in locis peculiari indulto Apostolico utentibus nihil esse innovandum inconsulta Sede Apostolica, huic dispositioni obtemperantes ipsam Sanctam Sedem adierunt reverenter postulantes a Sacra rituum Congregatione:

Utrum dioeceses, ubi hucusque festum nativitatis s. Ioannis Baptistae quotannis celebratum est die 24. Iunii cum apostolica dispensatione a feriatione, possint hunc diem retinere, vel potius debeant sumere praefatam Dominicam in Calendario universali nuper assignatam nativitati sancti Praecursoris Domini?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, attento novissimo *Motu proprio* de diebus festis unacum subsequentibus declarationibus, propositae quaestioni rescribendum censuit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Hanc vero resolutionem Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X. ratam habuit, probavit atque servari mandavit.

Die 7. Augusti 1911.

L. † S. **Fr. S.** Card. **Martinelli,** Praefectus.
† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.«[2]

»Relato ab infrascripto Sacrae Congregationis Concilii Praefecto in audientia diei 15. Septembris 1911 San-

[1] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1911. Num. XI. alin. 108. pag. 201.
[2] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1911. Num. XII. alin. 125. pag. 224.
I. Dubium.

ctissimo Domino Nostro Pio PP. X. dubio a pluribus Episcopis eidem Sacrae Congregationi proposito, an post Motu proprio *Supremi disciplinae* diei 2. Iulii 1911 adhuc servari debeant vigiliae festorum suppressorum, ex praecepto aut ex voto hucusque servatae, Sanctitas Sua iussit responderi: *Affirmative.*

Datum ex Secretaria Sacrae Congregationis Concilii die 18. Septembris 1911. **C.** Card. **Gennari,** Praefectus.
L. † S. **I. Ferro,** Adiut.«[1]

Tenorem *Motus proprii* Sanctissimi Patris Pii PP. X. de die 2. Iulii 1911 in folio officiali dioecesano, iam superius allegato, ad notitiam venerabilis Cleri dioecesani detulimus, ut animarum curatores aut statim in scriptis aut in Synodo dioecesana proxime celebranda verbis desideria sua Nobis pandere valerent.

Quum in quinta eaque ultima Congregatione generali Synodi dioecesanae, die 31. Augusti 1911 hora 4. pomeridiana habita, ad mandatum Nostrum iste decretorius Motus proprius cum respectivis decretis sacrae rituum Congregationis declaratoriis interim editis animarum pastoribus Synodo adstantibus explanatus esset, quidam existimarunt, rem reverendissimorum Episcoporum iudicio esse committendam; longe maior autem synoditarum pars rogavit, quatenus festa, prouti nunc sunt, et in posterum permaneant, timens, ne populus fidelis, qui inter res fidei et disciplinae non discernit, festorum abolitione in fide ipsa labefactaretur; omnes vero in eo consentiebant, ut sollemnitas sanctissimi corporis Christi, utpote populo fideli peramata, servaretur.

Innitentes itaque ordinationi Sanctissimi Patris Pii PP. X. in alin. IV. Motus proprii de die 2. Iulii 1911: »Si qua vero in natione vel regione aliquod ex abrogatis festis Episcopi conservandum censuerint, Sanctae Sedi rem deferant«, Archiepiscopi et Episcopi imperii austriaci, mense Novembri anno 1911 Vindobonae in conferentiis congregati, re diligentissime discussa, die 12. Novembris 1911 sequentem relationem Sanctitati Suae substraverunt:

[1] Idem. II. Dubium.

»Beatissime Pater!

Episcopi Austriae ordinariis comitiis autumnalibus Vindobonae una coadunati muneris sui esse duxerunt, consilia conferre praeprimis de modo executioni mandandi decretum *Supremi* de die 2. Iulii 1911 super diebus festis, ita quidem ut simul uniformitati nec non fidelium votis pro viribus provideretur.

In hunc igitur finem praehabitis in scriptis atque una simul examinatis Cleri et fidelium precibus Episcopi unanimiter convenerunt, ut tam grave negotium ad Te, Beatissime Pater, deferretur, cum non una sit de hac re Episcoporum mens.

Maior pars Episcoporum, Cleri et populi rogat, ut festa, quae hucusque celebrata fuerunt, etiam in posterum cum duplici praecepto in sede propria in vigore maneant. Rationes vero, quibus moventur, hae praecipue sunt:

Operariorum classis praeprimis hanc opinionem fovet, quod nempe per horum festorum abrogationem dies quietis ab operibus servilibus, quorum necessitatem in hodiernis industriae et commercii conditionibus se persentire affirmant, imminuuntur, quin inde sensibile salarii augmentum habeatur. Accedunt operariis etiam publici et privati officiales, quorum numerus sat notabilis, qui menstruo et determinato salario conducti sunt, et proinde per abrogationem quorumdam dierum, dum augetur labor, minime augetur salarium. Agricolarum vero magna pars pie festivitatibus a maioribus traditis adhaeret et cum animi dolore ab eisdem recedit, neque eius pietati fieri satis videtur eo, quod festa abrogata tamquam festa devotionis urgeantur. Accedit demum ratio pastoralis, quod plures fideles occasionem opportunam nanciscebantur occurrente ex festis abrogatis suscipiendi sacramenta et praecepto paschali satisfaciendi.

Minor vero Episcoporum, Cleri et populi pars optat, ut decretum executioni mandetur, festo corporis Domini pro omnibus et insuper uno alterove festo pro quibus-

dam exceptis. Rationes vero, quibus moventur, hae praecipue sunt:

Providetur meliore modo festorum uniformitati universim iuxta mentem decreti et »opportunum maxime consilium visum est festos dies ex Ecclesiae mandato imminuere«. Dolendum praeterea est multos ex operariis nec non ex caeteris fidelium ordinibus, praesertim ex incolis urbium maiorum, facile laedere duplex praeceptum diebus festis adnexum eosque diebus sacris ut plurimum crapulis et peccatis indulgere, quare non absque timore et tremore indultum imponens gravia onera, quae a multis teste experientia non portantur, expostulandum censent. Denique non omni fundamento destitui videtur timor, ne confusio quaedam oriatur inter fideles circa obligationem servandi festa, quae per decretum pontificium fuerunt abrogata, licet Episcopi indulto pontificio innixi illi festa uti de praecepto urgerent.

Haec omnia Episcopi perpendentes nihil melius esse duximus, quam Tibi, Beatissime Pater, rem totam fideliter aperire lumen implorantes, quod quidem nos omnes perlubenti animo sequemur, quia nobis alte persuasum est, quod, quae Tu, Beatissime Pater, decreveris, tum tranquillitati nostrae tum saluti ovium concreditarum plene fore conductura.

Ovium vero nostrarum preces unanimes sunt, ut Tu, Beatissime Pater, benigne concedere digneris, ut festum corporis Domini in sede propria cum duplici praecepto celebrare valeamus. Ratio vero est, quia hoc festo occurrente Christo Domino eucharistico sollemnis tribuitur cultus adorationis non solum a populo, sed et ab ipso Imperatore et ab omnibus status officialibus et a militibus, quod quidem ad Dei gloriam, ad populi aedificationem, ad fidem erga ss. Eucharistiae sacramentum magis magisque vivificandam mire inservit. Licet demum Tibi, Beatissime Pater, aperire, quod in regionibus, in quibus tum ritus latinus tum graeco-catholicus viget, specialissime militant rationes pro conservatione festorum,

de quibus tamen Episcopi illarum regionum speciatim pro necessitate referent.

Ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus cum filiali obsequio et obedientia persisto

Sanctitatis Tuae

† L. Card. Skerbenský
Conferentiarum Praeses.

Vindobonae, die 12. Novembris 1911.«

Ad quam relationem Sacra Congregatio Concilii ex mandato Sanctitatis Suae die 17. Decembris 1911 respondere dignata est:

»Sacra Congregatio Concilii.

Num. prot. 6403/11.

Romae, die 17. Dec. 1911.

E.me ac Rev.me Domine mi Obs.me!

Relatis Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. X. in audientia die 12. huius mensis iis, quae ab Eminentia Vestra omnium Episcoporum austriaci imperii nomine litteris die 12. Novembris proxime elapsi datis exposita sunt circa dies festos duplici praecepto in dioecesibus eiusdem imperii servandos, Sanctitas Sua peculiari ratione attenta, qua hucusque festum corporis Christi intra fines imperii celebrari consuevit, indulgere benigne dignata est, ut idem festum die ipsi assignata seu feria V. post Dominicam Trinitatis eadem omnino sollemnitate, ac ad haec usque tempora peractum est, et in posterum celebretur.

Ad alios vero dies festos quod attinet, qui licet recenti Motu proprio *Supremi disciplinae ecclesiasticae* die 2. Iulii hoc anno edito suppressi sint, in votis est, ut nihilominus serventur, haec Eminentiae Vestrae aliisque Episcopis Beatitudo Sua significanda voluit: Quod nempe in certis quibusdam abolendis diebus festis ea tantum fuit apostolicae Sedis mens, ut numerus festorum imminueretur aliquantulum, et ita qui eosdem servare nollent, a quavis coram Deo culpa seu a quovis peccato immunes

essent, minime vero, ut dies festi, qui suppressi sunt, minori in posterum sollemnitate agantur. Eapropter quae de diebus festis recenter constituta fuerunt, impedimento minime sunt, quominus fideles, si velint, diebus festis etiam abolitis et Sacrum audiant et ab operibus se abstineant servilibus. Dum enim sponte id faciunt, maiori forsan apud Deum merito afficiuntur.

Mature igitur qui apud apostolicam Sedem ne quid innovetur instant, considerent oportet, quanti sit momenti, quod petunt. Siquidem dum onera augere student, transgressionum quoque apud Deum sponsores se constituunt, quae obvenire exinde poterunt, iisque quodammodo suam maculant conscientiam.

Quod si nihilominus hisce omnibus perpensis, Episcopi ea in suis dioecesibus censeant esse rerum adiuncta, ut, auditis etiam hac de re parochis, et si festorum numerus non imminuatur, nil exinde detrimenti animarum saluti capiat, Sanctitas Sua, si graves et extraordinariae causae id omnino suadeant, necessarias iisdem tribuit facultates, ut prout hac super re collatis consiliis et de Capitulorum cathedralium sententia magis in Domino expedire iudicaverint, agant, donec novum schema codicis Iuris canonici ad ipsos mittatur atque super ipsum, praesertim super festorum observantia, suam mentem aperuerint.

Haec igitur sunt, quae Sanctitas Sua litteris Eminentiae Vestrae respondenda voluit, quaeque dum Eminentiae Vestrae significo, ut de iisdem caeteros omnes Antistites austriacae ditionis certiores faciat, eiusdem Eminentiae Vestrae manus humillime deosculor ac me profiteor Eminentiae Vestrae

humillimum obedientissimum servum verum

C. Card. Gennari, Praef. **O. Giorgi**, Secr.ius.«

Summus Pontifex itaque attenta peculiari ratione, qua festum sanctissimi corporis Christi hucusque in imperio austriaco celebrari consuevit, indulgere benigne dignatus est, ut idem festum die ipsi assignata i. e. feria V.

post Dominicam sanctissimae Trinitatis eadem omnino sollemnitate, qua ad haec usque tempora peragebatur, etiam in posterum celebraretur.

Quod vero ad alios dies festos Motu proprio *Supremi disciplinae* abolitos attinet, Sanctitas Sua significanda voluit, in certis quibusdam abolendis diebus festis eam tantum fuisse apostolicae Sedis mentem, ut numerus festorum aliquantulum imminueretur et ita qui eosdem servare nollent, a quavis coram Deo culpa seu a quovis peccato immunes essent, fideles vero minime prohiberi, quominus, si velint, diebus festis etiam suppressis et Sacrum audiant et ab operibus abstineant servilibus; quod si sponte fecerint, eos maius forsan apud Deum meritum habituros.

Simul Sanctitas Sua Episcopis considerandum esse dixit, eos, dum retinendo festa augere onera studeant, transgressionum quoque apud Deum sponsores constitui, quae exinde obvenire poterunt, iisque quodammodo maculare conscientiam.

Quod si vero in aliqua dioecesi *graves et extraordinariae* existant causae, quae *omnino* suadeant, ut festa hucusque celebrari solita retineantur, Sanctissimus Pater Episcopis tribuit facultatem, ut, prout hac super re collatis consiliis et de Capitulorum cathedralium sententia magis in Domino expedire iudicaverint, agant.

Denique adnotandum, privilegium hoc temporarium esse, i. e. duraturum tantum ad tempus, donec novum schema codicis iuris canonici ad Episcopos mittatur, atque illi super ipsum, praesertim super festorum observantia, suam sententiam aperuerint.

Quibus omnibus mature perpensis, statuimus et ordinamus, quae sequuntur:

1. Animarum curatores edoceant fideles, dies festos non esse institutionis divinae, sed legis ecclesiasticae et a potestate ecclesiastica, a qua instituti sunt, et imminui aut aboleri posse, id quod saepius iam factum est v. gr. a Summis Pontificibus Urbano VIII., Benedicto XIII.,

Benedicto XIV. et Clemente XIV.[1] Tali mutatione, quae ad disciplinam ecclesiasticam pertinet, dogma catholicum non tangitur. Ita et circa legem ieiunii ecclesiasticam schemata indultorum de ieiunio et abstinentia in singulis dioecesibus provinciae ecclesiasticae Salisburgensis vigentium Sanctae Sedi apostolicae proposita et ab ea tenore decreti Congregationis generalis Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis de die 7. Iunii 1899 approbata sunt.

2. Quum Sanctissimus Pater, utpote in specula positus, indigentias totius orbis catholici optime perspectas habeat; quum etiam in gubernandis rebus disciplinaribus afflatu Spiritus Sancti gaudeat quumque matura deliberatione et adhibito consilio venerabilium S. R. E. Cardinalium, qui ad Ecclesiae leges in codicem redigendas incumbunt, permotus fuerit ad hanc mutationem legis ecclesiasticae introducendam: nos omnes — pastores et oviculae — humiliter et filiali cum obedientia hanc Sanctissimi Patris nostri dispositionem suscipere debemus. *Melior est enim obedientia quam victimae.* (I. Regg. 15, 22). Hoc eodem sensu et catechetae in scholis discipulos suos instruant.

3. Summus Pontifex abrogando aliqua festa quasi generalem quoad praeceptum ecclesiasticum audiendi Missam et vacandi ab operibus servilibus dispensationem elargitus est, ita ut, qui eadem servare nollent, a quavis coram Deo culpa seu a quovis peccato immunes essent. Simili modo in casibus particularibus urgente necessitate diebus Dominicis aut festivis dispensari solet quoad opera servilia. Eiusmodi vero dispensatione festum qua tale non abrogatur, prout et dispensatione a ieiunio lex ecclesiastica ieiunii non tollitur. Ideoque Summus Pontifex desiderat, ut festa quoad praedictum duplex praeceptum ab ipso suppressa eadem prorsus sollemnitate ac prius agantur populusque fidelis Sacrum audiat et ab operibus

[1] Ius instituendi aut imminuendi aut abolendi dies festos ad res internas Ecclesiae pertinere etiam a potestate civili agnoscitur. (Edictum c. r. Ministerii pro negotiis internis de die 20. Augusti 1869).

servilibus abstineat. Dum enim sponte id fecerit, maiore forsan apud Deum merito afficietur.

Pari modo, quum ad Sacram Congregationem Concilii plurimis ex locis pervenissent supplices libelli, quibus instantissime postulatur, ut omnes aut nonnulli dies festi, de numero festivitatum sub praecepto per litteras Apostolicas diei 2. Iulii 1911 expuncti, in pristinum restituantur tum ad satisfaciendum pietati fidelium id enixe expetentium tum ob alias peculiares cuiusque loci rationes, Sanctissimus Dominus Pius PP. X., cui relatio de praemissis facta est a Cardinali eiusdem Sacrae Congregationis Praefecto, plane cupiens, ne ex praepostera aut non recta interpretatione praedictarum litterarum fidelium pietas ac debitus Deo cultus imminuantur; volens immo ut quoad fieri possit augeantur, per hanc Sacram Congregationem Concilii[1] ad rem, quae sequuntur, declarari, praecipi atque indulgeri mandavit:

»Quum, perpensis temporum rerumque novarum adiunctis, Summus Pontifex nonnullos dies expunxit e numero festivitatum sub praecepto, quemadmodum non semel a Suis Decessoribus factum fuit, minime sane intellexit, ut eorum dierum festivitas omnino supprimeretur; vult immo Sanctitas Sua, ut iidem dies in sacris templis celebrentur non minori quam antea sollemnitate et, si fieri potest, eadem populi frequentia. Ea vero fuit et est Sanctitatis Suae mens, ut relaxata maneat tantummodo sanctio, qua fideles tenebantur iis diebus audire Sacrum et abstinere ab operibus servilibus, idque potissimum ad evitandas frequentiores praecepti transgressiones et ne forte contingeret, ut, dum a multis Deus honorificatur, ab aliis non sine gravi animarum detrimento offenderetur. Praecipit itaque eadem Sanctitas Sua omnibus et singulis animarum curam gerentibus, ut ipsi, dum haec commissis sibi gregibus significant, ne cessent eos hortari vehementer, ut iis etiam diebus pergant suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, quantum maxime potuerint,

[1] Litterae circa dies festos de die 3. Maii 1912. (Acta apostolicae Sedis. Romae, 1912. Annus IV. vol. IV. Num. 9. pag. 340).

testari praesertim per frequentiam in ecclesiis ad audienda Sacra aliaque pia exercitia peragenda.

Quo autem christifideles magis excitentur ad supra dictos dies festos pie sancteque excolendos, vigore praesentium litterarum conceditur omnibus locorum Ordinariis ampla facultas dispensandi cum suis subditis super lege ieiunii et abstinentiae, quoties dies abstinentiae vel ieiunio consecratus incidat in festum, quod, licet praecepto non subiectum, cum debita populi frequentia devote celebratur.

Item per praesentes litteras conceditur, ut festum sanctissimi corporis Christi, ubi Sacrorum Antistites ita in Domino expedire censuerint, etsi praecepto non obstrictum, celebrari possit cum sollemni processione et pompa, prout autea, feria V. post Domicam sanctissimae Trinitatis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Concilii, die 3. Maii 1912.

L. † S. **C.** Card. **Gennari,** Praefectus.
O. Giorgi, Secretarius.«

4. Nos itaque, unice maiorem Dei gloriam animarumque salutem prae oculis habentes, ratione habita supplicationis Episcopatus austriaci, die 12. mensis Novembris anni elapsi Sanctitati Suae substratae, et specialium facultatum, responso Sacrae Congregationis Concilii de die 17. Decembris eiusdem anni elapsi Episcopis austriacae ditionis concessarum; attendentes porro ad mentem, tum ab animarum pastoribus tum a Capitulo cathedrali in Synodo dioecesana a die 28. Augusti usque ad diem 1. Septembris anni 1911 celebrata patefactam, nec non ad breve tantum temporis spatium, donec novum schema codicis iuris canonici ad Episcopos mittatur atque super ipso, praesertim super festorum observantia, suam sententiam aperuerint; denique probe perpendentes, quanti momenti sit feriatio dierum festorum quoad vitam subditorum socialem, oeconomicam ac forensem, si respiciantur leges civiles, hoc tempore in imperio austriaco vigentes,

quae tenent festa, a Clemente PP. XIV. statuta[1] — ad auctoritatem aliorum Austriae et potissimum provinciae ecclesiasticae Salisburgensis Ordinariorum v. gr. Metropolitae Salisburgensis ac Episcoporum Brixinensis, Gurcensis, Seccoviensis et aliorum, qui pro suarum dioecesium conditione a Nostra haud dissimili omnia festa in statu quo ante relinquenda censuerunt, usquedum novum illud schema codicis iuris canonici editum fuerit, facultate supra memorata utentes, circa festorum, prout nunc sunt, conditionem nihil interim immutandum ducimus. Causa enim circa dierum festorum observantiam pro ditione austriaca nondum videtur absoluta et continet diversas quaestiones, tempore futuro solvendas.

Quod animarum pastores data occasione fidelibus communicent eosque paterno affectu adhortentur, ut diligentiore, quam forsitan antea, studio curent praeceptum de observantia et sanctificatione dierum Domini et festorum adimplere, ut votis Sanctissimi Patris et ardenti desiderio Nostro respondeant.

Festa celebrabis in loco, quem elegerit Dominus, benedicetque tibi Dominus Deus tuus . . erisque in laetitia. (Deut. 16, 15). *Sabbata mea sanctificate, ut sint signum inter me et vos!* (Ezech. 20, 20). *Celebra, Iuda, festivitates tuas et redde vota tua!* (Nah. 1, 15).

Caput CLXIV.

De mulieribus in choro ecclesiae canentibus.

Meminerint capitula cathedralia et collegiata, parochi et rectores ecclesiarum, suum esse curare, ut non solum ludimagistri, verum etiam cantores caeterique

[1] Edictum c. r. Ministerii pro causis iuridicis de die 5. Maii 1897. (Reichsgesetzblatt 1897. Num. 112. § 43 und 44 der Geschäftsordnung für die Gerichte erster und zweiter Instanz). — In causa feriationis dierum festorum c. r. Ministerium pro cultu et institutione litteras, datas Vindobonae die 17. Martii 1912 Num. 727/K. U. M., direxit ad princ.-episc. Ordinariatum, qui ipsi respondit die 4. Aprilis 1912 Num. 1470, cuius responsionis attestationem accepit rescripto e Vindobona die 5. Maii 1912.

musici in ecclesia cum illa modestia et pietate, quae cultum divinum decent, se gerant; prohibeantur confabulationes, indecens altari dorsum vertendi mos et omnis strepitus, qui fidelium pietatem possit offendere.

Praecipue curent ecclesiarum rectores, ut ii tantum in chorum admittantur, quorum conversatio non solum notoria labe non sit contaminata, sed qui id, quod ore cantant, corde credunt et opere comprobant atque non superbe sed humiliter et sapienter Deo debitas laudes persolvunt potiusque cantando populi aedificationem quam vanam adulationem exoptant.

Quum chorus, qui sacerdoti operanti assistit, liturgicae actionis partem constituat, mulieribus, quae ab altaris servitio excluduntur, locus in choro esse non potest. Hinc, in quantum fieri potest, adlaborandum est, ut loco mulierum substituantur sensim pueri; ubi adhucdum puerorum cantus in usu est, in dies magis exerceatur et foveatur. Quem in finem valde optamus, ut praemia statuantur iis chorimagistris, qui pueros cantum sacrum diligenter edocent.

Monialibus aliisque feminis et puellis in religiosa communitate degentibus permittitur, ut functiones liturgicas prosequantur cantu, ita tamen, ut locus, in quo moniales canunt, sit velis vel cratibus munitus, ne canentes conspici queant earumque voces, quantum fieri potest, non sint singulares.[1]

Haec mandata Concilii provincialis Salisburgensis innituntur verbis, quae in Motu proprio Pii PP. X. de die 23. Novembris 1903 num. V. alin. 13 continentur quaeque sonant: »Ex eodem principio sequitur, ut cantores in ecclesia liturgico munere fungantur, ideoque mulieres, quum huius muneris non sint capaces, admitti non possint ad chorum vel ad musicos. Quod si igitur *voce acutiore* (soprani) vel *acuta proxima* (contralti) uti velimus, perantiquo ecclesiastico more a pueris hae voces edantur.«[2]

[1] Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 123 et 124. — [2] Ecclesiae Lav. Synodus

Pontifici Nostro nec non Concilio provinciali Salisburgensi in votis ergo est, ut mulieres, quum cantus ecclesiasticus ad munera liturgica pertineat et illae huius muneris non sint capaces, amplius non admittantur ad chorum vel ad musicos, sed ut, in quantum fieri potest, pueris subrogentur.

Huc spectant, ex parte saltem, mandata Nostra, quae quoad cantum ecclesiasticum in constitutionibus synodalibus usque nunc iam edidimus. »Ut ecclesiae reddamus cantum in Nostra dioecesi desideratum, in Domino exhortamur pastores, ut omnem operam impendant, quo organoedi iuventutem praesertim parvulos frequentantes scholam exerceant cantu ecclesiastico, ex quibus pie et scite cantantium acquiruntur vires; instituantur chori, qui a rectoribus peritis cantus ecclesiastici diriguntur, ad artem et praecepta canere docentur, a parochis religiose educantur et invigilantur«.[1]

»Magni quoque refert, ut pueri puellaeque in *schola populari* cantu ecclesiastico instituantur, quod initium est reformationis sacri cantus inter populum fidelem«.[2]

In institutis vel seminariis puerorum, in scholis puerorum elementaribus nec non in scholis mediis et paedagogiis cantus puerorum ecclesiasticus, quod ad dioecesim Nostram attinet, pro viribus colitur et fovetur. Optamus, ut hic fervor maneat crescatque in futurum! Difficultates vero forsan tales, quae superari nequeunt, oriri possunt in locis extraneis. Deficiente ludimagistro, qui edoceat pueros in cantu ecclesiastico cum successu, haud raro deficient et pueri ad instructionem, de qua agitur, apti pronique. Quae difficultates praecipue mutatione vocis causantur et insuper eo, quod saepe saepius desunt pueri, qui stabilitate gaudeant loci quibusque supersit tempus ad scholam cantorum ordinarie frequentandam.

---

dioec. anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pag. 584. — [1] Gesta et statuta Syn. dioec. anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pag. 298. — [2] Synodus dioec. Lav. anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pag. 437.

Quae cum ita sint, stricte mandamus, ut saltem illic, ubi possibile est v. g. in oppidis et urbibus maioribus Nostrae dioecesis, cito citius tales scholae ab organistis erigantur — auxiliantibus nempe et inspicientibus scholam animarum pastoribus — in quibus institutio puerorum in cantu ecclesiastico fiat. Sed et caeteri ludimagistri operam dent, ut sensim in omnibus ecclesiis dioecesis Lavantinae cantus liturgicus per pueros procuretur.

Interim vero admitti possunt mulieres canentes in ecclesia non quidem in presbyterio, sed in choro pro cantoribus destinato, dum illae modeste pieque se gerant vitentque confabulationes, et chorus cantorum munitus sit velis vel cratibus ita quidem, ut canentes mulieres conspici nequeant.

Indultum Nostrum nequaquam oppugnare menti Summi Pontificis Pii PP. X., ex sequentibus colligere licet.

Die 14. mensis Novembris 1908 interrogavit Episcopus Pittsburgensis in America, Franciscus Regis Canevin, Status Secretariatum Romae, num verum sit, quod possint cantare mulieres in choris vel in ecclesiis et quidem non solum extra presbyterium stantes una cum viris cantoribus, sed etiam distinctae ab eis, formantes (vel solae vel una cum viris) proprium chorum in sic dicto emporio ecclesiae, prouti fieri solet in Statibus foederatis Americae septentrionalis. Ad quam quaestionem Cardinalis Merry del Val litteris de die 29. Novembris 1908 No. 32.810 respondit, Summum Pontificem numquam permisisse, ut in Statibus foederatis mulieres in choro cantorum cooperarentur, sed velle, ut decreta Sacrae rituum Congregationis in Statibus foederatis prout ubique conscientiose observarentur.[1]

[1] Segreteria di Stato di Sua Santità No. 32 810. Dal Vaticano, 29. November 1908. Mein Herr Bischof! In Beantwortung Ihres Briefes vom 14. November beeile ich mich, Ihnen mitzuteilen, dass der Heilige Vater keine Erlaubnis gegeben hat, dass in den Vereinigten Staaten Frauen am Kirchenchore mitwirken und dass einer gegenteiligen Behauptung jede Begründung fehlt. Se. Heiligkeit will, dass die Entscheidungen der hl. Ritenkongregation in den Vereinigten Staaten wie überall gewissenhaft befolgt werden. R. Card. Merry del Val. (Archiv für Katholisches Kirchenrecht. 90. Band. Mainz, 1910. Pag. 763).

Post has litteras ad Episcopum Pittsburgensem directas, quae mulierum admissionem ad cantum liturgicum plene excludere videbantur, e Roma devenit responsum Sacrae rituum Congregationis ad sequens »Dubium«, quod director ephemeridis »Churh Music« formulaverat et director ephemeridis »Ecclesiastical Review« Sacrae rituum Congregationi proposuerat.

»Neo-Eboracen. Nuperrime sacrorum rituum Congregationi ea, quae sequuntur, pro opportuna declaratione rite ac reverenter exposita sunt, nimirum: Per omnes fere regiones Statuum foederatorum Americae septentrionalis nomine chori designatur solummodo quidam coetus paucorum cantorum tum feminarum cum virorum, qui seliguntur ad officium textus liturgicos intra Missas sollemnes cantandi. Hic chorus seu coetus virorum ac mulierum seu puellarum in loco eius soli usui destinato extra cancellos, immo plerumque longissime ab altari positus est nec alius habetur chorus, qui textus liturgicos cantet vel recitet. Hinc quaeritur, utrum ratione habita decreti de cantu mulierum in ecclesiis (*Angelopolitana* 17. Ianuarii 1908), quo concessum fuit, ut intra christifideles viri et pueri, quantum fieri potest, suam partem divinis laudibus concelebrandis conferant, haud exclusis tamen, maxime ipsorum defectu, mulieribus et puellis, talem chorum seu coetum virorum ac mulierum supradescriptum, in loco ab altari remotissimo positum et chori liturgici fungentem officio, posthac adhibere liceat.

Et Sacra rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisitis utriusque Commissionis tam liturgicae quam de musica et cantu sacro suffragiis, omnibus maturo examine perpensis, propositae quaestioni ita respondendum censuit: Prout exponitur, negative, et ad mentem.* Die 18. Decembris 1908. S. Card. Cretoni, *Praefectus.* † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.* L. † S. **Mens* est, ut viri a mulieribus et puellis omnino sint separati, vitato quolibet inconvenienti, et onerata

super his Ordinariorum conscientia. L. † S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*«[1]

Dubio sic resoluto res quoad defensores cantus mulierum minus fausta videbatur. Folium »Catholic Union and Times« quaestionem uti definitam declaravit et Dr. Heuser, qui Dubium Sacrae rituum Congregationi proposuit, responsum ad suum sensum devertere quaerebat atque eo devenit, quod deficientibus viris-cantoribus ad augendam Sacri divini festivitatem mixti cantorum chori adhiberi possint; utique mulieres in choro cooperari regulariter nequeant, nisi ubi et quamdiu examine conscienter facto illae necessariae habeantur. Haec interpretatio privata, quam Dr. Heuser de Congregationis decisione dederat, ab eius adversariis haud libenti animo agnoscebatur, qui certe eum vicissent, nisi »Tablet«, ephemeris Londinensis, die 6. Februarii 1909 exposuisset, Sacram rituum Congregationem in principio non prohibere choros, in quibus viri una cum mulieribus cantent, urgere tamen, ut in choro viri a mulieribus separati sint.[2]

Anno 1908 Sebastianus Messmer, Archiepiscopus Milwaukiensis in America, Romae cum Sanctissimo Patre de hac re loquutus est. De quo colloquio referens professori Singenberger litteris in ephemeride »Catholic

[1] Acta apostolicae Sedis. Annus 1. Vol. 1. Die 15. Ianuarii 1909. Num. 2. Pag. 175. — [2] Ihr römischer Korrespondent befragte eine Autorität wegen einer Interpretation dieses Responsums und es wurde ihm ungefähr Folgendes gesagt: Die hl. Kongregation verbietet nicht grundsätzlich gemischte Chöre von Männern und Frauen, wie sie in den englisch sprechenden Ländern existieren; sie besteht bloss darauf, dass anstatt der bisherigen Gewohnheit, wonach männliche und weibliche Sänger beisammen stehen, dieselben vollständig getrennt werden sollen, so dass die Männer einen Teil des „Chores" einnehmen und die Frauen den anderen. Es würde wahrhaftig nicht gar so schwer sein, alle Kirchenchöre mit diesem im Dekrete niedergelegten Grundsatz in Einklang zu bringen. Gemischte Chöre, wo Männer und Frauen beisammen stehen, sind allerdings verboten, getrennte Chöre, wo eine Seite die Männer und die andere die Frauen einnehmen, sind nicht verboten, wenigstens nicht verboten durch dieses Responsum. Das Verbot der Kongregation scheint sich überhaupt zu beschränken auf die Trennung der Personen und hat augenscheinlich nichts zu tun mit der Vereinigung ihrer Stimmen. Diese Erklärung wird, vorausgesetzt, dass sie richtig ist, geeignet sein, eine der grössten Schwierigkeiten zu lösen, welche mit der Beobachtung des Motu proprio inbezug auf die Kirchenmusik verbunden sind. (Op. cit. pag. 764 et 765).

Fortnightly Review« (ann. XVI. tom. 6, 1909) editis sententiam suam aperuit, Summum Pontificem, ratione habita difficultatum ab ipso Archiepiscopo expositarum, permisisse cantum mulierum in choro, dummodo modeste se gerant vitentque musicam theatralem et mundanam.[1]

Hisce verbis, observat Archiepiscopus Sebastianus Messmer, Summum Pontificem nequaquam revocavisse ordinationem suam Motus proprii de die 22. Novembris 1903, quum non dederit generalem permissionem, quod mulieres cantare possint in nostris ecclesiis; dedisse vero interpretationem seu normam circa applicationem Motus proprii. Est enim antiqua regula, quod prudens legislator non intendat obligare, si legis observatio aut impossibilis aut difficillima evadat aut plus mali quam boni efficere possit.

In Missis non cantatis seu privatis canat ergo uterque fidelium sexus in ecclesiae navi; in Missis vero sollemnibus, in quibus utendum est cantu liturgico, admittimus, dum soli viri vel pueri adhiberi nequeant, ut cantent etiam mulieres una cum viris vel pueris in sic dicto emporio pro cantoribus destinato; animarum pastores vero et organoedi curent, ut illae modeste pieque se gerant, confabulationes vitent et ita christifidelibus in aedificationem sint, nequaquam autem in scandalum, atque ut in choro viri a mulieribus, in quantum possibile est, separati sint.

[1] In meiner Audienz bei Pius X. im Mai des vorigen Jahres sagte ich Sr. Heiligkeit, dass es in so vielen Pfarreien der Vereinigten Staaten unmöglich ist (ich sprach nicht von Wiscousin allein), die Verfügung des Motu proprio durchzuführen, welche den Frauen verbietet, am liturgischen Gesang teilzunehmen; dass in den meisten Kirchen, ausgenommen in grossen Stadtpfarren, es sehr schwierig, wenn nicht unmöglich ist, Männerchöre zu bekommen; ferner, dass wir es in allen unseren Pfarreien noch nicht so weit bringen konnten, Kinder zu verwenden für den liturgischen Gesang. Darauf sagte der Papst: „Lasst die Frauen singen mit den Übrigen". Ich entgegnete: „Eure Heiligkeit meinen, dass die ganze Gemeinde singen solle". Er sagte: „Ja". Darauf erwiderte ich, dass es sehr wenige Kirchen gebe, meines Wissens nur eine, wo das Volk an den Kommungesang gewöhnt ist, und es wird viele Jahre brauchen, bis dieses ideale Ziel erreicht werden kann. Dann legte ich wieder dar, sehr klar und deutlich, dass, wenn den Frauen nicht erlaubt ist, auf *unseren Kirchenchören* zu singen, wir in einer grossen Zahl von Pfarreien keinen feierlichen Gottesdienst abhalten können. Darauf antwortete Se. Heiligkeit ebenso klar und deutlich: „Nun dann lasst sie singen, aber sie sollen sich gut betragen, und gestattet ihnen nicht, theatralische und weltliche Musik zu singen. (Op. cit. pag. 765).

Cantate Domino, quoniam magnifice fecit, annunciatè hoc in universa terra! Exulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel! (Is. 12, 5. 6).

Caput CLXV.

De sacris peregrinationibus.

In Synodo dioecesana, anno 1903 coadunata, de sanctificatione festorum, de veneratione Mariae virginis et Angelorum ac Sanctorum nec non de sacris reliquiis et imaginibus animarum curatoribus eorumque subditis, quae hac in re ipsis observanda sint, inculcavimus.[1]

Sed nemo sane est, qui compertum non habeat, consuetudinem, certas quasdam sacras imagines prae aliis venerandi et decorandi vel ad sanctuaria memoriae Domini Nostri Iesu Christi aut beatae virginis Mariae aut Sanctorum dicata pias peregrinationes instituendi, ceu pergratum devotionis catholicae et poenitentiae documentum Ecclesiae suffragio probatam esse.

Quapropter Nostri muneris esse existimamus, etiam circa sacras peregrinationes fideles commonere atque animarum pastores, quidnam eis hac in re agendum sit, informare.

Peregrinationes sacras Iudaeis iam notas et a Domino ipsis praeceptas fuisse, sacra historia contestatur. Ex lege Mosaica omnes viri Israelitae ter quotannis apparere debebant coram Domino in loco, quem elegerit (Exod. 23, 17; 24, 23; Deut. 16, 16), id est ad sanctum tabernaculum, quod Moyses fecit iuxta mandatum Domini (Exod. 25, 8. 9), et postea ad templum Salomonicum. Et revera Iudaei peregrinari solebant ad sanctuarium Domini non tantum ex praecepto legis, verum etiam ex

[1] Ecclesiae Lavant. Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXV. pagg. 551—560; cap. LXXVI. pagg. 560—573; cap. LXXXXII. pagg. 759—768.

devotione et ad impetrandas speciales gratias. Sic v. gr. Anna, mater Samuelis prophetae, perrexit ad sanctuarium Domini in Silo et, quum esset amaro animo, flevit coram Domino et exaudita est. (I. Regg. 1, 1 sqq). Salomon, rex sapientissimus, probe sciens, quod coelum et coeli coelorum capere non possint Deum (III. Regg. 8, 17), tamen templum Domino aedificavit, quod Deus ipse elegit sibi in domum sacrificii, ut exaudiret orationes eorum, qui ibi oravissent. (II. Par. 7, 12—16).

Ipse Iesus, quum factus esset annorum duodecim, ascendit cum Maria et Ioseph Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi. (Luc. 2, 42). Apostoli et piae mulieres visitabant sepulcrum Domini. (Matth. 28, 1; Luc. 24, 1; Ioan. 20, 1—10). S. Paulus apostolus, etsi lege Mosaica non amplius ligatus, festinavit, ut, si possibile sibi esset, diem Pentecostis faceret Ierosolymis. (Act. apost. 20, 16).

Quis enumerare poterit omnes peregrinationes sacras, quae post tempora apostolorum usque ad nostros dies fiebant sive ad loca sancta in Palaestinam sive ad sepulcra sanctorum apostolorum Romam, Compostellam et alias! S. Hieronymus de peregrinationibus Ierosolymam factis scribit: »Longum est, nunc ab ascensu Domini usque ad praesentem diem per singulas aetates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina ecclesiastica virorum venerint Ierosolymam, putantes, minus se religionis, minus habere scientiae nec summam ut dicitur manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum evangelium de patibulo coruscaverat«.[1]

S. Helena imperatrix et mater Constantini Magni ipsa peregrinata est in terram sanctam ibique magnificas aedificavit ecclesias. Cuius exemplum imitati sunt innumerabiles christifideles, qui cupiebant orare et plorare coram Domino (Ps. 94, 6) in locis, ubi steterunt pedes eius (Ps. 131, 7), ubi peccata nostra ipse pertulit in

[1] S. Hieron. epist. XLVI. (Migne, Patrolog. lat. cursus compl. Tom. XXII. col. 489).

corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae vivamus. (I. Petr. 2, 24).

S. Ioannes Chrysostomus valde cupiebat proficisci Romam et pie venerari vincula Principis apostolorum. »Vellem nunc esse in iis locis, in quibus dicuntur manere illa vincula, et videre virosque illos admirari propter Christi desiderium. Vellem videre catenas, quas pertimescunt et horrent quidem daemones, reverentur autem Angeli . . . Si ab ecclesiasticis curis essem remotus et esset mihi corpus sanum ac validum, non recusarem hanc suscipere peregrinationem, ut solum viderem catenas et carcerem, in quo fuit vinctus«.[1]

Expeditiones sic dictae cruciatae, ad recuperanda loca sancta e potestate Saracenorum susceptae, quibus per ducentos circiter annos orbis christianus commovebatur, revera peregrinationes sacrae erant et milites cruciati, rei christianae propugnatores, nonnisi peregrinantes in terram sanctam.

Quum summus Pontifex Bonifacius VIII. anno 1300 primum celebraret iubilaeum, innumerabilis peregrinantium multitudo Romam petiit e Sicilia, Sardinia, Gallia, Hispania, Anglia, Germania et Hungaria.[2]

Nostris quoque diebus quotannis fere peregrinationes sacrae instituuntur sive in Palaestinam sive Romam ad limina Apostolorum sive Lourdes ad celebre sanctuarium beatae Mariae virginis immaculatae, ne silentio praetereamus frequentia itinera, quae fieri solent ad loca sacra, in nostris ditionibus existentia, prout sunt in dioecesi ipsa:

a) Ecclesiae parochiales:

Basilica Matris misericordiae in suburbio Marburgi, ecclesia B. M. V. in Zagorje, B. M. V. in Črnagora, B. M. V. in Prihova, ss. Trinitatis in Collibus slovenicis, B. M. V. ad Nives in Velka, B. M. V. in Ruše, B. M. V. in Puščava, B. M. V. in Sladkagora, B. M. V. in Kalobje, s.

[1] Hom. 8. in epistolam ad Ephesios. — [2] Fr. Beringer, Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch. 13. Auflage. Paderborn, 1906. Pag. 480.

Francisci Xav. in Straže, B. M. V. in Novaštifta, B. M. V. in Polenšak, S. Antonii de Pad. in Pohorje.

b) Ecclesiae filiales:

B. M. V. in parochia S. Petri prope a Marburgo, s. Ursulae in parochia Fori veteris, s. Ioseph prope a Celeia, B. M. V. in Petrovče in parochia Žalec, s. Crucis in monte Olivarum in parochia Polzela, B. M. V. in monte sancto in parochia s. Petri pod Svetimi gorami, B. M. V. za Čreto in parochia Vransko, B. M. V. in Brinjevagora in parochia Zreče, s. Pancratii in parochia Remšnik, s. Rochi in parochia Samariensi, B. M. V. in Tinsko in parochia Zibika, s. Rochi in parochia Mozirje, s. Annae in parochia s. Barbarae prope a Borl, s. Crucis prope a Belevode, s. Michaelis Archangeli in archiparochia Tiberiensi.

In finitimis dioecesibus:

Maria Zell et Maria Trost in dioecesi Seccoviensi, B. M. V. in monte Višarje et s. Crucis in parochia Černeče in dioecesi Gurcensi, Marija Pomagaj in dioecesi Labacensi, B. M. V. in Trsat prope a Reka in dioecesi Segniensi et Modrušensi.

Peregrinationes sacras Ecclesia approbat et commendat, quum inter alias conditiones ad lucrandas indulgentias adimplendas etiam visitationem certi sanctuarii vel certae ecclesiae praescribat et sanctuariis, quae visitari solent, varias elargiatur indulgentias.[1]

Peregrinationes sacrae revera salutares esse possunt. Si enim *virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur de corpore eius sudaria et semicinctia, et recedebant ab iis languores et spiritus nequam egrediebantur* (Act. apost. 19, 11. 12), nemo plane, qui integro gaudet iudicio, inficias ire potest, Deum pro arcano providentiae suae consilio orationes fidelium in quibusdam locis sacris mirabiliter exaudire. »Ubique quidem Deus est et nullo

[1] Op. cit. pagg. 17. 32. 35. 58 sqq.

continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, et cum a veris adoratoribus in spiritu et veritate oporteat adorari, ut in occulto exaudiens in occulto etiam iustificet et coronet. Verumtamen ad ista, quae hominibus visibiliter nota sunt, quis potest consilium eius perscrutari, quare in aliis locis haec mirabilia fiant, in aliis non fiant? Sicut enim, quod Apostolus dicit, non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudicationem spirituum; ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique, prout vult.«[1] Hoc idem asseverant Patres sacrosancti Concilii Tridentini, docentes: »Sancta corpora . . veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur«.[2]

Quapropter Pius PP. VI. reprobavit assertionem, certae cuidam imagini tribui non debere singularem venerationem. »Doctrina et praescriptio, generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere et ad ipsam potius quam ad aliam confugere, temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori tum et illi providentiae ordini iniuriosa, quo ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique, prout vult.«[3]

Experientia quoque testante certum est, hominem in quibusdam locis sacris magis ad devotionem et pietatem moveri. Procul negotiis saecularibus facilius mentem ad coelestia desideria erigit. Alieno et ignoto confessario impavide peccata sua confitetur et abscondita cordis pandit, vulnera animae suae detegit. Memoria beneficiorum, ab aliis impetratorum, in quorum testimonium votorum tabulae, donaria et imagines in sanctuario suspensae sunt, devotionem circumstantium, fiduciam et fervorem excitat et adauget. Itaque peregrinationes

[1] S. Augustini epist. 137. alin. 78. (Fr. Xav. Schmid, Liturgik der christkath. Religion. Passau, 1840. Vol. I. pag. 644). — [2] Sess. XXV. De invocatione et veneratione et reliquiis Sanctorum. — [3] A. I. Binterim, Die vorzüglichen Denkwürdigkeiten der christkatholischen Kirche. Mainz, 1827. Vol. IV. pag. 642

sacrae fidelibus valde utiles fieri possunt, quippe quae conferunt ad fovendum spiritum poenitentiae et devotionis.

Quod ut praestent, rite instituantur oportet. Quapropter circa peregrinationes sacras sequentia mandamus.

1. Parochi et animarum pastores data occasione fideles suos quoad peregrinationes sacras probe instituant, docentes eos, ipsas non esse itinera relaxationis aut laetitiae, sed pia opera orationis, abstinentiae, abnegationis et poenitentiae; proinde cohortentur eos, ut hac ipsa occasione dignos facere fructus poenitentiae contendant et devota Sacramentorum susceptione iugiter confortati ad Deum peregrinari mereantur.

Non autem desinant dehortari eos et deterrere ab itineribus, quae institui solent ad ecclesias finitimas occasione sic dictorum encaeniorum aut patrociniorum et saepissime ansam praebent comessationibus et crapulis, choreis et tripudiis aliisque excessibus et scandalis, quae nequeunt conciliari cum illa, quae diei festo debetur, sanctificatione.[1]

2. Peregrinationes ad loca sacra non suscipiantur absque licentia Ordinarii et nonnisi cum permissione parochi, qui novit oviculas suas earumque spirituales indigentias nec non conditiones domesticas, ac proinde prae aliis diiudicare potest, utrum peregrinatio iis utilis futura sit atque proficua an fortasse nociva. Quare ad loca sancta profecturi, antequam discedant, ex veteris Ecclesiae instituto deberent accipere patentes seu commendatitias litteras a suo Ordinario seu parocho.[2] Dolendum sane, quod haec sapientissima Ecclesiae ordinatio, saltem in nostris regionibus, penitus in desuetudinem venerit. Certe perutilis esset praesertim quoad fideles, qui in loca remotiora peregrinantur. *Quapropter ii quidem, qui peregrinationem — in dioeceses potissimum alienas — instituunt et dirigunt, ad hoc veniam petant a princ.-episc. Or-*

[1] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXXXII. alin. 11. pag. 766 et 767. — [2] Collectio rituum dioecesis Lavantinae. Marburgi, 1896. Pars II. Tit. I. cap. 2. pag. 260.

dinariatu. Apparatio peregrinationum absque venia ac licentia ecclesiasticae potestatis probari nequaquam potest. Id pariter Archiepiscopi et Episcopi austriaci Vindobonae in conferentiis communibus congregati postulaverunt.[1]

3. In quantum fieri potest, animarum pastores pro parochianis, communem peregrinationem suscepturis, sacrosanctum Missae sacrificium offerant ac, si per rubricas licuerit, ipsam Missam votivam pro peregrinantibus celebrent vel saltem in Missa diei *Collectam* pro eisdem addant, post Missam vero facta congruente exhortatione profecturis ex praescripto Ritualis benedicant.[2]

Optandum quidem est, ut sacrae peregrinationis ducem semet praebeat parochus aliusve sacerdos, quo certius facile irrepentes forsan abusus in germine suffocentur et peregrinantium devotio aptissimis dirigatur et augeatur patris spiritualis consiliis et auxiliis. Quodsi id propter alia officia pastoralia fieri haud potuerit, animarum pastores ducem ac tutorem peregrinantibus com-

[1] In sessione IX. die 27. Novembris 1897 habita inter alia ad arcendos abusus in peregrinationibus haec media commendaverunt:

Gegen die bei Wallfahrten vorkommenden Missbräuche werden folgende Massnahmen empfohlen:

1. Die Wallfahrten sind rechtzeitig und ordentlich zu vermelden, damit die Teilnehmer Zeit haben, ihre Arbeiten und Geschäfte darnach einzuteilen.

2. Die Wallfarten sind in der Regel von Priestern und nur ausnahmsweise von verlässlichen Laien zu führen.

3. Die Laienführer sind vom Seelsorger des Ausgangsortes mit einem Empfehlungsschreiben an den Rektor der Wallfahrtskirche zu versehen.

4. Kann sich der Laienführer einer Wallfahrt mit einem solchen Empfehlungsschreiben nicht ausweisen, so darf der Rektor der Wallfahrtskirche, bezw. sein Stellvertreter die von demselben geführte Wallfahrt nicht als solche behandeln, d. h. nicht einholen, nicht einläuten, nicht einführen, nicht ausbegleiten u. dgl.

5. Kommen sonstige Missbräuche vor, so hat der Rektor der Wallfahrtskirche die Pflicht, dem betreffenden Seelsorger hievon eine wahrheitsgetreue Mitteilung zu machen.

6. Kundmachungen von Wallfahrten dürfen an den Kirchentüren nur mit Bewilligung des betreffenden Kirchenvorstandes angebracht werden und ist dabei jede unkorrekte Ankündigung unbedingt zurückzuweisen. (Protokoll der bischöflichen Versammlung in Wien vom 23. bis zum 27. November 1897 samt Beilagen. Pag. 15).

[2] Collectio rituum dioecesis Lavantinae. Marburgi, 1896. Pars II. Tit. III. cap. 2. pag. 260. Quodsi unus tantum fuerit peregrinaturus, omnia dicantur in numero singulari; ac si sacerdos ipse, qui benedicit, fuerit socius peregrinationis, dicat in persona prima numeri pluralis, quatenus congruere videbitur. Clerici vero iter suscepturi recitent *Itinerarium,* quod habetur in appendice Breviarii Romani.

mendent virum nonnisi gravem, pietate et prudentia probatum, quem de commisso sibi officio providenter edoceant. Caeterum omnem itinerandi rationem ipsi disponentes maxima sollicitudine praecavere studeant, ne preces et cantiones ineptae, quae interdum ab insciis praecentoribus proponi solent, aliaeve res inconvenientes agantur, quibus fidelium pietas vix augetur, impietati vero adversariorum nova calumniandi causa praebetur.

4. Praepositos quoque ecclesiarum, ad quas fideles devotionis causa frequentius confluunt, quantum ad Nos pertinet, impense rogamus, ut peregrinantium saluti pio zelo prospicientes omnia et singula prudenter disponant, quae ad augendum honorem loci Sanctis debitum et ad fidelium aedificationem conferre in Domino iudicaverint. Quidquid superstitionem redolet, caute abrogent; quidquid turpis quaestus suspicionem movere possit, sedulo eliminent; ne probatorum desit copia confessariorum, sollicito fervore provideant.

5. Sicut fideles, peregrinationem sacram aggredientes, ita et a peregrinatione domum reversi, in quantum est possibile, in ecclesia domestica appareant, ut Deo pro acceptis beneficiis grates debitas referant et benedictionem a proprio animarum pastore accipiant.[1]

Peregrinationes sacrae, tali modo susceptae et peractae, vere laudabiles sunt et fidelibus uberrimi erunt fontes gratiarum.

Bonas facite vias vestras et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto! (Ier. 7, 3).

Caput CLXVI.

De instructione ecclesiastico-musica in seminario clericorum.

Musica ecclesiastica omnibus sacrae liturgiae proprietatibus sit praedita: sit sancta, sit decora et pulchra, sit universalis. Quae dotes praecipue inveniuntur in cantu

[1] Op. cit. pag. 262.

Gregoriano, quem Ecclesia Romana iam a primis saeculis ut exemplar optimum aestimavit, in sacra liturgia adhibuit, quem denique novissima studia pristinae dignitati et integritati restituerunt.

Et quia Sanctissimus Dominus noster Pius PP. X. maxime in votis habet, ut cantus Gregorianus, quem transmisit traditio in codicibus antiquissimis, instauretur et christifideles more maiorum sacrae liturgiae rursus sint magis participes, hinc praecipimus, ut non solum in seminariis clericorum sed aliquatenus etiam in seminariis puerorum cantus Gregorianus edoceatur et quidem sensim, in quantum fieri potest, ad normam editionis authenticae Vaticanae nuper a Pio Papa X. approbatae.[1]

Ubi fieri potest, inter clericos vel pueros *schola cantorum* erigatur, quae cantum choralem et sacram polyphoniam in ecclesiis rite exsequatur. In lectionibus theologicis professores ne omittant tractare una cum sacra liturgia etiam leges ecclesiasticas de cantu liturgico et alia, quae sacram musicam attingunt.[2]

Quoad cultum cantus Gregoriani, uti cantus liturgici, in Nostris usquedum Synodis dioecesanis celebratis non pauca inveniuntur mandata, praesertim quod attinet ad instructionem ecclesiastico-musicam in seminario clericorum. »Gregorianum ergo clerici in seminario cantum summo studio excolant et canora suavique voce promant videntes, se sacerdotes in sanctis functionibus cantu ignorato irrisiones procreaturos esse, ipsos scandalum non leve factos. In seminario cantus ecclesiastici semel saltem in anno examen fieri mandamus. Cuius cantus usum pastores pia aemulatione fovere, restituere, promovere glorientur et cantent rite et accurate modos, qui continentur Missali et nuper auctoritate Nostra edita Collectione rituum dioecesis Lavantinae et a Sacra rituum

[1] Litterae Pii PP. X. de die 8. Dec. 1903 ad Cardinalem Respighi, quae incipiunt *Il desiderio*, dein Motu proprio Pii PP. X. *Tra le sollecitudini* de die 22. Nov. 1903 et Decr. S. R. C. de die 8. Ian. 1904. (Ecclesiae Lav. Synodus dioec. anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pagg. 574—588). — [2] Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 122 et 123.

Congregatione approbata, ut officia cum decentia et religione peragantur, augeatur devotio, firmetur fides, foveatur in unam sanctam Ecclesiam romanam, matrem et magistram nostram, dilectio, ut animarum aeterna salus promoveatur et ut vos in die iudicii fideles mysteriorum Dei dispensatores inveniamini.«[1]

»Curent reverendissimi Ordinarii, ut clerici obligationi cantus liturgici discendi sedulo satisfaciant, prout hic praesertim in libris exstat a S. Sede approbatis.«[2]

Quae mandata in Synodo dioecesana anno 1906 concita innovabantur eam in causam, »ut in posterum in ecclesiis dioecesis Nostrae Lavantinae bene et suaviter et sancte cantetur utque grave hoc et severum Ecclesiae praeceptum accurate adimpleatur.«[3]

Respectu habito ad mandatum Concilii provincialis Salisburgi anno 1906 celebrati nec non ad Nostra praecepta relate ad cultum cantus Gregoriani volumus et praecipimus, quae sequuntur:

I. Pueri in seminario minore degentes in cantu Gregoriano instituantur edoceanturque a magistro, forsan sacerdote, per duas saltem horas in hebdomade, pro qua institutione aliquam remunerationem accipiat.

II. Professores theologiae tractent in lectionibus suis una cum sacra liturgia etiam leges ecclesiasticas de cantu liturgico et alia, quae sacram musicam attingunt.

III. Clerici in seminario maiore degentes summo cum studio in cantu Gregoriano excolantur, ubi notandum venit, quod haec instructio non solum in seminario maiore, verum etiam in seminario minore fieri debet secundum editionem Vaticanam librorum cantus Gregoriani, quae per decretum S. R. C. de die 14. Augusti 1905 uti typica declarata est.[4]

IV. Haec instructio fiat, si non per plures, saltem per duas horas in septimana a magistro in cantu Gre-

[1] Gesta et statuta Syn. dioec. anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pag. 293 et 294. — [2] Actiones et constit. Syn. dioec. anno 1900 peractae. Marburgi, 1901. Pag. 593. — [3] Synodus dioecesana Lav. anno 1906 concita et facta. Marburgi, 1907. Pag. 431. — [4] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1906. Num. VII. alin. 52. pag. 90.

goriano optime versato et ad hoc officium speciali modo destinato. Nostrum erit, ut ei gubernium civile sustentationem congruentem procuret.

V. Quod ad modum huius instructionis attinet, haec notanda veniunt. Praeprimis necesse est, ut alumni de essentia deque gravitate cantus liturgici in Ecclesia bene instructi sint[1]. Cantus Gregorianus est revera cantus liturgicus Ecclesiae[2], est cantus Ecclesiae proprius. »Hae dotes (sanctitas, bonitas formarum, universalitas) praecipue inveniuntur in cantu Gregoriano, qui igitur Ecclesiae romanae est, quem ea a maioribus accepit et in codicibus liturgicis, volventibus aevis, fidelissime servavit, quem vero, prout est proprius, christicolis proponit et aliquoties in liturgia praecipit, quem denique novissima studia pristinae dignitati et integritati restituerunt.«[3]

VI. Instructio ecclesiastico-musica in seminario clericorum duos cursus complectatur, in quibus non tantum in theoria cantus liturgicus tradendus veniat, sed etiam curetur, ut alumni in cantu Gregoriano practice instituantur. Quoad theoriam magister praeprimis studiose cu-

---

[1] Richtig verstanden ist also die Liturgie in ihrem weitesten Umfange für die Kirche ein Zusammenleben mit Christo und zwar nach seiner für die Gesamtkirche in dieser Zeit höchstmöglichen Entfaltung, eine fortdauernde Wiedergeburt, eine reichste Quelle reinster Geistesfreude, herzerhebender Gottesliebe, übernatürlichen Lebens. Eine solche Liturgie verlangt von selbst auch eine liturgische Kunst, vor allem auch einen *liturgischen Gesang*, worin die überströmenden Gefühle der beglückten Gottesbraut ihren Ausdruck gewinnen im Augenblicke, da es ihr vergönnt ist, am Herzen ihres Geliebten zu ruhen, und worin die gottmenschliche Liebe dieses Herzens und was seine Braut, die heil. Kirche, zu seinem Lobpreise und zur Beteuerung ihrer grenzenlosen Gegenliebe zu sagen verlangt, sein treues Echo findet, worin ebenso die Klagen und Bitten aller Gläubigen und eines jeden aus ihnen zum Throne der Erbarmungen emporsteigen. (P. Dominicus Johner, Neue Schule des Gregorianischen Choralgesanges. Regensburg, 1906. Pag. 144 et 145). — [2] Wie keine der späteren Kompositionen fügt sich der Choral in den äussersten Rahmen der Liturgie. Der Umfang seiner Melodien hält das richtige Mass, um bei den feierlichen Funktionen in der Kathedrale nicht zu kurz und zu dürftig und in einfachen Verhältnissen nicht überlang und unausführbar zu sein. Ferner geben seine Gesänge den Text ohne Wiederholung oder Verstümmelung der Worte und ohne auch nur einige derselben umzustellen. Jede Silbe wird vom Gesamtchore gleichzeitig gesprochen. Mag ein anderes Verfahren gestattet oder durch die Polyphonie oftmals gefordert sein, gewiss verdient diese einfache Art des Chorals mit Rücksicht auf das gesungene Wort den Vorzug. (P. Dominicus Johner, op. cit. pag. 148 et 149). — [3] Motu proprio Pii PP. X. de die 22. Novembris 1903. Num. II. alin. 3.

rabit, ut alumni de formatione vocis et soni (Stimm- und Tonbildung, phonetischer Unterricht) deque articulatione (Aussprache) nec non de modo proferendi carmina (Vortrag) bene instructi evadant. Maximi momenti hic sunt positio corporis (Körperhaltung), ordinatio oris (Mundstellung), respiratio (der Atmungsprozess), conatus (Ansatz), pronunciatio, accentus et rhythmus.[1] Ad theoriam spectat solida institutio de cantu chorali. In votis habemus, ut alumni de compositione deque usu liturgico organi[2] et de campanis[3] aliquam scientiam sibi acquirant.

Respectu habito ad practicam institutionis partem magister operam dabit, ut alumni primi cursus (I. et II. annus) omnia, quae ad *chorum* pertinent, bene canere sciant, alumni secundi cursus (III. et IV. annus) autem in omnibus cantibus optime instructi sint, qui sacrificium Missae atque omnia alia officia liturgica, quae in Ecclesia praescribuntur, attingunt.

Ad hoc spectant: 1. Hymnus angelicus *Gloria in excelsis Deo a)* in duplicibus et sollemnibus diebus, *b)* in Dominicis, festis semiduplicibus et infra octavas, quae non sunt beatae Mariae, *c)* in Missis B. M. V. et *d)* in festis simplicibus. 2. *Dominus vobiscum, Oremus, Orationes* in tono sollemni et feriali vel simplici. Tonus sollemnis (festivus) est, qui duas habet variationes, punctum principale et semipunctum. Ferialis tonus est, qui nullam habet variationem, sed tam in ipsis orationibus quam in clausula earundem uniformi voce perficitur. 3. *Oremus, Flectamus genua, Levate* in Missa praesanctificatorum feria VI. in Parasceve nec non ante orationes, prophetias in Sabbato sancto sequentes. 4. *Epistola* (tonus interrogativus). 5. *Evangelium* (tonus interrogativus). Ubicumque punctum aliquod reperitur, ibi quarta syllaba ante punctum, vel si illa syllaba brevis

[1] Dr. A. Möhler und Repetent O. Gauss, Compendium der katholischen Kirchenmusik. Ravensburg, 1909. Pagg. 312—339. — [2] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1911. Num. I. alin. 1. A. — [3] Synodus dioec. Lav. anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pag. 525. alin. 1. — Carl Wiltberger, Kurzer Leitfaden für den kirchenmusikalischen Unterricht an theologischen Lehranstalten. Bonn, 1908. Pagg. 15—21; 32—35; 38—48.

est, quinta per tertiam deprimitur et in fine Evangelii sexta vel septima simili modo deprimitur et paulatim elevatur.[1] 6. Symbolum *Credo in unum Deum.*

7. *Praefationes* cum *sollemnes* tum *feriales a)* de Nativitate, *b)* de Epiphania Domini, *c)* in Quadragesima, *d)* de s. Cruce, *e)* in die Paschae, *f)* de Ascensione, *g)* de Pentecoste, *h)* de ss. Trinitate, *i)* de B. M. V., *k)* de Apostolis et *l)* praefatio communis. In tono feriali etiam in Missis defunctorum.

8. *Oratio Dominica* in tono festivo et feriali. In tono feriali etiam in Missis defunctorum. *Pax Domini sit semper vobiscum.* 9. Clausulae Missae: *Ite missa est a)* tempore paschali, *b)* in festis sollemnibus, *c)* in festis duplicibus, *d)* in Missis B. M. V., *e)* in Dominicis infra annum, in festis semiduplicibus et infra octavas, quae non sunt B. M. V., *f)* in festis simplicibus. *Benedicamus Domino a)* in feriis per annum, *b)* in Dominicis Adventus et Quadragesimae, *c)* in feriis, *f)* in Missa vigiliae Nativitatis Domini, in festo ss. Innocentium et in Missis votivis pro re gravi, quando non dicitur *Gloria in excelsis, g)* tempore paschali. *Requiescant in pace* in Missis defunctorum.

10. Varia additamenta: *Te Deum laudamus. Asperges me* et tempore paschali *Vidi aquam. Veni Sancte Spiritus* et *Veni Creator Spiritus. Alleluja* in Missa post Epistolam Sabbati sancti et Antiphona ad Magnificat *Vespere autem sabbati* in eadem Missa. *Pange lingua gloriosi. Tantum ergo Sacramentum. Genitori Genitoque.* Sabbato sancto in caerem. resurrect. D. N. I. Chr. *Zveličar gre iz groba — Der Heiland ist erstanden. Panem de coelo praestitisti eis* (Alleluja). *Divinum auxilium maneat semper nobiscum.*

11. Ordo sepeliendi adultos. Responsorium *Libera me Domine.* 12. Officium defunctorum. *Ad Vesperas. Ad Matutinum. Ad Laudes.* 13. Ordo sepeliendi parvulos.[2]

[1] Christophorus Höflinger, Manuale rituum in ss. sacrificio Missae et in aliis ecclesiasticis functionibus observandorum. Edit. duodecima. Ratisbonae, 1886. Pag. 319. — [2] Collectio rituum dioecesis Lavantinae. Marburgi, 1896. Pagg. 138—192.

14. Vesperae in festo duplici et semiduplici. *Deus in adiutorium meum intende.* De capitulo. De oratione post canticum *Magnificat.* De oratione post Antiphonam ultimam. Tonus harum orationum habet unam dumtaxat variationem. Hic tonus usurpatur semper in aliis etiam orationibus, quae breviter per has clausulas *Per Christum D. N. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum* clauduntur et in orationibus finitis Litaniis, in benedictione aquae lustralis diebus Dominicis, in responsoriis defunctorum, in orationibus benedictionis cinerum, candelarum, palmarum nec non in processione cum Sanctissimo in festo ss. corporis Christi et in sic dictis quattuor evangeliorum initiis. Versus *Divinum auxilium* submisse cantatur sine vocis variatione.

15. In Nativitate Domini ad Matutinum invitatorium *Christus natus est nobis, venite adoremus,* hymnus *Iesu Redemptor omnium* nec non psalmi, versiculi et lectiones trium Nocturnorum. 16. In festo Purificationis B. M. V. ante processionem *Procedamus in pace* et Dominica in Palmis praefatio ad benedictionem palmarum. Ante processionem *Procedamus in pace* et ad Missam *Passio Domini nostri Iesu Christi.* 17. Feria V. in coena Domini ad Matutinum psalmi, versiculi et lectiones trium Nocturnorum. Ad Laudes psalmi et versiculus. 18. Feria VI. in Parasceve ad Matutinum psalmi, versiculi et lectiones trium Nocturnorum. Ad Laudes psalmi et versiculus. Ad Missam praesanctificatorum orationes post *Passionem* insequentes. Antiphona *Ecce lignum Crucis.* 19. Sabbato sancto ad Matutinum psalmi, versiculi et lectiones trium Nocturnorum. Ad Laudes psalmi et versiculus. Ad benedictionem ignis *Lumen Christi.* Ad benedictionem luminis praeconium paschale *Exsultet.* Prophetiae. Ad benedictionem fontis praefatio et verba *Descendat in hanc plenitudinem fontis, virtus Spiritus Sancti.* Litaniae omnium Sanctorum. 20. Dominica Resurrectionis D. N. I. Chr. ad Matutinum invitatorium, psalmi, versiculus, absolutio, benedictiones et lectiones.

Quod autem cultum polyphoniae classicae in seminario maiore et minore respicit, provocamus ad verba Summi Pontificis Pii PP. X.: »Quas supra exposuimus dotes, eae optime reperiuntur in classica polyphonia, praesertim scholae Urbanae, quam XVI. vertente aevo Petrus Aloysius Praenestinus ad sidera tulit, neque in posterum sibi defuit. Classica polyphonia optime exemplo totius musicae sacrae cohaeret, quod exemplum est cantus Gregorianus, quam ob rem una simul cum cantu Gregoriano accepta est in sollemnibus liturgiis Ecclesiae, quae sunt illae *Pontificiorum musicorum* (della capella pontificia). Instauranda est igitur et haec in maximis basilicis, in ecclesiis cathedralibus, in sacrariis seminariorum aliorumque conventuum, qui opibus florent.«[1]

Quem in finem desideramus et mandamus, ut etiam polyphonia classica in utroque seminario pro viribus foveatur et colatur. Curent ergo, quorum interest, maxima cum diligentia, ut pueri in seminario minore degentes ad cantum Gregorianum et ad polyphoniam classicam rite praeparentur, clerici autem seminario maiori adsciti in his artibus religiose instituantur. Hoc enim praecipit Ecclesia. Sed sacerdos debet, quum sit custos liturgiae, etiam procurare, ut officia divina digne ac devote in populi christiani aedificationem peragantur. Dein tenetur sacerdos personas, quae ei in celebranda liturgia in adiutorium sunt, in rebus liturgico-musicis edocere et providere, ut praecepta liturgico-musica stricte observentur. Ut vero sacerdos haec sua officia ad effectum deducat, omnino necessarium est, ut his in rebus sit ipse bene instructus.[2]

---

[1] Motu proprio Pii PP. X. de die 22. Novembris 1903. Num. II. alin. 4. — [2] Carl Wiltberger, op. cit. pag. 2 sq. — In instructione ecclesiastico-musica praeter iam allegata opera musices magistrum multum iuvabunt: Suitb. Birkle O. S. B., Der Choral, das Ideal der katholischen Kirchenmusik. Graz, 1906. — Fr. X. Haberl, Magister choralis. 12. Aufl. Regensburg, 1900. — P. Ambros. Kienle O. S. B., Chorschule. Freiburg, 1899. — Dom. I. Pothier - P. Ambros. Kienle, Der Gregorianische Choral. Tournay, 1881. — Ferd. Sieber, Katechismus der Gesangskunst. 6. Aufl. Leipzig, 1901. — Petr. Wagner, Einführung in die Gregorianischen Melodien. 2 Bde. Freiburg (Schweiz), 1901—1905.

Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terrae, quia audierunt omnia verba oris tui, et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini! (Ps. 137, 4. 5).

Caput CLXVII.

De Missis parochianis in festis abrogatis.

Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in eis, quae sunt ad Deum, *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* (Hebr. 5, 1). Haec Pauli apostoli verba nisi spectant ad omnem sacerdotem, saltem ad eum spectant, qui pastoris officium suscepit. Unde dicit sacrosanctum Concilium Tridentinum: »Praecepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere et pro his sacrificium offerre.«[1]

Quum de hac obligatione in alia iam Synodo statuerimus statuenda,[2] impraesentiarum de Missis parochialibus in festis pro foro abrogatis necessaria constituere intendimus.

Obligatio applicandi Missae sacrificium pro parochianis praeter Dominicas et festa de praecepto omnes complectitur dies, ab Urbano PP. VIII. in constitutione *Universa per orbem* de die 13. Septembris 1642 recensitos, recentiore aevo a festorum albo depunctos. Qui dies sunt: Feria III. Paschatis et Pentecostis atque festa s. Matthiae apostoli die 24. Febr., ss. Philippi et Iacobi apostolorum die 1. Maii, inventionis s. Crucis die 3. Maii, nativitatis s. Ioannis Baptistae die 24. Iunii, s. Iacobi apostoli die 25. Iulii, s. Annae matris B. M. V. die 26. Iulii, s. Laurentii martyris die 10. Augusti, s. Bartholomaei apostoli die 24. Augusti, s. Matthaei apostoli et evangelistae die 21. Septembris, s. Michaelis archangeli die 29. Septembris, ss. Simonis et Iudae apostolorum die 28. Octobris, s. Andreae apostoli die 30. Novembris, s.

[1] Sess. XXIII. cap. 1. de reform. — [2] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXIX. alin. 20. pag. 295.

Thomae apostoli die 21. Decembris, s. Ioannis apostoli et evangelistae die 27. Decembris, ss. Innocentium martyrum die 28. Decembris et s. Silvestri I. Pp. C. die 31. Decembris, quibus accedit festum Patroni loci, ubi habetur, non vero Patroni seu Titularis ecclesiae.

Eodem modo et fel. rec. Pius PP. IX. in litteris encyclicis *Amantissimi Redemptoris* die 3. Maii 1858 statuit atque decrevit, »parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere tum omnibus Dominicis aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex huius Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati et translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum Urbani VIII. constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur et transferrentur. Quod autem attinet ad festos translatos dies, id unum excipimus, ut scilicet, quando unacum sollemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicam diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda, quando quidem Missa, quae praecipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.«[1]

Quare etsi *sollemnitas festi*, quo Missa applicanda est pro populo, transfertur in proximam diem Dominicam v. gr. Patroni ecclesiae, sacerdotes tamen ipso die, quo officium diei festi habetur, applicare debent; si vero festum cum officio in Dominicam transferatur, quod in nostris regionibus non obtinet, tunc sufficit die Dominica tantum applicare. Item festo aliquo in diem Dominicam incidente unica sufficit applicatio.[2]

Dispensationi ab hac obligatione post regulationem congruae non datur locus[3]; neque sacerdos absque speciali

[1] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1862. Num. III. alin. II. pag. 5 et 6. — Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Num. 125. pag. 121 et 122. — [2] Aug. Lehmkuhl, Theologia moralis. Friburgi Brisgoviae, 1910. Vol. II. pag. 153. — [3] Schlussprotokoll über die in der Lavanter Diözese im Jahre 1893 abgehaltenen Pastoralkonferenzen. Pag. 12.

licentia, ab Episcopo obtenta et ob veram tantum paupertatem concedenda, Missam parochialem ad aliam diem transferre debet, id quod Benedictus PP. XIV. constitutione *Cum semper* de die 19. Augusti 1744 statuit hisce verbis: »Quia vero propria nonnunquam experientia satis agnovimus, aliquos esse parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero, qui ecclesia parochiali vacante ad animarum curam exercendam sub vicarii seu oeconomi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui reditus, ipsis constituti, et pauca incerta emolumenta iisdem obvenientia aegre ad eorum vitae necessaria sufficiant; quod iis quoque non raro obvenire solet, qui in aliquibus ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti.«

»Proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum huiusmodi occasio se offert, iisdem vetitum esset, eleemosynam pro applicatione Missae accipere: idcirco Nos, tam istorum quam illorum inopiam summopere miserantes iisdemque quantum Nobis integrum est consulere volentes, quamvis, ut supra dictum est, omnes et singuli praedicti teneantur, diebus festis Missam pro populo celebrare et applicare, attamen quod pertinet ad praedictos parochos *egentes*, unicuique vestrum — i. e. Episcoporum — facultatem concedimus, cum iis, quos *revera tales* esse noveritis, opportune dispensandi ad hoc, ut etiam diebus festis huiusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente accipere et ipsi Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere ac licite possint et valeant, dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali Missam celebrent; ea tamen adiecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam concurrentibus iuxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.«[1]

[1] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1896. Num. III. alin. IV. pag. 7 et 8.

Speciale indultum litteris supplicibus die 27. Octobris 1906 Sanctissimo Patri Pio PP. X. oblatis imploravimus, dispensandi nimirum cum parochis aliisque animarum rectoribus super applicatione pro populo in festis *pro foro abrogatis*, ea tamen lege, ut dispensati Missam quidem ad stipendium applicare valeant, eleemosynam vero princ.-episc. Ordinariatui tradere teneantur quibuscumque dioecesis indigentiis impendendam. Indultum hoc, in quo praedictae litterae Nostrae supplices in totum continentur, sonat, ut sequitur:

4195
6

»Beatissime Pater!

Episcopus Lavantinus in Austria, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime exponit: In dioecesi Lavantina emissarios protestantium et homines Ecclesiae catholicae infensos omnibus viribus adlaborare et nullum non adhibere medium, ut fideles in fide non satis obfirmatos et penuria laborantes ad defectionem a fide catholica perducant. Quem in finem libelli et folia haeresim protestanticam redolentes gratis sparguntur, neque opibus pecuniariis, quae ex dissitis etiam regionibus suppeditantur, parcunt. Contra ista perversorum hominum molimina fortiter se opposuerunt cum Clerus tum societates catholicae, nihil intentatum relinquentes, ut quo meliori modo aggressus istos adversariorum profligant.

Quum autem media, quae praesto sunt, pro foliis et libellis apologetici argumenti, quibus fideles contra adversariorum cavillationes praemuniantur, gratis spargendis deficiant, humillime petit indultum reductionis quoad obligationem applicandi Missam pro populo diebus, qui de festorum ex praecepto dierum numero sunt sublati, scilicet feria III. Paschatis, feria III. Pentecostis, die 24. Februarii festo s. Matthiae apostoli, die 1. Maii festo ss. Philippi et Iacobi apostolorum, die 3. Maii festo inventionis s. Crucis, die 24. Iunii festo nativitatis s. Ioannis Baptistae, die 25. Iulii festo s. Iacobi apostoli, die 26. Iulii festo s. Annae matris B. M. V., die 10. Augusti festo s. Laurentii, die

24. Augusti festo s. Bartholomaei apostoli, die 21. Septembris festo s. Matthaei apostoli, die 29. Septembris festo s. Michaelis archangeli, die 28. Octobris festo ss. Simonis et Iudae apostolorum, die 30. Novembris festo s. Andreae apostoli, die 21. Decembris festo s. Thomae apostoli, die 27. Decembris festo s. Ioannis apostoli, die 28. Decembris festo ss. Innocentium mart., die 31. Decembris festo s. Silvestri I. Pp. C. ita ut omnes sacerdotes dioecesis Lavantinae, qui obligatione applicandi pro populo tenentur, praedictis diebus pro Missae sacrificio offerendo stipendia recipere possint, eleemosynas tamen inde perceptas Ordinariatui transmittere debeant in fines supra memoratos.

Die 16. Novembris 1906 Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres auctoritate Sanctissimi Domini Nostri Pii PP. X. attentis expositis benigne tribuit Episcopo oratori facultates ad *quinquennium* dispensandi dictis diebus ab onere Missarum pro populo ad effectum, de quo in precibus.

L. † S. **Vincentius** Card. Ep. Praenest., Praef.
C. De Lai, Secret.«

Iam ante exspirationem huius indulti die 31. Octobris 1911 alteram supplicationem Sanctae Sedi Apostolicae prostravimus huiusce tenoris:

»Beatissime Pater!

Ego devotissime infrascriptus Episcopus Lavantinus in Austria humillime expono, indultum reductionis quoad obligationem applicandi Missam pro populo diebus, qui de festorum de praecepto dierum numero sunt sublati, scilicet: Feria III. Paschae, feria III. Pentecostis, die 24. Februarii festo s. Matthiae ap., die 1. Maii festo ss. Philippi et Iacobi app., die 3. Maii festo inventionis s. Crucis, die 24. Iunii festo nativitatis s. Ioannis Bapt., die 25. Iulii festo s. Iacobi ap., die 26. Iulii festo s. Annae matris B. M. V., die 10. Augusti festo s. Laurentii M., die 24. Augusti festo s. Bartholomaei ap., die 21. Septembris festo s. Matthaei ap., die 29. Septembris festo s. Michaelis

archangeli, die 28. Octobris festo ss. Simonis et Iudae app., die 30. Novembris festo s. Andreae ap., die 21. Decembris festo s. Thomae ap., die 27. Decembris festo s. Ioannis ap., die 28. Decembris festo ss. Innocentium mart., die 31. Decembris festo s. Silvestri I. Pp. C.: sub die 16. Novembris 1906 $\frac{4195}{6}$ mihi ad quinquennium tributum, ita ut omnes sacerdotes dioecesis Lavantinae, qui obligatione applicandi pro populo tenentur, praedictis diebus pro Missae sacrificio offerendo stipendia recipere possint, eleemosynas tamen inde perceptas Ordinariatui transmittere debeant, ut in fines contra apostasiam a Roma, ut expositum est sub die 27. Octobris 1906, impendi possint, mox exspiraturum esse.

Quapropter ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime supplico, quatenus Sanctitas Vestra indultum supra memoratum prorogare dignetur.

Et Deus . . .

Marburgi, die 31. Octobris 1911.

† **Michael,**
Episcopus Lavantin.«

Cui supplicationi Nostrae Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres auctoritate Sanctissimi Domini Pii PP. X. indulsit sequenti rescripto de die 10. Novembris 1911:

»Beatissime Pater!

Episcopus Lavantinus perdurantibus iisdem causis humiliter postulat prorogationem indulti sibi concessi per rescriptum Sacrae Congregationis Concilii, facultatem dispensandi parochos suae dioecesis ab obligatione applicandi Missam »pro populo« in diebus festis suppressis ad effectum erogandi respectivas eleemosynas in favorem nonnullorum piorum operum suae dioecesis.

Die 10. Novembris anni 1911 Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres, auctoritate Sanctissimi Domini Nostri, attentis expositis, expetitam prorogationem in terminis et forma praecedentis rescripti Episcopo dioecesis

Lavantinae oratori benigne impertita est ad aliud quinquennium.

L. † S.

C. Card. **Gennari**, Praef.
B. Pompili, Secr.«

Tenore horum indultorum parochis aliisque animarum curatoribus, ad applicationem pro parochianis obligatis, attendentes ad litteras Nostras, die 22. Decembris 1906 Num. 4668 et 24. Octobris 1908 Num. 5122 nec non 18. Decembris 1911 Num. 5199 datas, notum facimus et in memoriam revocamus, quae subsequuntur:

1. Omnes animarum pastores, qui Missam pro populo celebrare et applicare obligati sunt, diebus supra enumeratis debent accipere stipendium. Hac obligatione amodo ita tenentur, prout prius tenebantur applicare pro populo.

2. Si quis indigeat Missarum stipendiis, hac de re certiorem faciat princ.-episc. Ordinariatum, qui ei stipendia procurabit.

3. Parochus, diebus festis suppressis celebrans, de regula totum stipendium transmittere tenetur. Si morali certitudine constet, augmentum communis eleemosynae datum fuisse ob maiorem laborem vel incommodum, ad quae aliunde obligatus non sit, satisfacit suae obligationi mittendo princ.-episc. Ordinariatui stipendium Missae lectae communis iuxta taxam dioecesanam, retenta sibi parte stipendium tale superante.[1]

4. Missam parochialem in festis suppressis celebrandam esse de die currente, apparet e responso Sacrae rituum Congregationis, cui sequens dubium pro opportuna solutione propositum fuit.

»In quibusdam dioecesibus Missa in festis suppressis celebranda et applicanda pro populo de singulari indulto Apostolicae Sedis pro peculiari aliqua intentione applicari potest, dummodo stipendium ad commune aerarium dioecesanum deferatur.

Quaeritur: Utrum in ecclesiis parochialibus, ubi unus est tantum sacerdos, dictis diebus enunciata Missa neces-

[1] Acta S. Sedis 1906. Vol. XXXIX. fasc. 6. pag. 229.

sario sit celebranda de die currente; an possit esse cum cantu de Requie in die et pro die obitus seu depositionis, physice vel moraliter praesente cadavere?

Et Sacra rituum Congregatio, exquisito Commissionis liturgicae suffragio, re sedulo discussa et perpensa, propositae quaestioni ita respondendum esse censuit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Atque ita rescripsit die 8. Iulii 1910.

L. † S. **Fr. S.** Card. **Martinelli,** S. R. C. Praefectus.
† **Petrus La Fontaine,** Episc. Charystien., Secretarius.«[1]

5. Stipendia pro Missis, diebus festis suppressis celebratis, elapso quolibet spatio semestri ab officiis parochialibus unacum consignatione intentionum et stipendiorum officio decanali tradantur, quod ea princ.-episc. Ordinariatui transmittat.

De collectis autem . . sicut ordinavi . . ita vos facite! (I. Cor. 16, 1). *Date eleemosynam! Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelis!* (Luc. 12, 33).

Caput CLXVIII.

De cantuario dioecesano.

Quum dignae celebrationi divinorum officiorum haud parum conferat ecclesiasticus cantus et per illum mentes fidelium facilius eleventur ad Deum ardentiusque animi ad pietatem excitentur, hinc in vetere quam in novo Testamento sacra liturgia cantum non solum admisit, sed fideles ad eum excitabat. (Eph. 5, 19; Col. 3, 16). »Ut sacrorum canticorum copia nullibi desit: praeter hymnos liturgicos prudens et scita collectio illarum instituatur cantionum, quae a longo inde tempore in populo habentur et suo tum argumento tum sono maxime commendari possunt. Episcopi provinciae communi stu-

[1] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1910. Num. IX. alin. 79. pag. 138.

dio curabunt, ut utriusque linguae in hac re thesauri peculiari *cantionali* in lucem edantur«.[1]

Synodi Lavantinae[2] dederunt accuratas normas ad conficiendam canticorum *collectionem*. Praecepto simulque monito in Synodis dato obtemperatum est, sicuti elucet ex Folio officiali dioecesis Lavantinae 1908. Num. VII., ubi recensetur cantionale dioecesanum tum pro populo tum pro discipulis.[3]

Animarum pastores ergo pie curabunt, ut cantuarium dioecesanum *introducatur* et, quum multae adhuc existant in dioecesi Lavantina cantiones tum argumento tum melodia commendandae, quae in prima collectione non contineantur, compleatur collectio prima tum in nova editione tum *novo cantionali*.

De introductione cantionalis dioecesani officialis.

Ad decorem cultus divini augendum et religiosos animi affectus tum exprimendos tum fovendos cantus vulgaris fidelium plurimum confert. Ipse b. apostolus Paulus desideravit, ut fideles loquantur sibimetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus suis Domino. (Eph. 5, 19; Col. 3, 16). Quo facilius vero mentes auditu sonisque potissimum titillantibus abripiuntur, eo magis cavendum est, ne ex ista efficacissima arte impedimentum potius oriatur devotionis quam auxilium. Quapropter ea tantum cantica adhibeantur, quorum argumentum et melodia vere aedificat. Falsae, ineptae vel ad modum profanum compositae cantiones eliminandae sunt.

---

[1] Acta et decreta Conc. provinciae Pragensis anno 1860 celebrati. Pragae, 1863. Pag. 97. — [2] Ecclesiae Lavant. Synodus dioec. anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pag. 599 et 600. — Synodus dioec. Lavant. anno 1906 concita et facta. Marburgi, 1907. Pagg. 436–443. — [3] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1908. Num. VII. alin. 72. pag. 118. — Kvišku srca ali cerkvena pesmarica za nabožno petje v cerkvi, šoli in doma za Marijine družbe in razne bratovščine. V Mariboru, 1908. — Prijatelj otroški ali darilo pobožnim šolarjem. VI. natis. V Mariboru, 1912. — Pro utroque libello acceperunt organistae organum concomitans: Kvišku srca, Spremljevanje. V Mariboru, 1908.

Cantiones sacras lingua vulgari conditas praesertim in minoribus cultus divini sollemnitatibus et officiis quotidianis, sicuti iam in Synodo anni 1903 constituimus, non tantum admittimus, verum etiam summopere optamus, ut parochorum et chori rectorum pia sollicitudine in populo promoveantur.[1] Tenerrime enim mentes afficiuntur et fidei et amoris et compunctionis affectus uberrime eliciuntur, si totius fere coetus religiosi voces uno ore et corde sursum ascendunt ad thronum gratiae et divinae misericordiae.

Ad hunc finem assequendum utendum est collectione canticorum in dioecesi nostra tamquam officiali declarata et multis peritorum virorum viribus constituta et a Nobis approbata. Haud tamen ignoramus varia impedimenta occurrere in introductione cantuarii dioecesani. In eo inserta non sunt omnia cantica a nonnullis desiderata. Quaedam melodiae assumptae alteri videntur esse nimis leves et dulces, alteri nimis difficiles et seriae.

Quicumque autem sincero corde populum in cantu ignarum instruere, non proprium honorem, sed laudem divinam quaerere student, in cantionali dioecesano congruum invenient adminiculum. Si aliquas melodias non tam aptas agnoscunt cultui divino publico in ecclesia, omittant eas in ecclesia et eligant digniores praesertim melodias chorales, desumptas ex editione Vaticana. Memores tamen sint edicti Papae nostri Pii X: »Progredientibus artibus semper catholica Ecclesia favit, quum cultui servire voluisset, quidquid boni et pulchri, vertentibus annis, ingenium invenerit, servatis tamen legibus liturgicis. Ex quo efficitur, ut et musica *hodierna* in ecclesiis admittatur, quum sit modis suavis nec sacris liturgiis minime indigna.«[2]

Cantuarium »Kvišku srca« cantum vulgarem promovere intendit non solum in ecclesia sed etiam *extra* ecclesiam. Nemo negare potest collecta cantica in hunc

[1] Ecclesiae Lavant. Synodus dioec. anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pag. 594 et 595. — [2] Pii PP. X. Motu proprio *Inter plurimas pastoralis* de die 22. Novembris 1903. Num. II. alin. 5.

finem omnino adaptata esse. »Usus linguae vernaculae, sicuti vetatur in functionibus liturgicis, ita etiam prohibetur in cantu liturgico. Sed in Missis lectis, in functionibus extraliturgicis minime prohibentur cantica in lingua patria, immo valde commendantur, imprimis si cantantur ab omni populo (Volksgesang) ante vel post conciones, in Litaniis cantatis, nisi Litaniae ad liturgiam pertinent v. g. in Sabbato Sancto, ad benedictionem simplicem cum Sanctissimo, nisi cantus *Tantum ergo* et *Genitori* prosequendus erit, in devotionibus non stricte liturgicis (Maiandachten, Novenen, Ordens- und Bruderschafts-Versammlungen, Kongregationen, Grablieder) nec non in processionibus extraliturgicis. Ex quibus apparet permultas evenire occasiones, quibus uti licet lingua vernacula in ecclesia, ita ut volentibus non desit facultas benedicendi Deum idiomate patrio in hymnis et canticis«.[1]

Restituamus ergo cantui vulgari illum locum, quem ei Ecclesia prompto animo concedit. In canticis vulgaribus catholicis invenimus thesaurum ad religiosam aedificationem et instructionem, fontem gaudii ac solaminis populi christiani. Absque apta collectione talium canticorum hodiernis temporibus propter usitatam transmigrationem incolarum ex una parochia in alteram cantus communis totius populi evadit impossibilis. Quapropter plurimae dioeceses praesertim in Germania proprium ediderunt cantionale dioecesanum.

Quandocumque fideles ex pluribus parochiis aliquam communem sollemnitatem celebrant aut peregrinantur Romam, Palaestinam vel ad aliquam celebrem ecclesiam (Maria Lourdes, Maria Zell, Trsat), indigent cantuario communi. Haec idea permovit commissionem scientificam occasione congressus internationalis societatis musicalis mense Maiali 1909 Vindobonae ad sequentem resolutionem: »Societas s. Caeciliae generalis rogatur, ut ex eius mandato commissio scientifica adeat reverendissimum Episcopatum Germanicae regionis ad constituendam parvam

[1] Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno Domini 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 126.

collectionem fortasse viginti quinque canticorum ecclesiasticorum theodiscorum, quae ubique cum eodem textu atque eadem melodia cani possint.«[1] Quod propositum in congregatione generali Societatis generalis s. Caeciliae Passaviae diebus 2.—4. Augusti 1909 unanimi consensu receptum est.

Ut carmina cantionalis dioecesani a populo cantentur, duplici via assequi possumus. Prima est per scholam, altera per adolescentes. Ad exemplum maiorum, qui in canendis hymnis indefessi fuerunt, fideles nostri pietatis huiusmodi haeredes sacris ante, inter et post officium divinum canticis delectari a *pueris* iam assuescant.

Pueri puellaeque in schola elementari instituantur a catechetis vel aliis magistris iuxta normas, a Synodo dioecesana Lavantina anni 1906 in capite CXXV propositas. Pro primis instructionibus eligantur facillime addiscenda carmina ex collectione »Prijatelj otroški« v. gr. num. 1. *Jezus male k sebi kliče;* num. 13. *Veš, o Marija;* num. 14. *O brezmadežna;* num. 24. *Častimo te.* Textus in omnibus scholis addiscantur iuxta approbatam formam, sicut continetur in libello »Prijatelj otroški«, »Kviško srca« vel in »Venec« editionis novae, quae continet textum a multis dioecesibus receptum et in novis carminum religiosorum editionibus observandum.[2]

Memoriae tradita carmina discipuli etiam post egressum e schola saepius cantabunt, quia omnia in maiore quoque collectione, destinata pro populo, continentur. Quaecumque ergo schola seminat iuxta collectionem officialem »Prijatelj otroški«, affert postea fructum in cantu ecclesiastico iam sub hac ratione. Priusquam autem carminum textus memoriae tradatur discipulorum, fiat perspicua eiusdem explicatio imprimis per catechetas. Ostendatur sensus carminis dogmaticus vel moralis vel asceticus in connexione cum doctrina in catechismo tra-

[1] Caecilienvereinsorgan. Regensburg, 1911. Pag. 12. — Musica sacra. Regensburg, 1910. Pag. 38. — [2] Venec svetih pesmi za bogoljubne kristjane. Deveti pomnoženi natis. V Mariboru, 1912.

dita. Sensu cognito discipuli multo maiore devotione carmina cantabunt.

Catecheta promoveat cantum in scholis adiuvando magistros praesertim admonitione discipulorum, ut omnes possideant libellum canticorum. Eo quoque adlaboret, ne discipuli dividantur in canentes in choro et silentes in navi ecclesiae. Omnes immo maneant in navi ecclesiae omnesque Deum honorent voce sua. Talibus autem, qui nullo gaudent auditu, cantus omnino ne prohibeatur, sed ipsis inculcetur, ut canant valde submissa voce. Ubi magistri discipulos suos libenter instruunt in cantu ecclesiastico, catecheta musicus ne se immisceat, dummodo non laedantur leges ecclesiasticae circa cantum. Plures enim magistri gloriam amittere nolunt musicorum, qui etiam cantui ecclesiastico omnes vires dedicant.

Utinam revera in schola populari discant pueri puellaeque primo cantum ecclesiasticum popularem et dein cantum ecclesiasticum artificiosum, qui non tantum plurimum valet ad disciplinam paedagogicam in scholis fovendam, sed summi quoque momenti est quoad iuventutis educationem religiosam.[1] Qui ergo in schola cantum ecclesiasticum didicerunt, etiam adulti magno gaudio in ecclesia laudes Deo cantabunt.

Fieri tamen potest, ut propter peculiares circumstantias in schola discipuli in cantu nullam accipiant instructionem. Tali casu animarum pastor altera via progrediatur. In ecclesia concio instituatur de sublimitate et magno momento musices ecclesiasticae et imprimis cantus ecclesiastici. Post unam alteramve concionem de hoc themate invitentur primo *iuvenes* nati sedecim usque triginta annos in aliquem separatum locum in schola, domo parochiali vel alia domo, ut inscribantur ad cursum cantandi. Cursus sit potius practicus quam theoreticus. Prima hora proponatur scala notarum in ambitu vocum virilium et ostendatur, quomodo varia notae positio cum vocis altitudine cohaereat. Hora secunda statim

[1] Synodus dioeces. Lavant. anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pag. 438.

sumatur aliqua melodia ex cantionali dioecesano »Kvišku srca«, quod sit in manu uniuscuiusque. Eligatur autem melodia iam plerisque nota v. gr. num. 52. *Zahvalna pesem* vel 125. *Avstrijska himna.* Ope huius melodiae, quae lentissime canatur, ostendatur iuvenibus, quomodo sonus exprimatur signis in cantuario. Finis instructionis est in qualibet sequenti hora, ut electae melodiae canantur iuxta notas praescriptas. In hoc exercitio ostendatur discipulis significatio occurrentium tantummodo stigmatum, ut paulatim ope praxis in necessariam introducantur theoriam.

Tali processu faciliora carmina mox venient in usum. Cum visibili quasi successu crescit singulorum ardor et gaudium de arte noviter cognita. Haec ars autem requirit, ut cantetur *concorditer, mensuraliter, mediocriter, differentialiter, devotionaliter* et *satis urbaniter.*

Concorditer cantare est sic cantare, quod omnium simul cantantium voces eisdem temporum momentis pariter et simultanee vadant, ita ut nullus eorumdem simul cantantium voce sua alios praeveniat aut post eos tardet quomodolibet perceptibiliter. Tres pueri in fornace quasi *ex uno ore* benedicebant et laudabant Deum, quia tres eorum voces tam consone et concorditer sonabant, quasi ex uno ore processissent. Hos pueros pro viribus imitari debemus.

Mensuraliter cantandum est, ita ut uni notae non plus nec minus temporis impendatur, quam ipsius longitudo requirit. Item cavendum, ne pausae prolongentur, ne fiant, ubi non sint faciendae. Sicut in aliis rebus mediocritas laudabilis est, non minus in cantu. Quando *mediocriter* canitur, potest quilibet chorum fideliter iuvare sine defraudatione et absque suo gravamine. Mediocris cantus est minus onerosus multitudini, quam nimis altus vel nimis bassus. Quapropter omnes cantus indigent discreta et provida inchoatione.

Differentialiter cantare est iuxta temporum exigentiam et officiorum differentiam cantum perficere, ut festivitatum sollemnitas iam ex cantu cognoscatur. Officia

de iucundis vel gaudiosis materiis iucundius cantanda sunt quam officia pro tribulatione, officia defunctorum.

Magni momenti est cantare *devotionaliter*. Cantores enim adiuvant liturgiam, quae hominum mentes elevat ad Deum. Propterea valeat regula de externa et interna devotione:

Dirige cor sursum, bene profer, percipe sensum,
Spires in medio, pede iuncto, deprime vultum!
Versus posterior videat finem anterioris.
Non vox sed votum, non consona musica sed cor,
Non clamor sed amor Domini pertingit ad aures.[1]

De cantu devoto valent s. Chrysostomi verba: »Nihil animam aeque erigit alatamque quodammodo efficit atque a terra liberat et exsolvit a vinculis corporis amoreque sapientiae afficit et, ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, perficit, ut cantus modulationis et divinum canticum numero compositum.«[2]

»Non vocem curialiter frangas in cantando, quia, si quaeris Deo placere, quanto cantabis simplicius, tanto magis ei placebis; si quaeris auditoribus placere, inanis est gloria tua; si tibi placeas, vana est levitas. Si aedificationem auditorum in cantando quaeris, quanto magis cantando vanitatem fugis, tanto magis aedificas.«[3] Bis orat, qui bene cantat.

Denique cantandum est satis *urbaniter*. Rusticitas est per nares cantare, vocales non satis distincte sub proprio earum sono vociferare. Hoc enim reddit cantum quoad verba minus intelligibilem audientibus. Alia rusticitas est declinatio a rectitudine vocis per dissonantiam ascensivam vel descensivam, cum impetu sive violentia vocem emittere, ineptos mores habere v. gr. non fixe stare sed se hinc inde movere vel caput nimis in altum tollere, os in alteram maxillam incurvare, ipsum nimis alte aperire. Quae ideo sunt vitanda, ne aspicientes risu provocentur, quum per cantum ad devotionem movendi sint.

---

[1] Psalterium Romanum Petri Valfray. Lugduni, 1716. Tom. I. Pag. 2. — [2] S. Ioannes Chrysostomus in Ps. 41. (I. P. Migne, Patr. graec. Tom. LV. col. 156). — [3] S. Bonaventura, De institutione novitiorum. P. I. cap. 33.

Post nonnullas instructionum horas, quae plerumque diebus Dominicis et festivis post consuetas vesperas a iuvenibus visitantur, inchoanda est institutio *puellarum.* Haec annunciatur in ecclesia pro devotis puellis sedecim usque viginti quattuor vel ad summum triginta annos natis. Aetatis circumscriptio autem fit ea de causa, ne veniant tales, quarum vox non amplius meliorari possit propter progressam aetatem, et quia initio chorus valde numerosus propter loci angustiam et directionis difficultatem haud facile admittendus est. Elementaris instructio fiat sicut apud iuvenes pro solis puellis, separatim ab iuvenibus. Post aliquas hebdomadas fieri possunt in ecclesia, nisi adest alter sat amplus locus in aliqua domo, exercitia pro omnibus vocibus iuvenum et puellarum.

Etiamsi sacerdos ipse chorum non dirigat, adsit tamen semper ad conservandam disciplinam et custodiendos bonos mores. Pastoris praesentia affert multa commoda et profectum cantus valde promovet. Exercitia vocum inaequalium ne sint umquam tempore nocturno. Tempore hiemali autem dimittantur prius puellae ad vitanda mala consortia. Voces aequales *exerceantur* separatim, inaequales autem solummodo semel vel bis in mense convocentur. Paulatim nonnulli a cantu recedunt, remanet autem minor numerus optimorum cantorum, qui facilius dirigi possunt. Per hos canentes in navi ecclesiae cantus prodit in reliquum populum, qui ope cantuarii dioecesani sequitur cantores ab iisque salubriter dirigitur.

Maxima melodiarum pars cantuarii dioecesani Lavantini tam simplex est, ut a populo cani possit. Nonnullae tamen melodiae praesertim cum textu latino per longum tempus a solis cantoribus cantandae sunt, ut ab aliis addiscantur.

De instituendis novis cantionum collectionibus.

Introducto cantionali dioecesano »Kvišku srca« cantus vulgaris multum proficiet in dioecesi Lavantina. Quum autem multae aliae existant cantiones, quae in prima hac

officiali collectione non continentur, proponimus faciendas ulteriores collectiones cantionum ecclesiasticarum, ut pars prima iam existens compleatur ac perficiatur. Colligentes autem respiciant tum *textum* tum *melodiam* tum *modum revisionis.*

a) Cantio ecclesiastica est carmen religiosum in lingua vulgari, aptum ad canendum a populo ad cultum divinum. Ut autem huic fini servire possit, ideam cultus divini exprimat oportet. Obiectum cantus ecclesiastici est ergo aliquod mysterium vel aliqua veritas *fidei* catholicae, sicuti ab Ecclesia proponitur in eius liturgia. Decursu anni ecclesiastici ergo cantionibus dicitur ac canitur, quod Ecclesia dicit ac canit. Intima ergo est relatio inter argumentum Missalis et Breviarii Romani ac cantus ecclesiastici. Vera cantio ecclesiastica res apocryphas, revelationes privatas, narrationes pias referre non potest, quia liturgia eas reiicit. Nec sufficiunt res generaliter christianae, quia liturgia exposcit sensum catholicum specifice expressum. Carmen prodeat e Spiritu Sancto, id est ex fide, spe, caritate, ut simul illuminet ac calefaciat. Cantione ecclesiastica promoveatur salus hominum, contritio, iustificatio, sanctificatio. Essentialiter ergo nihil aliud est, quam precatio et oratio.

Optimus fons carminum ecclesiasticorum est ergo Missale et Breviarium, qui libri fundantur in Scriptura sacra, quae continet verbum divinum. Quemadmodum per liturgiam fidelibus supernaturales veritates fidei et morum visibiliter proponantur, ita etiam fiat per cantum ecclesiasticum. Id ergo praecipuum constituit argumentum cantionis ecclesiasticae, quo populus christianus magis movetur, illuminatur, aedificatur. Carmen autem obiectum suum exprimat obiective, non iuxta subiectivam poëtae perceptionem, sed taliter, quemadmodum Ecclesia sensum alicuius festi celebratione sua exprimit. Mystici v. gr. festum ss. corporis Christi in perfectione sua aliter percipiunt quam caeteri fideles. Quum autem cantus ecclesiasticus ad aedificationem *omnium* fidelium serviat, ne sublimes aliquas mysticorum ideas proponat, sed ideas populi captui accommodatas.

Cantus ecclesiasticus exprimit sensum communitatis religiosae. Quapropter adhibeatur numerus pluralis, sicut in liturgia Ecclesia semper nomine omnium orat ac implorat divinam largitatem. Exceptionem tamen admittunt cantiones ante vel post sacram communionem, ubi a singulis specialis cultus adhibetur v. gr. *Tebe molim Jezusa, v hostiji tu skritega. Vse veselje in vse želje srca mojega.* (»Kviško srca«, pag. 157).

Ideae religiosae autem exprimantur in vera poësia, non in prosa quotidiana. Poëta tamen in ideis exprimendis ne sublimius ascendat, ut possit populi plus afficere cor quam elicere subtiles cogitationes. Quare prima conditio est, ut cantus ab omnibus *intelligatur*. Vitentur ergo sublimiores imagines, figurae, phrases, quae a populo intelligi nequeunt. Quae autem minus patent, animarum pastores explicent non solum parvulis in schola, sed etiam adultis in ecclesia praedicantes verbum divinum. Respectus habeatur non tam parvi numeri cultorum, quam multo magis magnae multitudinis simplicium, ut accipiant panem spiritualem. Quod hi percipiunt, cultiores haud latebit.

Homines provectiores in vita ascetica diutius in meditatione eiusdem rei permanere cupiunt, haud taliter multitudo fidelium. Ideo cantio, quae omnes recreare intendit, ideas breviter ac concinne, perspicue ac persuasibiliter exprimat. Tres vel quattuor strophae regulariter sufficient. Melius est, si manet in populo desiderium adhuc aliquid de hoc vel illo carmine audiendi quam taedium melodiarum auditarum. Exceptionem admittunt Litaniae in processionibus, Via crucis, Rosarium.

Quae poëta producit pro cantu ecclesiastico, *facile* sit ad *canendum*. Verborum rhythmus provocet suapte natura ad cantandum. Mensura syllabarum, accentuatio acuta, versus completus quoad sensum commendent carmen. Strophae quattuor versuum sunt classicae et produnt exoptatam simplicitatem carminis vulgaris. Carmina antiquitate sanctificata propter aliquem technicum defectum non omnino sunt reiicienda vel mutanda, quae autem noviter producuntur, accurate revideantur ac cor-

rigantur, ut quoad sensum ac formam devoto fini servire possint.

Carmina religiosa, quae inter populum dioecesis Lavantinae pervulgata sunt, recentiore tempore in meliorem formam redacta et numerositate valde aucta quoad textum prodierunt in libro »Venec svetih pesmi za bogoljubne kristjane.« Deveti pomnoženi natis. V Mariboru, 1912. Haec collectio complectitur omnia quoque carmina cantionalis dioecesani in eodem textu. Cantiones typis edendae desumantur ex »Venec« in eadem forma, quia taliter servatur unitas textus, quae hodiernis temporibus magni est momenti praesertim ob crebriorem populi transmigrationem ab uno loco in alterum. Conservata unitate approbati textus facile praecaventur errores fidei et morum. Cantores autem cantiones semel memoria traditas ubique locorum canere possunt, quod haud parum promovet cantum vulgarem ecclesiasticum.

b) Quemadmodum e textu ecclesiasticarum cantionum omnia removenda sunt, quae fidei, moribus, sacrae liturgiae adversantur, ita etiam *melodia* omnibus sacrae liturgiae proprietatibus praedita sit: Sit sancta, sit pulchra et decora, sit universalis. *Sancta* sit! Eiiciat ergo e sacris profana non tantum in se sed etiam quoad formam, qua a cantoribus proponitur. *Pulchra* sit iuxta normas verae artis, ut in animos audientium illam exerceat virtutem, quam Ecclesia postulat, quum musicis liturgiam societ. *Universalis* sit hac ratione, scilicet quamvis singulis nationibus liceat in musicis sacris admittere illos praecipuos modos, qui formam earum musicae constituant, hi tamen modi legibus generalibus sacrorum musicorum subiiciantur, ne ullius alienigenae animus, eos quum audiat, perturbetur.

Quae dotes praecipue inveniuntur in cantu Gregoriano, quem Ecclesia Romana iam a primis saeculis ut exemplar optimum aestimavit, in sacra liturgia adhibuit, quem denique novissima studia pristinae dignitati et integritati restituerunt.

Quamvis gravibus rationibus ducti statuere velimus, ut cantus Gregorianus primum in ecclesia obtineat locum,

minime tamen cantum harmonicum eliminare intendimus, immo ad distinguenda festa maiora commendamus, dummodo non recedat a natura et charactere cantus vere ecclesiastici. Caeterum volumus, ut concentus musici in domo Dei, quia domus orationis est, sint casti, graves, pii nec nimis prolixi, nihil profanum aut molle aut martiale vel scenicum redolentes, sed pietatem et animi tranquillitatem fóventes. Sint insuper ita distincti, articulati et textibus liturgicis rite accommodati, ut pius verborum sensus facile percipiatur.[1]

Musica compositio iuxta mentem Beatissimi Patris nostri Pii X. »eo magis est sacra et liturgica, quo in modis cantum Gregorianum sequitur, et eo minus templi digna est, quo magis illo optimo exemplo peccat«.

Quum autem nullus certe sit, qui inter cantum sacrum et scenicas modulationes discrimen aliquod non desideret sonosque profanos in ecclesiis tolerari non condemnet, volumus et mandamus, ut cantus vulgaris sit gravis et castus, domui Dei et laudibus divinis adprime accommodatus. Ex mente Ecclesiae cantus sollemnitati, quae celebratur, et officio, quod agitur, ad amussim conveniat. Si populus sub Missae sacrificio canit, saltem inter canonem nonnisi cantica adhibeantur, quorum tenor sacrae actioni correspondet.

Optandum est, ut infra Missas lectas usque ad Offertorium cantentur saltem tres strophae (»Kvišku srca«, num. 8, 9, 10, 12, 14, 16) ex his numeris, ab Offertorio usque ad Elevationem tres vel quattuor strophae ex altera parte, quae continet carmina de tempore ecclesiastico, de b. Maria Virgine, de Sanctis (»Kvišku srca«, num. 24—40, 70—87, 88—104). Post elevationem Sanguinis usque ad finem ss. Sacrificii celebretur sacratissimum Eucharistiae mysterium (»Kvišku srca,« num. 11, 13, 15, 17, 20, 23, 42—69). Tali modo fideles saltem tribus melodiis ad laudem et glorificationem Dei excitantur. Festis sollemnioribus pulchriores destinentur melodiae!

[1] Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno Domini 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Num. 129. pag. 124.

c) Quae normae ut ab omnibus rite observentur et in exitum deducantur, in Synodo praeterita decretum de constituta societate virorum[1] in arte musica peritorum tum ex Clero tum ex laicis selectorum promulgavimus. Hi diligenter examinent compositiones musicas tum veteres tum recentes easque tantum approbent ad usum ecclesiasticum, quae vel ad tramites Motus proprii Pii PP. X. *Tra le sollecitudini* de die 22. Nov. 1903 et decreti Sacrae rituum Congregationis de die 8. Ian. 1904 constitutae inveniuntur vel iam in catalogo societatis »Caecilianae« approbatae notantur. Censemus praeterea non inutile fore, si inventaria quaedam omnium compositionum ecclesiasticarum conficiantur, ex quibus per commissarios expertes cuncta deleantur vel tollantur, quae legibus ecclesiasticis contraria inveniuntur. Et sicut textus cuiuslibet libri liturgici vel etiam libelli precatorii quoad authenticitatem censurae ecclesiasticae subiacet, ita textus et melodiae cuiuscumque cantus ecclesiastici sive latini sive proprii idiomatis diiudicari oportet, utrum legibus et sensui sanctae Ecclesiae respondeat.[2]

Quaelibet parochia ergo procuret sibi elenchum compositionum, qui exhibet nomen componistae, titulum compositionis et locum editionis vel impressionis. In hoc prospectu additis numeris currentibus adnotetur, quae compositiones adhuc sint in usu. Prima vice mittatur elenchi copia unacum caeteris matricarum copiis reverendissimo Ordinariatui. Sequentibus annis autem solummodo compositiones noviter acquisitae ac introductae recenseantur. Elencho addatur relatio brevis de cantu parochiae ex anno praeterito. Relatio contineat sequentia: Quem studii cursum persolvit organista et quo loco? Utrum aliquoties ad Missas cantatas cantus choralis et latinus sit in usu? Quibus occasionibus canitur iuxta cantionale dioecesanum »Kviško srca«? Quo idiomate canitur infra sollemnes Missas *Requiem?* Quoties praeter dies Dominicas et festa sollemnia

[1] Synod. dioec. Lavant. anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pagg. 144 sqq.
[2] Ecclesiae Lavant. Synod. dioec. anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pag. 599.

cantatur a sacerdote sacra Missa infra hebdomadam? Qua lingua canit in his Missis organoedus cum cantoribus?

Adminiculo harum relationum Societas pro pervigilanda musica sacra proponet reverendissimo Ordinariatui generalem exhibitionem de statu cantus ecclesiastici praesertim vulgaris quovis anno, de abusibus removendis, de reformatione cantus iuxta normas ecclesiasticas.

Perspectis variarum peramplae dioecesis Lavantinae circumstantiis relate ad cantum vulgarem in lingua vernacula compleatur editio futura cantionalis dioecesani »Kvišku srca«. Quum autem in hac omnes tam multae et magnificae melodiae ecclesiasticae in dioecesi Nostra usitatae comprehendi non possint, condantur novae collectiones cum melodiis pro duabus, tribus et pluribus vocibus tum aequalibus tum inaequalibus. Forma autem novi cantuarii, in quantum possibile est, retineat formam primae partis editae sub nomine »Kvišku srca«. Dispositio quoque, in quantum fieri potest, reservetur praescripta a Synodo anni 1903. In partem tertiam autem assumatur responsorium *Ecce Sacerdos magnus* in melodia tum cantus choralis Gregoriani tum polyphoniae.

Conducat ergo cantionale dioecesanum ad promovendam pietatem et dignius recolenda religionis mysteria in ecclesia fidelium! Pulcher cantus devotionem efficaciter alit, mentem pio sensu replet, in corde devotos affectus excitat, dogmata Ecclesiae memoriae fidelium imprimit et cultus divini maiestatem auget. Quapropter agant animarum pastores, ut cantuario dioecesano duce tum scholastica tum adultior iuventus in cantu ecclesiastico debite formetur. De hoc uno sollicita semper fuit ecclesiastica auctoritas, ut qui cantus ad divinae Maiestatis cultum excitandum et augendum adhiberetur, tanto fini apprime accommodatus esset eique penitus responderet.[1] *Bonum est confiteri Domino: et psallere nomini tuo, Altissime.* (Ps. 91, 2). *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus: Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio!* (Ps. 146, 1).

[1] P. A. M. Weiss, Zur Hebung des deutschen Kirchenliedes. (Musica sacra, Monatschrift für Hebung und Förderung der kath. Kirchenmusik. Re-

Caput CLXIX.

De sodalitate sacerdotum in honorem sacratissimi cordis Iesu ad conservandum et promovendum spiritum sacerdotalem.

Inter sanctificationis media, a Sanctissimo Domino nostro Pio divina providentia PP. X. praeclara exhortatione in quinquagesimo natali sacerdotii sui ad Clerum catholicum die 4. Augusti 1908 proposita et commendata, coniunctio seu confoederatio sacerdotum saecularium sub moderamine Episcoporum nominatur. »Aliud praeterea cordi est commendare: adstrictiorem quamdam sacerdotum, ut fratres addecet, inter se coniunctionem, quam episcopalis auctoritas firmet ac moderetur. Id sane commendabile, quod in societatem coalescant ad mutuam opem in adversis parandam, ad nominis et munerum integritatem contra hostiles astus tuendam, ad alias eiusmodi causas. At pluris profecto interest, consociationem eos inire ad facultatem doctrinae sacrae colendam imprimisque ad sanctum vocationis propositum impensiore cura retinendum atque animarum provehendas rationes consiliis viribusque collatis... Nosmetipsi unam quamdam, bene aptam experti, fovimus in episcopali munere, eamdem etiamnum aliasque singulari benevolentia prosequimur.«[1]

gensburg, 1904. Pag. 12). — Der Schulgesang in seiner Bedeutung für die Zukunft des Kirchenchores. (Idem. Regensburg, 1906. Pag. 61). — P. Othmar Berger O. S. B., Sammlung katholischer Kirchenlieder. 31. bis 36. Auflage. Linz a. D. — Idem, Orgelbuch zur Sammlung kathol. Kirchenlieder. 5. Auflage. Linz a. d. Donau, 1907. — Wunibald Briem, Der kirchliche Volksgesang. Innsbruck, 1908. — Dr. Karl Weinmann, Alte und moderne Kirchenmusik. (Kirchenmusikalisches Jahrbuch. Regensburg, 1910. Pagg. 107—112). — Stjepan Hadrović, Kratka povjest glazbe. Zagreb, 1910. — Idem, Crkvena pjesmarica „Hosana" in Pratnja orgulja k cerkvenoj pjesmarici „Hosana". Zagreb, 1911. — Dr. Wilh. Bäumker, Das katholische deutsche Kirchenlied in seinen Singweisen. Bd. I.—IV. Freiburg im Breisgau. — Gustav Erlemann, Die Einheit im katholischen Kirchenliede. Trier, 1911. — Anton Kosi, Nabožne ljudske pesmi. Ljubljana, 1912. — Idem. Štiri cerkvene pesmi za šolarske svete maše. Ljubljana, 1912. — Franz Gmeiner, Welches sollen die leitenden Gedanken bei Zusammenstellung eines Diözesan-Liederbuches sein? (Referate des Kongresses für Katechetik. Wien, 1912. Pagg. 14—16).

[1] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1908. Num. X. alin. 86. pag. 150.

Consociationis sacerdotum, quam Beatissimus Pater in praelaudata exhortatione commemorat, nomen est: »L'Unione Apostolica dei Sacerdoti secolari«, quae anno 1862 in Gallia primum erecta et a summis Pontificibus Pio IX. ac Leone XIII. nec non Pio X. saepius approbata et commendata brevi tempore non solum in Italia, ubi iam anno 1879 reperitur, sed et in aliis orbis catholici dioecesibus introducta est. Summus Pontifex Pius X. per Breve die 28. Decembris 1903 editum hanc Unionem apostolicam indulgentiis ditavit eiusque finem et fructus hisce verbis extulit: »Hoc institutum, proposita universis sociis uniformi vitae ratione, menstruis conventibus, spiritualibus colloquiis, gestorum propriorum nota praepositis suo tempore reddita aliisque aptis caritatis officiis Cleri unitatem tuetur, firmat sparsosque levitas spiritualis fraternae dilectionis vinculo devincit. Inde mira sodalium concordia, mutua aedificatio, sanctius servatus vocationis spiritus, et amoto solitudinis periculo coalescentibus in unum multorum viribus quisque sacerdos in communem utilitatem ac perfectionem animum intendit et, licet variis ministerii sui curis distractus communi contubernio non utatur, tamen nec se a familia desertum sentit nec fratrum auxilio consilioque caret.«

In dioecesi quidem Nostra duae iam existunt confoederationes sacerdotum, quae principalem scopum sibi proponunt promovendi spiritum sacerdotalem, nimirum *associatio perseverantiae sacerdotalis*, cui, anno 1883 Vindobonae erectae, plurimi dioecesis Lavantinae sacerdotes adscripti sunt quaeque specialem prosequitur finem fovendi et dilatandi cultum ac imitationem sacratissimi cordis Iesu; nec non *confraternitas sacerdotalis adorationis sanctissimi Sacramenti*, anno 1895 in dioecesi Lavantina introducta et archiconfraternitati Lutetiae Parisiorum existenti aggregata, cuius finis principalis est adimplere ardens sacratissimi cordis D. N. Iesu Christi desiderium, quo in sanctissimo altaris Sacramento optat visitari et adorari.

Ex mente tamen Sanctissimi Domini nostri Pii X. pro dioecesi Nostra Lavantina specialem consociationem sacer-

dotalem sub titulo sacratissimi cordis Iesu constituere et erigere intendimus, quae Nostro praesertim tempori congruere videtur cuiusque scopus cum scopo Unionis apostolicae, a Summo Pontifice tantopere commendatae, quoad rem omnino concordat.

Huius consociationis, in multis dioecesibus iam vigentis et florentis, regulas vobis, praedilecti in Christo cooperatores in vinea Domini, hisce proponimus et communicamus, vehementer desiderantes, ut in dioecesi quoque Nostra florescat et copiosos sanctitatis fructus proferat.

Sodalitas sacerdotum dioecesis Lavantinae in honorem sacratissimi cordis Iesu ad conservandum et promovendum spiritum sacerdotalem.

Finis sodalitatis sacerdotum in honorem sacratissimi cordis Iesu is est, ut periculis occurratur, quibus sacerdos saecularis in quotidiano suo cum hominibus commercio exponitur, periculis scilicet, ne mundi spiritum paulatim sibi faciat proprium.

Cuius quidem periculi caput in quadam, ut ita dicatur, *solitudine spirituali* situm est. Dum enim homo laicus in sacerdote, regularis in monasterio adminiculum sibi invenit, sacerdos saecularis in spiritualibus semper fere sibi ipsi relinquitur ac propterea prae caeteris illud sacrae Scripturae in se experiri debet: *Vae soli, quia, quum ceciderit, non habet sublevantem se.* (Eccle. 4, 10).

Cui difficultati et periculis inde enascentibus facillime et efficacissime occurri posse videtur, si sacerdotes speciali ad hoc sodalitate inter se coniungantur. Si enim Spiritus Sanctus per os Sapientis loquitur: *Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum* (Eccli. 6, 14), quantum munimen, quam pretiosum thesaurum praeberi putamus intima coniunctione amicorum, qui uno corde et anima una in eumdem tendant praefixum sibi sublimem pulcherrimumque finem!

Quae omnia profecto suadent, ut sacerdotes quasi triplici *orationis* scilicet, *exempli mutuaeque exhortationis vin-*

culo inter se devinciantur, quo melius Dei honorem suamque ipsorum integritatem, perfectionem et salutem aeternam promovere et id assequi valeant, ut *in omnibus seipsos praebeant exemplum bonorum operum* (Tit. 2, 7), *forma facti gregis ex animo.* (I. Petr. 5, 3).

Huius sodalitatis *patronus et centrum* est ipsum sacratissimum cor Iesu, *de cuius plenitudine nos omnes accepimus.* (Ioan. 1, 16). *Supremus* vero eiusdem *praestes* est reverendissimus Ordinarius, qui eam regit per *praesidem*, a sodalibus per vota secreta, directe ad Principem-Episcopum missa, ad quinquennium eligendum et ab Ipso confirmandum.

Praesidi assistunt *propraesides*, quorum numerus a sodalium numero nec non a locali regionum natura dependet, quibus praeficiendi erunt. Etiam hi simili modo ad quinquennium eligendi et a Principe-Episcopo confirmandi sunt, cui intra hoc quoque tempus liberum erit, si ita illi visum fuerit in Domino, aliter disponere de praeside deque propraesidibus.

Ad assequendum sodalitatis finem, qui iuxta superius dicta non est alius, nisi ut vita vere sacerdotalis promoveatur, sodales has *regulas* observabunt, epistolis pastoralibus s. Pauli apostoli nec non Conciliorum praesertim Tridentini canonibus et statutis dioecesanis respondentes, scilicet:

1. Ut quotidie mane ad minimum per viginti minuta sacrae vacent *meditationi.* Quodsi mane fuerint impediti, id alio per diem tempore facient vel meditationi piam lectionem substituent vel saltem frequentibus precibus iaculatoriis animum ad Deum levabunt.

2. Ut saltem per quadrantem horae se praeparent ad *accessum* ad altare, sacrosanctum Missae sacrificium oblaturi, et post *recessum* ab altari tantum quoque temporis dent gratiarum actioni. Utrumque porro propter aedificationem fidelibus debitam, si possibile est, in ecclesia fiat.

Quodsi ex causa rationabili minus temporis in id insumpserint vel alias breviores in hoc fuerint, defectum frequentioribus per diem caritatis actibus supplere studebunt.

3. Ut *Breviarium* opportuno tempore, digne, attente ac devote recitent et, si tempus permiserit, saltem brevem etiam *lectionem spiritualem* instituant.

4. Ut quotidie, quantum circumstantiae permittunt, per aliquod tempus *sanctissimum Sacramentum visitent*, exceptis diebus, quibus pomeridiano vel vespertino tempore ex officio ecclesiam adire debebunt.

Quando ex rationabili causa v. g. ob aëris intemperiem, ob longam ecclesiae distantiam, ob amicorum adventum, ob defatigationem ex laboribus in cura animarum contractam et aliis Sanctissimi visitatio fieri nequit, eius loco saltem brevem sanctissimi Sacramenti adorationem, facie ad illud conversa, tempore opportuno substituent.

5. Ut sodales, qui propriam rem domesticam agunt, *rosarium Marianum*, nisi iam in ecclesia recitatum est, cum domesticis suis vespere communiter recitent.

Qui sive gravi labore sive corporis indispositione aliisque id genus rebus praepeditus est, saltem quinquies *Ave Maria*, interpositis respectivis mysteriis, recitet.

Sodales, qui rosarii vespere communiter recitandi occasionem non habent, id praestent privatim.

6. Ut quotidie, sive coniunctim cum rosario sive cum precibus vespertinis *examen conscientiae* instituant.

7. Ut singulis mensibus saltem bis, ad minimum vero semel peccata sua *confiteantur*.

8. Ut *exercitiis spiritualibus* communibus ad minimum tertio quoque anno intersint.[1]

Eis vero annis, quibus exercitia spiritualia communia non peragunt, opportuno tempore recollectionem privatam per triduum eo modo, quem circumstantiae permittent, instituant.[2]

Pariter exeunte quolibet mense speciale de eo fiat examen, percurrendo inter alia has regulas et inquirendo, quomodo eis satisfactum sit.

---

[1] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. XV. pag. 357. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXXII. alin. 1. pag. 416. — [2] Op. et loc. cit. alin. 4. pag. 417.

9. Ut in orationibus *sui invicem et sodalium in Domino defunctorum meminerint,* praesertim in Missa ad *commemorationem* tum *pro vivis* tum *pro defunctis.*

Praeterea pro sodalibus quotidie orabunt semel *Ave Maria* cum versiculo: *Regina, sine labe originali concepta, ora pro nobis!*

Pro salute dioecesis, quae sodalibus imprimis cordi esse debet, quotidie orabunt unum *Ave Maria* cum prece iaculatoria: *Cor Iesu, flagrans amore nostri, inflamma cor nostrum amore Tui!*[1]

10. Quum centrum et spiritus rector totius sodalitatis sit ipsum sacratissimum cor Iesu, hinc *in spiritu frequenter in eo conveniant* indeque hauriant spiritum, quo eius ministros informatos esse oportet, ut, cor unum cum sacratissimo corde Iesu, etiam inter se cor unum efficiantur et anima una.

Hinc *Apostolatui orationis* quoque nomen dabunt et cultum sacratissimi cordis Iesu pro viribus promovere studebunt.

11. Quum nihil sit, quod praeclaram sacerdotis dignitatem in seipsa tantopere dehonestare et, erepta Dei gratia, fiduciam fidelium penitus eripere eorumque, qui foris sunt, contemptum excitare magis valeat quam incontinentiae vitium, hinc ad *castitatem conservandam* omne convertent studium, diligenter adhibendo necessaria et opportuna ad illam tuendam media.

Proinde observent, quae sequuntur: *a)* Omnem familiarem cum alio sexu fugiant consuetudinem, non solum a mali labe, immo a sola iam specie eius diligenter sibi caveant, ne, qui proni sunt ad omnem suspicionem homines, etiam de illis inhonestum quidpiam suspicari aut inconsideratum forte quempiam loquendi et agendi modum in partem sinistram interpretari incipiant.

b) Extraneas mulieres urbanitatis aut officii specie aut praetextu etiam spiritualis instructionis ne frequenter in-

[1] Indulgentia 100 dierum semel quotidie. Leo PP. XIII. per rescriptum Sacrae Congregationis indulgentiarum de die 16. Iulii 1893. (Franz Beringer, Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch. Dreizehnte Auflage. Paderborn, 1906. Pag. 141).

visant, cum eisdem neque concinant neque instrumentum musicum v. gr. animi recreandi ergo pulsent aliaque id similia devitent.

c) Feminas per vias ne comitentur neque comites se illis in deambulationibus et itineribus adiungant.

d) Quodsi mulieres consanguineas pro obeundis ministeriis domesticis habere non possunt, extraneas quidem famulas habere licet, ast, quod etiam de consanguineis valet, non iuniores, procaces, vanitati deditas, malae famae feminas, in vitio carnis iam lapsas vel quomodocumque suspectas.

Famulas, etsi consanguineas, ad mensam assidere ne patiantur neve diutius aut saepius cum solis loquantur vel in eorum cubiculis commorentur; iter porro cum eisdem, etsi sororibus, ne instituant, praesertim in eodem curru vehentes, neve cum illis parochias vicinas invisant aut ad nuptias invitati appareant aut in nundinis mercatorum tabernas perlustrent.[1]

12. *Tabernae, cauponae* aliaque his similia sint eis quasi terra incognita, ne saeculi huius voluptatibus ibi illaqueentur et spiritum clericalem sensim amittant.

Ne morem gerant hac in re sodales exemplis confratrum minus laudandis, sed ipsi exemplar omnium, sanctissime obediendo eis, quae sancta Ecclesia clericis non consilii tantum sed veri praecepti ratione iniungere numquam non intermisit.[2] In dubio a sodalitatis praeside consilium petant.

Sed non tantum a tabernis frequentandis abstineant, verum etiam a conviviis et commessationibus sumptuosis in propriis domibus parandis. Dedecet profecto viros de Clero, totum tempus pomeridianum, immo forte etiam multam in noctem mensae assidere et potui indulgere.

---

[1] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. XIII. alin. 2. pagg. 328—332. — Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Cap. XLVII. alin. 2. pag. 463 et 464. — [2] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. XIII. alin. 3. pagg.3 32—335.

Pari ratione ne sint frequentes et sine iusta causa in domibus privatis.[1]

Scandalosos homines eorumque societatem omnino vitent nimiamque familiaritatem cum laicis ne ineant, quin tamen omittant, quae eis ex officio aut caritate praestare tenentur.

Vix necessarium est addere, etiam theatra publica omnino esse vitanda.

13. Quoad *habitum clericalem* accurate servent, quae sive legibus generalibus sive constitutionibus in dioecesi vigentibus praecipiuntur, diligenter evitantes sive in coma componenda sive in barba radenda sive in vestibus adhibendis, quaecumque vani et mundani aliquid praeseferant et magis apta sint, risui exponere quam aestimationem conciliare.

Quam maxime exoptandum, ut semper, sive intra sive extra domum, veste talari utantur, nisi tempestatis viarumque incommoda aliter exigunt.[2] Omnino decet, ut sodales nonnisi veste talari induti Ordinarium suum adeant.[3]

14. Ad *bona temporalia* quod spectat, haec sibi statuant: *a)* Dispositiones de reditibus beneficialibus, sive inter vivos sive mortis causa, sint conformes sacris canonibus; proinde, quae in congruam sustentationem non impenduntur, ne inserviant ad usus profanos aut ditandos consanguineos vel domesticos, sed in pias erogentur causas.

b) Quoad alia bona temporalia procul sint a sumptibus luxuriosis tum in vestitu tum in supellectili; sed quae victui, statui convenienti, supersunt, impendant potius ad promovendum cultum divinum, ad opera caritatis exercenda, ad proprium in scientiis profectum augendum.

c) Testamentum condere ne diutius differant, quo tutius canonicae de bonis temporalibus dispositioni provideant.

---

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Cap. XLVII. alin. 3. pag. 465 et 466. — [2] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. XIII. alin. 6. pagg. 336—339. — Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Cap. XLVII. alin. 6. pag. 468. — [3] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXXVI. pag. 684.

»Omnem humanum erga fratres, nepotes propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitus deponant.«[1] »Cum primum (quisque) caveat, ne coquam seu ancillam haeredem scribat, quod sine scandalo vix fieri potest.«[2]

15. Alte in omnium mentibus resideat veritas, Christi exemplo et doctrina atque universa Sanctorum scientia comprobata, *obedientiam esse omnis virtutis et perfectionis christianae fundamentum*, meminerintque moniti s. Pauli apostoli: *Obedite praepositis vestris et subiacete eis! Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes: hoc enim non expedit vobis.* (Hebr. 13, 17).

Hinc a censura actorum et decretorum a superioribus suis latorum abstineant, Episcopi ordinationibus religiose obediant neque eius dispositionibus renuant sive in muneribus subeundis aut relinquendis sive in ea vineae Dominicae parte suscipiendis, ad quam eos vocare ipse decreverit.

Proinde sanctum etiam eis erit, omnibus valedicere foliis, quibus auctoritas ecclesiastica quomodocumque impetitur.

Etiam sodalitatis praesidem vel respectivum propraesidem libenter audient in eis, quae harum regularum observantiam et sodalitatem respiciunt.

16. Circa *relationem inter parochos eorumque cooperatores* stricte observentur quae sequuntur:

a) Parochus cooperatorem consideret tamquam virum sacerdotio Christi insignitum ideoque cum bonitate, mansuetudine et benevolentia eum tractet. Nimiam erga eum dominationem haud exerceat nec sit durus in eum sed comis ac urbanus, et non modo a parochianis sed etiam a domesticis suis omnem observantiam eidem praestari sataget.

---

[1] Concil. Trid. sess. XXV. cap. 1. de ref. — [2] Acta et decreta Concilii provinciae Viennensis anno Domini 1858 celebrati. Vindobonae, 1859. Tit. VII. cap. 4. pag. 178. — Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. XVIII. alin. 3. pag. 373.

b) Consiliis suis cooperatorem adiuvare et ad animarum regimen et parochiae administrandae rationem nec non ad negotia gerenda sensim eum informare studeat. Unde libenter modo de hac modo de illa re, ad curam animarum in sua praesertim parochia spectante, cum eo conferat, ad haec vel illa scripta officii parochialis conficienda eum invitet et necessarias opportunasque instructiones eidem tradat, ordinationes in folio dioecesano contentas vel alio modo publicatas eidem communicet et alia huiusmodi.

c) Neque etiam tam alte de se sentiat, ut ne audire quidem velit cooperatoris sui consilium, sed quasi e vestigio illud repellat; quod persaepe non tantum ob rem ipsam dolendum est, verum etiam propterea, quia tali modo omnis familiarior inter parochum et cooperatorem conversatio impeditur et frigiditati, fortasse etiam mutuae aversioni, ne dicamus, inimicitiae via sternitur.

d) Caveat porro parochus, ne in forum internum poenitentiae sese ingerat, ita ut velit v. gr. cooperatori praecipere, cuius et quoties ad summum confessiones audire vel cui et quoties sacram communionem permittere debeat et his similia.

e) Tandem parochus, si ita circumstantiae exigunt, officii correctionis fraternae cooperatori suo exhibendae ne obliviscatur paterneque eum moneat etiam de periculis illi imminentibus, quin ipse forte sciat. In omnibus tamen seipsum praebeat exemplum bonorum operum. (Tit. 2, 7).

f) Superfluum est monere, ut ea, quae cooperatori forte praestanda sunt: victus, ministerium et alia libenter eidem exhibeantur, praesertim si quando indispositione vel morbo quodam laboret aut a providendis aegrotis vel visitanda schola remota lassus defatigatusque domum revertatur.

Cooperatores vero *a)* promptos se exhibeant, ut parochi vices suppleant, quotiescumque ad hoc requisiti fuerint.

b) Caveant omnem murmurationem, inurbanitatem, mores incultos et oppositionem, a nimio sui amore prove-

nientem; econtra modeste a parocho petant, quae sibi agenda sint, eiusque monitis et consiliis morem gerant.

c) In divinis officiis vel scholis nihil inscio vel invito parocho agant et quando eum errasse vel contra sanctiones ecclesiasticas quid constituisse certam conscientiam habent, hoc reverenter et sincere ei exponant.

d) De statu aegrotorum, quos visitarunt, parochum certiorem reddant.

e) Si contingat, ut quis cooperator iure merito censeret, se plus aequo a parocho gravari, propter bonum pacis parochi mandatis obediat, donec res aut decano aut, si necesse fuerit, Ordinario fuerit proposita ab eoque decisa.

f) Ordinem domesticum a parocho constitutum accurate observent. Quando vero id ob praestanda officia pastoralia similesque occupationes v. gr. in operariorum conventibus impossibile fore praevident, de hoc parochum certiorem faciant et, si id fieri non potuit, de hoc postea edoceant.

g) Numquam cooperator de parochi regimine coram parochianis disserat neve defectus eiusdem revelet coram eis, quorum nihil interest; quin potius bonam indolem et virtutes eius commendet.

h) Consimili modo se gerat quoad domesticorum defectus nec eos umquam curiosius v. gr. ex aliis domesticis sciscitando investiget et circumferat. Nemo enim non videt, quantopere scurrilitas omnisque garrulitas dedeceat virum eoque magis sacerdotem, ut taceantur damna paci et tranquillitati domesticae vel famae domus parochialis non raro exinde illata.[1]

17. Quum assiduum ordinatumque *studium litterarum* conditio necessaria sit ad vitam perfecte sacerdotalem, sodales tempore, quod ab officii pastoralis occupationibus eis superest, conscientiose utantur, ut in rebus ad vocationem suam spectantibus magis magisque se excolant.[2]

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Cap. LII. pag. 534 et 535. — [2] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. XIII. alin. 1. pag. 327 et 328. — Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXI. alin. 2. pagg. 176—183.

In specie vero sacrae Scripturae, dogmaticae, moralis, pastoralis et iuris canonici studio operam dent, semper attendentes etiam ad ea, quae folio officiali dioecesis Nostrae suppeditantur. Commendatur porro singulis, ut aliquam ex scientiis theologicis singulari studio prosequantur. Meliore ingenio praediti maiores minoresve dissertationes scriptas conficiant et sive in folio Nostro ecclesiastico sive in bona aliqua ephemeride inserere et publici iuris faciant.

18. Singularem diligentiam sodales in eo convertant, ut *iuventutem scholasticam bene instruant* eiusque et intellectum illuminent et cor inflamment.[1]

Pariter omni cum diligentia suos praeparent *sermones*,[2] praesertim vero catecheses publicas ad populum, semper respiciendo ad temporis indigentias et necessitates, nec populum fidelem increpando tantum et obiurgando, sed imprimis docendo, monendo, exhortando. Omnino vero caveant, ne umquam res personales et negotia privata in loco sacro pertractent.

19. Nec minore caritate tamquam veri Samaritani in sacro *poenitentiae tribunali* fidelibus praesto sint, iuvantes et dirigentes eos iuxta sanae moralis et ascesis principia.

Ubi bene advertant, non satisfacere officio suo sacerdotem, qui fideles forte una alterave tantum vice per annum audire velit, quum non eius sit, gratiae divinae, quae in fidelibus operatur eosque ad saepius immo quotidie percipiendam sanctissimam Eucharistiam incitat, quasi fines et limites praescribere; et quum ex altera parte utique sacerdotis sit praecavere, ne fideles ob eius a confessionali absentiam forte per hebdomadas et menses in peccato mortali decumbant sicque gravissimis animae damnis maximoque aeternae salutis amittendae periculo exponantur.

Idcirco semper faciles, promptos paratosque fidelibus in hac parte se exhibeant et imprimis singulis diebus Do-

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Cap. XXIX. pagg. 230—237. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXII. pagg. 267—278. — [2] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Cap. XXVIII. pagg. 218—230. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXXVII. alin. 2. pagg. 465—478.

minicis et festis, quibus, etiam non vocati, fideles exspectent potius, quam exspectari se ab eis sinant, vel morositate aut indignatione aliqua a confessionali frequentando eos omnino avertant.[1]

Eandem facilitatem et promptitudinem ostendant etiam, quoties ad aegrotos vocantur.

Singularem moribundis, etiam non vocati, exhibeant curam, eos non tantum providendo ss. Sacramentis, sed etiam praeterea, si possibile est, eos visitando et in hora mortis eis assistendo.[2]

20. Hisce et alia caritatis opera adiicient. Agent enim, si circumstantiae permiserint, ut *pii et bonae indolis pueri*, quos bonos sacerdotes futuros esse sperare licet, ad studia perveniant, quorum etiam studiorum tempore sollicitam curam habebunt, ut semper in via innocentiae et virtutis incedant.

Pari modo *pueris derelictis* et omni animi cura destitutis providere satagent, bonam christianamque educationem in piis familiis eis procurando; et ne plura dicamus, tota sua agendi ratione ostendent, se non diligere *verbo neque lingua, sed opere et veritate.* (I. Ioan. 3, 18).

Toti proinde erunt in eo, ut boni pastoris officio plene satisfaciant, *omnibus omnia facti* (I. Cor. 9, 22), et ut ferveat in eis zelus domus Domini atque salutis animarum.

21. Valde quidem desiderandum, ut maiores *conferentiae* frequentius celebrari possent; quod vero quum in pluribus dioecesis Nostrae partibus in praesens vix possibile sit, sodales sibi invicem viciniores v. gr. per decanatus eo saepius ad minores conferentias convenient.

Quae res tamen non casui relinquenda, sed certi dies pro semper constituendi, quibus semel saltem singulis mensibus sodales istius vicinitatis quam plurimi in aliqua domo parochiali, ad hoc prae caeteris apta, conveniant.

Quarum conferentiarum, tum maiorum tum minorum, finis hic est: *a)* Ut, quae sodales de occurrentibus variis

[1] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXXVII. alin. 1. pagg. 449—465. — [2] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Cap. XXXIX. alin. 4. pag. 322.

rebus ascesis vel pastorationis, de litterariis, religiosis aliisque id genus quaestionibus, actu animos moventibus, sentiant, sibi communicent seseque invicem instruant.

Materiae vero, de quibus in singulis conferentiis tractandum sit, vel a propraeside determinentur vel a sodalibus ipsis proponantur, quod tamen utrumque in praecedente semper conferentia fiat, ut responsa bene praeparari possint.

b) Ut sive de communibus sive de privatis rebus consilia conferantur.

c) Ut sodales se invicem exhortentur et ad bona quaeque excitent; quem in finem non abs re erit, ut propraeses brevem habeat ad confratres exhortationem spiritualem, qua eos vel contra vitium aliquod praemuniat vel ad quamdam virtutem statui sacerdotali apprime conformem invitet vel harum regularum observantiam eis inculcet.

d) Ut modeste et in caritate fraterna se invicem corrigant relate ad ea, quae v. gr. in rubricis, publicis sermonibus et sic porro deliquerint.

e) Ut facilius occasionem habeant peragendi confessionem sacramentalem.

f) Ut honeste animum recreent seseque in Domino exhilarent.

Quae tamen conferentiae tunc solum perdurabunt, si qui ad eas convenerint, nemini molestos se esse sentiant. Quapropter ille, in cuius domo sodales conveniunt, ne aegre ferat, pro hospitalitate acceptare aliquam recompensationem. Qui sodalitati revera bene vult, ne renuat liberalitati suae iustos poni fines.

22. Sodales inter se et erga *alios confratres* foveant caritatem, eis virtutibus insignitam, quas perpulchre divus Paulus recenset, scribens: *Caritas patiens est, benigna est; caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur; non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum; non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (I. Cor. 13, 4—7), et in quarum meditatione nos frequentissime occupari oportet.

Fugiant omnes, quidquid redolet partium studium, invidiam atque aemulationem, fratrum detractionem vel sinistram de eis opinionem. Ne quis aegre ferat, se illius caritatis christianae servitii participem fieri, quod Christus Dominus adeo inculcat discipulis suis: corrigi nimirum a fratribus in spiritu caritatis atque ad virtutem exercendam commoneri et adiuvari.

Meminerint tandem, piam hanc sodalitatem tantum abesse, ut caritatem restringat et funestum quemdam nutriat particularismum, ut potius dilatet corda ad conformitatem sacratissimi cordis Iesu, quod exinanivit seipsum pro omnibus et omnibus omnia factum est. Sincero igitur sanctae dilectionis affectu et obsequio prosequantur omnes in sacerdotio Iesu Christi confratres, sive sodalitati nomen dederint sive non, ut omnes dioecesis sacerdotes persistant coadunati in visceribus Christi.

Ideoque non aegre ferent, si etiam non sodales conferentiis interfuerint, immo ut hoc fiat curabunt; id unum requiritur, ut conferentiae in spiritu sodalitatis dirigantur.

Praefatas regulas sodales amore archetypi sui, summi scilicet sacerdotis Iesu Christi, fideliter, quantum tempus et circumstantiae patiuntur, observaturos sese promittunt, quin tamen sub peccato se obligent. Attamen ut precum sodalium participes fiant, id a regularum observatione dependet.

Sodalitati nomen daturi recipi petant a propraeside respectivae regionis; propraesides vero oblata occasione nomina susceptorum annunciant praesidi, qui ea sodalium elencho inscribet.

Post decursum anni, qui sodalitati nomen dederant, coram praeside vel propraeside declarabunt, num in posterum adhuc in sodalitate permanere eiusque regulas observare velint. Unicuique etiam posterius liberum erit, sodalitatem relinquere.

Qui notorie per longius tempus regulas non observaverit, praemissa fraterna sed inutili admonitione, e sodalium catalogo *delebitur*.

Haec statuta salutaria hisce adprobamus et confirmamus. Procurabimus quoque, ut sodalitas haec a Sancta Sede apostolica indulgentiis et gratiis spiritualibus ditetur. Quo facto diem erectionis et constitutionis eius animarum curatoribus notificabimus.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris! (Is. 12, 3).

Caput CLXX.

De ordine examinis pro munere catechetico in scholis mediis.

Maximi hodie praesertim momenti est, ut religiosa institutio in gymnasiis, scholis realibus et paedagogiis rite instituatur. Scholis enim mediis eisque cognatis praeformantur, qui res religiosas et civiles administrabunt, qui postea ut professores, iudices, medici, magistri, magistratus magnum in alios influxum exercebunt; unde eximia cura cavendum est, ne hisce studiis mediis venena immisceantur, et curandum, ut haec venena saepe aliunde immixta in noxia reddantur iterumque removeantur.

Cohortamur ergo sacerdotes, qui in scholis mediis sacram religionem docent, ut iuvenes sollertissime instituant et omni caritate dirigant. In institutione religiosa praesertim eas doctrinas clare proponant et alte animis infigant, quae impugnantur hodiernis erroribus modernis, ut errorum semina tempestive deleant, si quae deprehendant. Praeceptores religionis sedulo curabunt, in quantum possunt, ne reliquis disciplinis, humanioribus imprimis et historicis, pericula creentur animis iuvenum. Non sufficit, si tantummodo doctrina illuminentur discipulorum intellectus, nisi etiam pietate inflammetur cor et affectus. Timendum semper est, ne fidei lumen, oleo pietatis non satis nutritum, sensim obscuretur et tandem penitus exstinguatur. Discipulorum vitae et moribus sedulo invigilent, arceant eosdem a legendis libris periculosis et a vetitis occultis coetibus et excitent ad sacramentorum frequentiam piumque usum.

Curent, ut quovis anno exercitia spiritualia instituantur vel tempore confessionis paschalis vel tempore feriarum magnarum.[1] Tempore exercitiorum iuvenes tum oblectationibus tum studiis profanis valedicant, quietem externam, in quantum est possibile, custodiant, solummodo ad animae salutem procurandam intenti, diligenter audiant conciones moderatoris exercitiorum, quibus imprimis veritates et motiva aeterna iuvenibus proponantur, sedulo examinent conscientiam, eliciant sinceram contritionem de peccatis commissis cum firmo et efficaci proposito non amplius peccandi et dignam confessionem instituant, etiam generalem, si necesse est.[2] In quantum fieri potest, piae sodalitates (congregatio Mariana) et confraternitates (sacratissimi cordis Iesu et purissimi cordis Mariae, sacratissimi rosarii B. M. V.) erigantur.

Quum munus praeceptorum religionis potestatem iurisdictionis delegatam in se contineat, perspicuum est, idem munus a solo Ordinario conferri posse, a quo iurisdictio emanat. Nullus deinceps, etsi aliunde designatus, hoc officium sine Ordinarii collatione et missione et fidei professione coram Ordinario emittenda aggredi audeat.

Ad doctrinam religiosam tradendam utendum est iis libris manualibus, qui ab Episcopis praescripti vel expresse ad id approbati sunt.

Perutile erit, si in qualibet dioecesi ab Episcopo constituantur viri ecclesiastici, quorum inspectioni subsint omnes dioeceseos praeceptores religionis, qui in scholis mediis religiosam tradunt disciplinam.[3]

Nos de muneris catechetici in scholis mediis gravitate persuasi iam anno 1894 die 23. Maii sub Nr. 1313 edidimus *normale*, in quo de examinis ordine pro talibus magistris directiva statuuntur. Hoc normale anno 1899 in folio officiali dioecesis Lavantinae promulgatum est sub titulo: »Die Religion als Unterrichtsgegenstand und Tugendübung an den Mittelschulen«.[4]

[1] Synodus dioec. Lav. anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pagg. 418—427. — [2] Operationes et constit. Synodi dioec. Lav. anno 1911 congregatae. Marburgi, 1912. Pagg. 428—442. — [3] Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pagg. 79—81. — [4] Nor-

Nunc vero Nos, respicientes tum praescriptum Concilii provincialis tum normale Nostrae dioecesis quoad ordinem examinis pro munere catechetico in scholis mediis eisque consimilibus ad usitatam disciplinam renovandam, haecce statuimus et ut stricte observentur decernimus.

1. Quum edictum de aliquo munere catechetico in schola media vel paedagogio vacante ad princ.-episc. Ordinariatum devenerit, illud statim publicetur in folio officiali dioecesis Lavantinae simulque dies, hora et materia pro examine instituendo determinentur. Si publicatio per folium officiale fieri nequeat, edictum per *circulare* ad notitiam sacerdotum veniat publiceturque illud postea in folio officiali. Examen fiat in princ.-episc. cancellaria Marburgi.

2. Ut ad tentamen praedictum admittantur, ii soli sacerdotes petere possunt, qui *a)* e studiis in gymnasio superiori et examine maturitatis successum bonum exhibent, *b)* studia theologica cum notis valde bonis absolverunt et *c)* tres saltem annos in cura pastorali aut munere catechetico aut in alio officio ecclesiastico laboraverunt.

3. Petitio pro admissione ad examen statim, quum edictum publicatum fuerit, mediante Officio decanali princ.-episc. Ordinariatui porrigatur.

4. Examen peragitur tempore determinato scripto et ore: scripto in clausura, ore coram commissione, ab Ordi-

---

male verbatim sic sonat: Nachdem das hochheilige Konzil von Trient auf die Wichtigkeit des Lehramtes an den Gymnasien hingewiesen, fügt es bei: Et ne sub specie pietatis impietas disseminetur, statuit eadem sancta Synodus, neminem ad huiusmodi officium admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci de vita, moribus et scientia examinatus et approbatus non fuerit. (Conc. Trid. sess. V. decr. de reform. cap. 1). Die von Fall zu Fall anzuberaumende Konkursprüfung hat sich auf alle vorzutragenden Disziplinen und auf die Katechetik und Pädagogik zu erstrecken. Die Gesuche um Zulassung zur Konkursprüfung sind nach erfolgter Konkursausschreibung unverweilt durch das vorgesetzte F.-B. Dekanalamt beim F.-B. Lavanter Ordinariate einzubringen. Selbstverständlich würde nach den obzitierten Bestimmungen des hochheiligen Konzils von Trient Bewerbern um eine vakante Stelle, die sich der für diesen bestimmten Fall ausgeschriebenen Konkursprüfung nicht unterzogen oder aber die Prüfungsdispens vom Ordinarius loci nicht erwirkt haben, die unbedingt notwendige missio canonica nicht erteilt werden. Entsprechend der Bestimmung der I. Diözesansynode von Lavant 1883, pag. 53 et 54 (Gesta et statuta Synodi dioec. anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Pag. 201) wird nach erfolgter Ernennung der Nominierte das Iuramentum professionis fidei Tridentinae zu leisten haben, bevor ihm die kirchliche Mission erteilt wird. (Kirchl. Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1899. Num. IV. alin. 22. § 22. pag. 74).

nario ad hunc finem nominata. Quaestiones pro tentamine scripto exarandae a Nobis confirmatae involucro includantur, sigillo obsignentur coramque examinandis aperiantur et praelegantur.

5. Utrumque examen, cuius finis etiam est, ut candidatus idoneum se probet graves quaestiones in munere suo in scholis mediis vel paedagogiis obvias propriis viribus discutiendi et adminiculis litterariis utendi, instituatur, aliquo respectu habito ad quaestiones nostro tempore currentes nec non ad litteraturam patriam, ex omnibus disciplinis in scholis mediis vel paedagogiis pertractandis: e theologia apologetica, dogmatica et morali, ex historia ecclesiastica, ex historia revelationis divinae, e catechetica et liturgica, e paedagogica et methodica.

A candidato generaliter loquendo requiritur, ut in examine comprobet, se ad minimum materiam, quae in scholis mediis vel paedagogiis in institutione religiosa tractatur, nosse et exponere posse.

6. Lingua tentaminis ea est, quae in schola respectiva adhiberi solet. In quaestionibus per examen scripto solvendis nullis adminiculis praeter Scripturam sacram et decreta Concilii Tridentini et Vaticani uti licet.

7. Examine utroque peracto pro unoquoque concurrente conficitur testimonium signo reipublicae duarum coronarum notatum, exhibens non tantum nomen, cognomen, statum nec non locum, in quo examinatus gymnasium et studia theologica absolvit, ordinationis annum et munus, quo impraesentiarum fungitur, sed etiam singulas scripto et ore exaratas quaestiones, immo et approbationem, qua exprimitur, quod candidatus optime, bene seu sufficienter idoneus sit pro munere catechetico in schola media vel in paedagogio ad tempus vacante exercendo.

8. Nominatione a caes. reg. Ministerio pro cultu et institutione facta praeceptor religionis ab Ordinario loci pro isto munere catechetico, pro quo examini se subiecit quodque nunc accepit, omnino necessariam missionem canonicam sibi procuret. Hunc in finem tenetur in manus Ordinarii vel eius ad hoc delegati professionem fidei iuxta

formam post Pium IV. a Pio IX. praescriptam emittere nec non iusiurandum a Pio X. contra modernistarum errores in Motu proprio *Sacrorum Antistitum* iussum praestare.[1]

9. Sacrae theologiae Doctores, qui laurea doctoratus theologici in aliqua facultate theologica in Austria aut in universitate Gregoriana Romae sunt decorati, ad approbationem pro institutione religiosa in scholis supra dictis, si quod munus vacat, obtinendam nonnisi examini e disciplina catechetica, paedagogica, methodica et liturgica se subiicere obligantur.

10. Singuli in examine pro scholis mediis approbati sacerdotes in concursu parochiali a tentamine ex theologia dogmatica et morali nec non e catechetica eximuntur.

11. In dioecesi semper existat ab Ordinario ad tres vel ad sex annos denominandus vir ecclesiasticus, cuius inspectioni omnes praeceptores religionis subsint, qui in dioecesi Lavantina in scholis mediis et in paedagogiis religiosam tradunt disciplinam. Inspectoris est, quotannis sedulo peracta inspectione princ.-episc. Ordinariatui hac de re referre.

Quod ad commissionem attinet, cui concurrentes pro examine instituendo se sistere debent, volumus et ordinamus, ut illi praesit Praepositus capituli cathedralis vel eiusdem capituli Decanus, cui assistant Inspector religionis pro scholis mediis et paedagogiis designatus qua examinator necnon Canonicus theologalis.

Quum praecedens normale iam prelo traditum esset, ad princ.-episc. Ordinariatum a caes. reg. Consilio scholarum provinciae Styriae devenerunt litterae de die 11. Maii 1912 Nr. 3 $\frac{3957}{1}$ 1912, quibus adnexus erat prospectus ordinis examinandi circa institutionem religiosam in scholis mediis eisque aequalibus, quem archiepiscopalis Ordinariatus Vindobonensis mediante Consilio scholarum provinciae Austriae inferioris caes. reg. Ministro pro cultu et institutione transmisit.[2]

---

[1] Operationes et constit. Synodi dioec. Lav. anno 1911 congregatae. Marburgi, 1912. Pagg. 56–62. — [2] Im Anschlusse beehre ich mich dem hochwürdigen fürstbischöflichen Ordinariate eine Abschrift des vom fürsterzbischöf-

Consilium scholarum provinciae Styriae Nostro officio notum fecit, ordinem descriptum a caes. reg. Ministro pro

lichen Ordinariate in Wien im Wege des n. ö. Landesschulrates an den Herrn k. k. Minister für Kultus und Unterricht gelangten Entwurfes für eine Prüfungsordnung für die Kandidaten des Religionslehramtes an Mittelschulen und den diesen gleichgestellten Lehranstalten der Erzdiözese Wien mit dem Bemerken zu übermitteln, dass der Herr Minister diesen Entwurf in der vorliegenden Form zur Kenntnis genommen hat.

Da es im Interesse des Religionsunterrichtes an den Mittelschulen sehr wünschenswert ist, dass in allen österreichischen Diözesen eine möglichst gleichförmige Prüfungsvorschrift für die katholischen Religionslehrer erlassen werde, beehre ich mich das fürstbischöfliche Ordinariat im Sinne des Erlasses des Herrn k. k. Ministers für Kultus und Unterricht vom 1. Mai 1912 Z. 10.476 zu ersuchen, mir ehegefälligst eine Mitteilung darüber zukommen zu lassen, ob nicht auch seitens des hochwürdigsten fürstbischöflichen Ordinariates in Aussicht genommen werden könnte, diese oder wenigstens eine annähernd gleiche Prüfungsvorschrift für die Erlangung der Befähigung für den katholischen Religionsunterricht an den Mittelschulen und verwandten Lehranstalten zu erlassen.

Der Vorsitzende:

Clary m. p.

Prüfungsordnung

für die Kandidaten des Religionslehramtes an den Mittelschulen und den diesen gleichgestellten Lehranstalten der Erzdiözese Wien.

1. Das Ansuchen um Zulassung zur Prüfung kann erst nach dreijähriger Tätigkeit in der Seelsorge gestellt werden. Dasselbe ist in der Regel bei Beginn des Schuljahres bei dem fürsterzbischöflichen Ordinariate einzureichen und mit dem Maturitätszeugnis sowie dem Index, beziehungsweise den theologischen Studienzeugnissen zu belegen. Im Falle minder entsprechender Qualifikation kann vom fürsterzbischöflichen Ordinariate die Nichtzulassung zur Prüfung ausgesprochen werden.

2. In dem Gesuche um Zulassung zur Prüfung hat der Kandidat das theologische Hauptfach (allgemeine und spezielle Dogmatik, Moral, Kirchengeschichte) zu bezeichnen, aus welchem er eine Hausarbeit (Punkt 3) zu liefern bereit ist. Das aus diesem Fache durch den betreffenden Prüfungskommissär bestimmte Thema wird ihm gleichzeitig mit der Mitteilung der Zulassung zur Prüfung bekannt gegeben.

3. Über dieses Thema hat der Kandidat in der Frist von 4 Monaten, welche in besonders berücksichtigungswerten Fällen verlängert werden kann, eine schriftliche Arbeit in Mindestausmass von zwei Druckbogen zu verfassen, an deren Schlusse die dabei benützten Quellen und Behelfe gewissenhaft anzugeben sind. Ob von den Kandidaten bereits publizierte theologisch-wissenschaftliche Arbeiten als Ersatz für diese Hausarbeit gelten können, entscheidet die Prüfungskommission. Doktoren der Theologie sind auf Grund der von der theologischen Fakultät approbierten Dissertation von der Hausarbeit dispensiert.

4. Wird über Gutachten des betreffenden Prüfungskommissärs die Hausarbeit von der Prüfungskommission reprobiert, so kann der Kandidat zur weiteren Prüfung nicht zugelassen werden.

5. Im Falle der Approbation der Hausarbeit hat der Kandidat an einem vom fürsterzbischöflichen Ordinariate bestimmten Tage eine Klausurarbeit aus der allgemeinen Erziehungskunde oder der speziellen Methodik des Religionsunterrichtes ohne Benützung von Hilfsmitteln zu liefern, wofür ihm 4 Stunden zu gewähren sind, und sodann am folgenden Tage vor der vom fürsterzbischöflichen Ordinariate bestellten Prüfungskommission sich einer mündlichen Prü-

cultu et institutione agnitum esse, simulque interrogavit, an princ.-episc. Ordinariatus exoptandae uniformitatis causa hunc vel similem ordinem pro sua dioecesi statuere vellet.

Ad hanc quaestionem Ordinariatus respondit litteris die 22. Maii 1912 Num. 2501 datis, se normam in dioecesi Lavantina vigentem, quae in substantia congruit proposito examinandi ordini, completurum et in libro synodali, cui titulus »Operationes et constitutiones Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1911 congregatae« publici iuris facturum esse.[1]

---

fung zu unterziehen, die sich im Rahmen des durch den Lehrplan der Mittelschule festgelegten Unterrichtsstoffes auf allgemeine und spezielle Dogmatik, Moral und Kirchengeschichte unter Einbeziehung biblisch-archäologischer und liturgischer Fragen zu erstrecken hat. Hat der Kandidat eine vorzügliche Hausarbeit geliefert, so kann ihm über Antrag des Referenten die mündliche Prüfung aus dem betreffenden theologischen Hauptfache erlassen werden. Doktoren der Theologie haben sich nur der Klausurarbeit aus der allgemeinen Erziehungskunde oder der speziellen Methodik zu unterziehen. Als Prüfungstaxe ist der Betrag von 80 K, von Doktoren der Theologie der Betrag von 40 K zu entrichten.

6. Über die abgelegte Prüfung erhält der Kandidat ein vom fürsterzbischöflichen Ordinariate ausgestelltes Zeugnis, durch welches er als für das Religionslehramt an Mittelschulen in wissenschaftlicher Beziehung sehr gut, gut oder genügend befähigt erklärt wird.

7. Wird dem Kandidaten nach Ergebnis der Prüfung die Befähigung aberkannt, so kann er nach dem Ermessen der Prüfungskommission nach Ablauf eines Jahres zu einer einmaligen Wiederholung derselben zugelassen werden.

8. Ist der Kandidat als befähigt zur Erteilung des Religionsunterrichtes erklärt worden, so hat derselbe regelmässig im zweiten Semester des Schuljahres an einer im Einvernehmen mit dem k. k. n. ö. Landesschulrate zu bezeichnenden Mittelschule mindestens durch 2 Stunden wöchentlich dem Religionsunterrichte vorwiegend auf der Oberstufe beizuwohnen, um durch unmittelbare Anschauung, durch zeitweilige an die Unterrichtsstunde sich anlehnende didaktisch-methodische Besprechungen mit dem betreffenden Religionslehrer, sowie durch einzelne gegen Schluss des Semesters vorzunehmende Lehrversuche in die Schulpraxis eingeführt zu werden.

9. Hat der Kandidat nach abgelegter Prüfung bereits durch mindestens ein Semester als provisorischer Religionslehrer in befriedigender Weise Unterricht erteilt, so kann er von der Pflicht des Hospitierens dispensiert werden.

[1] Mit Bezugnahme auf die sehr geschätzte Zuschrift vom 11. Mai 1912 Z. 3 $\frac{3957}{1}$ 1912 beehrt sich das F. B. Ordinariat dem hochlöblichen k. k. Landesschulrate Nachstehendes diensthöflich mitzuteilen.

Das F. B. Ordinariat erliess unterm 23. Mai 1894 Z. 1313 ein eigenes Normale, betreffend die Konkursprüfung für die Religionslehrer an Mittelschulen. Dieses Normale wurde im Kirchlichen Verordnungs-Blatte für die Lavanter Diözese 1899. Nr. IV. Abs. 22 republiziert.

Die im vorerwähnten Normale enthaltenen Prüfungsvorschriften wurden entsprechend vervollständigt und werden als alle Diözesanpriester bindende Kon-

Confidis, teipsum esse ducem coecorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiae et veritatis in lege. Qui ergo alium doces, teipsum non doces. (Rom. 2, 19—21).

stitution in dem gegenwärtig noch unter der Presse befindlichen Buche über die im Jahre 1911 abgehaltene Diözesansynode verlautbart werden.

Diese Bestimmungen enthalten nachstehende Punkte, die auszugsweise dem hochlöblichen k. k. Landesschulrate hiemit diensthöflich zur Kenntnis gebracht werden.

1. Die anher gelangte Konkursausschreibung für jede einzelne an einer Mittelschule vakant gewordene Religionslehrerstelle wird durch ein Zirkulare bezw. durch das Kirchliche Verordnungs-Blatt den Seelsorgepriestern kundgemacht, wobei Tag, Stunde, Ort und Gegenstand der Konkursprüfung angegeben werden.

2. Im Gesuche um Zulassung zur Konkursprüfung hat der Kandidat nachzuweisen, dass er das Gymnasium mit Matura, die theologischen Studien mit gutem Erfolg absolviert und mindestens drei Jahre in der Seelsorge gewirkt hat.

3. Das Gesuch ist im Wege des F. B. Dekanalamtes beim F. B. Ordinariate einzubringen.

4. Die Kompetenten haben sich einer schriftlichen und einer mündlichen Prüfung zu unterziehen.

5. Die Prüfung hat sich auf alle an der betreffenden Mittelschule vorzutragenden Disziplinen sowie auf die Katechetik, Pädagogik und Methodik zu erstrecken.

6. Die Prüfungssprache ist die an der betreffenden Anstalt übliche Vortragssprache. Bei der schriftlichen Klausurarbeit darf sich der Examinand der heiligen Schrift, des Tridentinischen und Vatikanischen Konzils als Behelfe bedienen.

7. Über die schriftlich und mündlich abgelegte Prüfung erhält der Kandidat ein vom F. B. Ordinariate ausgestelltes, mit einem 2 K Stempel versehenes Zeugnis, durch welches er als für das Religionslehramt an Mittelschulen in wissenschaftlicher Beziehung sehr gut, gut oder genügend befähigt erklärt wird.

8. Der neuernannte Religionslehrer hat sich für die Stelle, für die er sich der Konkursprüfung unterzogen und die er erlangt hat, vom Ordinarius loci die missio canonica zu erwirken.

9. Die Doktoren der Theologie haben sich nur der Prüfung aus der Katechetik, Pädagogik, Methodik und Liturgik zu unterziehen.

10. Die Priester, die bei dieser Prüfung approbiert wurden, können bei der Pfarrkonkursprüfung vom Examen aus der Dogmatik, Moral und Katechetik dispensiert werden.

11. Für die Diözese ist auf 3 oder 6 Jahre vom F. B. Ordinariate ein Religionsinspektor zu bestellen, der alljährlich die Mittelschulen und Pädagogien zu inspizieren und hierüber an das F. B. Ordinariat zu berichten hat.

12. Die Prüfungskommission für die mehrerwähnte Konkursprüfung besteht aus dem jeweiligen Dompropste bezw. Domdechante des Lavanter Kathedralkapitels als Praeses, dem Religionsinspektor als Examinator und dem Canonicus theologalis.

Der hochlöbliche k. k. Landesschulrat möge aus diesen Bestimmungen gefälligst entnehmen, dass dieselben annähernd dem in Abschrift anher gelangten Entwurfe einer Prüfungsvorschrift für die Erlangung der Befähigung für den katholischen Religionsunterricht an den Mittelschulen und verwandten Lehranstalten entsprechen, und dass daher von der Erlassung einer neuen Prüfungsvorschrift dermalen abzusehen wäre. —

Caput CLXXI.

De pictura et sculptura religiosa.

Christiani iam a primis saeculis Christum et apostolos imaginibus repraesentabant. Notum est, mulierem haemorrhoissam Salvatori aeneam statuam Caesareae Philippi posuisse et apostolorum figuras in romanis catacumbis iam ipso persecutionis tempore pictas exstitisse et exsistere. Oratoria quoque et ecclesias sub divo positas et tempore Diocletiani imperatoris aedificatas sacris picturis ornatas fuisse e Concilio Illiberitano anno 300 habito concludi potest.

Tempore autem pacis religiosae non solum aedes sacrae, sed et ipsa imperatoris palatia et publica fora christianis imaginibus et statuis referta erant. Immo pii homines etiam vestes historiis e vita Iesu Christi petitis ornatas gestabant.[1] S. Cyrillus Alexandrinus sacrarum imaginum finem excellenter exposuit, dicendo: »Etiamsi facimus imagines piorum hominum, non tamen ut eas adoremus tamquam deos, sed ut iis inspectis ad ipsorum aemulationem impellamur; ideo autem Christi imaginem facimus, ut mens nostra ad illius amorem excitetur.«[2] Et s. Gregorius Magnus, cuidam Iesu Christi imaginem mittens, »Scio, quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis«, scripsit, »ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in eius amore recalescas.«[3]

Ad instruendas pii populi mentes imagines etiam medio aevo in ecclesiis adhibebantur. Tempore gothici styli in cathedralium portis et in pictis fenestrarum vitris historiam mundi post creationem, dogmata religionis, exempla sanctorum, hierarchiam virtutum et scientiarum varietatem cernere poteras. Rudes et simplices hoc modo oculorum ope altius menti imprimere poterant, quod corde iam sciebant.[4]

[1] Migne, Patrologia graeca. Vol. 40. col. 165—167. — [2] Migne, Patr. graeca. Vol. 69. col. 1268. — [3] Migne, Patr. latina. Vol. 77. col. 1027. — [4] Émile Mâle, L'art religieux du XIIIe siècle en France. Étude sur l'iconographie du moyen âge et sur ses sources d'inspiration. Paris, 1910. Pagg. 486.

Quum autem paulatim variae historiae et legendae introducerentur, quae minus rationabilem pietatem nec sanum sensum praeseferebant, Concilium Tridentinum omnem abusum sapienter reprimendo et pro insolitis imaginibus Episcoporum indultum postulando contra novatores, christianae artis adversarios, quibus ducibus pulcherrima altaria, picturae et organa in Saxonia, Helvetia, Belgio et Gallia meridionali destructa sunt, magnum valorem sacrarum imaginum pro religiosa instructione sanxit. »Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum et ad pietatem colendam.«[1]

Quum quarta Synodus Lavantina anno 1903 celebrata iam profuse de iuris canonici dispositionibus et sacrae liturgiae praescriptis circa pias imagines egerit[2] et inferius vigentes leges quoad conservationem veterum monumentorum enumeraturi simus, restat, ut constituamus, quid ex parte artis requiratur, quando novae imagines vel statuae comparandae sint.

Praeprimis necesse est, ut e solida materia factae et artificiose elaboratae sint, non industriae sicut dicitur modernae artefacta, sed peritorum sculptorum ac pictorum propria opera. Tales etiam diutius durabunt nec mox reparatione indigebunt, insuper valor earum intrinsecus vel artisticus tempore progrediente augebitur. Dolendum est, quod haud raro statuae e longinquis terris emantur et quidem ab artificibus, qui ignorant locum, ubi sua opera in eccle-

[1] Concilii Tridentini sessio XXV. De invocatione sanctorum. (Ratisbonae, 1888. Pag. 163). — [2] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno Domini 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pagg. 567—573.

sia a se numquam visitata statuenda sint, unde lux incidat, quales aliae statuae et imagines ibi exsistant, ut necessaria harmonia servari possit. Potius deligantur in nostra dioecesi viventes artifices, si capaces sunt, prae alienis; nostrates adiuvandi prae viris e regionibus, quibus praeter simplicioris artis opera vix ullum aliud commercium cum nostris terris est.

Verus artifex non solum vitam externam in figuris exprimet faciesque ad vivum effinget, sed praeprimis spiritum internum et ad pietatem conducentem efformare studebit. Sedulo devitet, ne facies Iesu Christi vel beatissimae virginis Mariae speciem externam alicuius nunc viventis hominis praeseferat, sed potius traditionis venerabilis tramitem in depingendis sacris vultibus sequatur. Statua vel pictura, quae non sit capax animum ad meliora et altiora incitandi, mala est. Ergo paucae et bonae imagines potius emantur quam multae et quoad artis perfectionem insufficientes vel ineptae. Desiderandum est etiam, ut artifex homo religiosus et pius sit, alioquin quomodo dabit, quod non habet, quomodo virtutem et sanctitatem exprimet, de quibus ipse non curat, quomodo sacras personas reverenter proponet, si ipse venerationem erga eas non sentit?

Si aliqua ecclesia penicillis et coloribus exornanda erit, saepius, praesertim si de paupere et rustica agitur, sufficiet, ut bene delectis ornamentis ornetur, quia veri et in figuris delineandis versati artifices hodiedum rari et non semper modesto pretio contenti sunt. Si autem imagines in ecclesiae parietibus praeferuntur, tunc quoddam programma conficiendum, ut inter eas certus ordo nexusque necessarius intercedat.

Tempore ss. Patrum figurae et historiae veteris et novi Testamenti in oppositis ecclesiarum parietibus collocabantur, ita ut intime quoad sensum cohaererent. Tempore medii aevi picturae cyclice secundum periodos ante legem, sub lege et sub gratia disponebantur, aliquoties etiam librum quendam Scripturae sacrae (exempli gratia prophetae Ezechielis) illustrandum suscipiebant. Saeculis XVII. et XVIII. cum sacris imaginibus etiam varia

emblemata et proverbia vel loci biblici coniungebantur uti in ecclesia beatissimae virginis Mariae in Ruše vel in ecclesia archiparochiali Tyberii videri licet, ubi sinistra lateralis capella picturis et emblematibus sacratissimum cor Iesu repraesentantibus referta est, dextera autem imaginibus cultum sanctissimi Sacramenti exprimentibus. Parochus ergo historias et figuras pingendas pictoribus indicabit, et si minus in arte ecclesiastica peritus est, consilium ab aliis expetat.

Quoad modum sacras historias repraesentandi hodie nonnulli artifices medii aevi schemata relinquentes localem characterem Terrae Sanctae, vultus, vestes moresque orientalium hominum exprimere student.[1] Quam libertatem eis sumere nolumus, sed desideramus, ut quodvis opus pro ecclesiis destinatum consentiat cum sana pietate, bono gustu, nec nimis sapiat novitatem, ita ut a populo christiano reverentiam et amorem excipere possit. Idem valet quoad stylum id est modum vestes componendi, colores deligendi, corporis et animi motus exprimendi. Nihil differt, utrum sacrae figurae stylis historicis vel formis modernis conficiantur, dummodo sint decentes, pulchrae, doctrinae ecclesiasticae consentaneae et animum ad pietatem moventes.

Si de imaginibus sanctorum agitur, quorum externam complexionem et vultus aspectum novimus (ex. gr. s. Caroli Borromaei, s. Aloysii, s. Francisci Salesii, s. Clementis Mariae Hofbauer), vesanum foret spreta historica imagine quemlibet vultum e phantasia fictum sub specie illius sancti proponere.

Commendantur etiam imagines talium sanctorum et venerabilium, qui plena luce historica circumfusi vixerunt et propter vitam melius notam nostris historiae criticae

[1] Stephanus Beissel S. J., Moderne Kunst in der Kirche. (Stimmen aus Maria Laach. 1908. Pagg. 19–29 et 139–150). — Idem, Traditionelle oder moderne Gestaltung der Offenbarungstatsachen. (Kirchenschmuck. Graz, 1904. Pagg. 88–94). — Franz Schmid-Breitenbach, Der Stil in der modernen Malerei. (Christliche Kunst. Monatsschrift für alle Gebiete der christlichen Kunst, der Kunstwissenschaft, sowie für das gesamte Kunstleben. München, 1904/5. Pagg. 155–163). — Alexander Heilmeyer, Moderne religiöse Plastik. (Idem folium 1905/6. Pagg. 1–12 et 33–44).

addictis temporibus cum uberiore fructu in exemplum proferri possunt.

Denique parochus curabit, ut omnes figuras in ecclesiis suae parochiae collocatas probe noscat vitasque depictorum sanctorum frequentius gregi fideli concionando exponat. Quanti momenti sancta sanctorum exempla sint, e conversione s. Ignatii a Loyola abunde elucet. Generatim parochus artem christianam maximi momenti existimabit, quia est filia sanctuarii, unde initium sumpsit, est coadiutrix in pastoratione fidelium, quorum institutioni inservit, est revelatio perfectionis Dei, cuius pulchritudinem resplendet.

»Parochus, Tridentini Concilii decretum secutus«, habet Catechismus Romanus, »populum docebit imagines factas ad utriusque Testamenti cognoscendam historiam atque eius memoriam identidem renovandam, qua rerum divinarum memoria excitati ad colendum atque amandum ipsum Deum vehementius inflammemur. Sanctorum quoque imagines in templis positas demonstrabit, ut et colantur et exemplo moniti ad eorum vitam ac mores nos ipsos conformemus«.[1]

Cupimus autem unumquemque vestrum eandem ostendere sollicitudinem ad expletionem spei in fidem, ut non segnes efficiamini, *verum imitatores eorum, qui fide et patientia hereditabunt promissiones.* (Hebr. 6, 11. 12).

Caput CLXXII.

De monumentorum ecclesiasticorum cura cultuque.

A bono parocho non solum requiritur, ut sit fidelis pastor gregis sibi commissi et sanctus sacerdos divinarumque gratiarum dispensator et dux fidelium in vita spirituali, sed hodierni temporis necessitas alia quoque ab eo expostulat, praeprimis ut quaestioni sociali sol-

[1] Catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad parochos Pii V. et Clementis XIII. Pont. Max. iussu editus. Ratisbonae, 1865. Pag. 278.

vendae adlaboret, deinde ut in rebus politicis religionem magistram et ducem populo prae oculis ponat, denique ut etiam curam monumentorum ecclesiasticorum in parochia sibi demandata sollerter agat. Rationem obligationemque huius cultus hic breviter proponimus.

Quid est cura monumentorum ecclesiasticorum?

Cura monumentorum est studium conservandi vetera opera cuiusvis artis.[1] Ad obligationem conservationis sufficit aetas unius generationis vel duarum generationum, ergo triginta usque sexaginta annorum.[2]

Cura ecclesiasticorum monumentorum occupatur praeprimis circa monumenta cultui divino dedicata, nempe

---

[1] De hac materia consuli possunt libri: Dr. Robert Bruck, Die Denkmalpflege im Königreiche Sachsen. Dresden, 1910. Pagg. 115. — Dr. Joseph Alexander Fhr. v. Helfert, Denkmalpflege. Öffentliche Obsorge für Gegenstände der Kunst und des Altertums nach dem neuesten Stande der Gesetzgebung in den verschiedenen Culturstaaten. Wien und Leipzig, 1897. Pagg. XII + 202. — Dr. P. Albert Kuhn O. S. B., Moderne Kunst- und Stilfragen. Einsiedeln, 1909. Pagg. 90. — Alois Riegl, Mitglied der Zentral-Kommission, Der moderne Denkmalkultus, sein Wesen und seine Entstehung. Wien, 1903. Pagg. 65. — Dr. Wolfgang Maria Schmid, Anleitung zur Denkmalpflege im Königreich Bayern. München, 1897. Pagg. 87. — Dr. Ignaz Zibermayr, Kirchliche Denkmalpflege. Vortrag, gehalten bei der General-Versammlung des Diöcesan-Kunstvereines in Linz am 8. November 1906. Beilage in „Christliche Kunstblätter" 1907. Nr. 5. Linz, 1907. Pagg. 8.

Commendatur porro liber: Denkmalpflege. Auszug aus den stenographischen Berichten des Tages für Denkmalpflege in Dresden 1900, Freiburg im Br. 1901, Düsseldorf 1902, Erfurt 1903, Mainz 1904, Bamberg 1905, Braunschweig 1906, Mannheim 1907, Lübeck 1908 und Trier 1909. Im Auftrage des geschäftsführenden Ausschusses herausgegeben von A. von Oechelhaeuser. 1. Band. Vorbildungs- und Stilfragen, Gesetzgebung, Staatliche und Kommunale Denkmalpflege. Leipzig, 1910. Pagg. 498. — Insuper quaedam periodicae publicationes memoria dignae sunt, quia varias elucubrationes hac de materia conscriptas suppeditant. Nomina praecipuarum sunt: Christliche Kunstblätter, Linz, 1859 seqq. — Mitteilungen der k. k. Zentral-Kommission für Erforschung und Erhaltung der Kunst- und historischen Denkmale. Wien, 1856 seqq. — Kunstgeschichtliches Jahrbuch der k. k. Zentral-Kommission, Beiblatt für Denkmalpflege. Wien, 1908 seqq. — Kunsthistorische Studien. Im Auftrage des Christlichen Kunstvereines der Diözese Seckau herausgegeben von Dr. Johann Ranftl. Graz, 1908. — Stimmen aus Maria Laach. Katholische Blätter. Freiburg im Br. 1901, 1903 et 1911.

[2] Lege hassica praescribuntur triginta, lege borussica quadraginta, lege italica quinquaginta et prima adumbratione legis austriacae sexaginta anni. (Mitteilungen der k. k. Zentral-Kommission, 1909. Pag. 49). Novissima eiusdem legis scheda nihil de aetate definitur et quaevis vetera opera status tutelae subiiciuntur. (Ein Denkmalschutzgesetz für Österreich. Erläuterungen von Karl Holey. Wien, 1911. Pagg. 56).

aedificia ecclesiastica sacramque supellectilem, circa statuas et picturas in parietibus, ligneis tabulis et linteis factas, circa paramenta et quaevis vetera utensilia in ecclesiis constituta. Finis huius curae est, talia opera quoad artem, historicum valorem vel solummodo aetate sua eminentia tamdiu servare, quamdiu possibile, ne hi pretiosissimi testes artis veteris vel indolis religiosae pessumeant.

De historica evolutione curae monumentorum.

Eximia artis historiaeque monumenta semper speciali aestimatione diligentique cura digna habebantur. Iam reges aegyptii periodi sahiticae antiqua templa fideliter restaurabant et reges Assyriorum moenia urbium sacraque aedificia propter vetustatem collabentia saepius renovari curabant.[1] Notum est etiam Graecos Olympiae columnas Heraei e ligno confectas processu temporis et necessitatis in alias e marmore fabricatas commutasse. Praeclarum est, quod Romani Pontifices gesserunt, ut catacumbas ecclesiasque urbis Romae prolatione temporis labentes reficerent. S. Damasus, Gregorius IV., Eugenius IV. plurimique alii de renovandis sacris aedificiis optime meruerunt. Reviviscentibus studiis classicae antiquitatis iidem Pontifices leges dederunt, ne inscriptiones, statuae vel aedificia antiqua propter avaritiam vel ignorantiam pessumeant, et Leo X. praestantissimis litteris, die 27. Augusti anni 1516 publici iuris factis, celebratissimum Raffaelem de Santi inspectorem omnium antiquitatum nominavit.

Primitivae leges de custodiendis monumentis mere practicam eorum utilitatem et pro rei publicae aerario valorem respiciebant, donec saeculo XIX. tempore romanticismi causae ideales hac in re invaluere. A trigesimo circiter illius saeculi anno usque ad finem saeculi invaluit principium monumenta vetera in unico romanico vel

[1] Rex Salmanassar II. moenia urbis Assur a rege Tuculti-Ninib aedificata restituit et tegulis conscripta documenta subter ea contexit. (Mitteilungen der Deutschen Orientgesellschaft. Berlin, März 1908. pag. 26 et November 1910. pag. 26).

gothico stylo restaurandi. Veteres ecclesias aliaque historica aedificia, quae a tempore suae fundationis varia incrementa, mutationes et diversorum stylorum ornamenta nacta sunt, architectae in illam formam et stylum, quem tempore fundationis monstrabant, restituere conati sunt. Imprimis cathedrales in Gallia septentrionali hoc modo ab omnibus posterioribus altaribus, confessionalibus aliisque utensilibus purificatae sunt, quod architectae in Bavaria sub Ludovico I. et apud nos in variis civitatibus imitati sunt.

Sub finem saeculi XIX. effloruit principium monumenta vetusta mere conservandi, ita ut aedificia, quae variis temporibus e diversis structuris coaluerint, intacta in suo statu permaneant et solummodo a progrediente destructione custodiantur. Fautores stylisticae restaurationis et propugnatores merae conservationis anno 1900 Dresdae in concilio pro cura monumentorum convocato acriter colluctabantur. Architecta Tornow, qui Mettensem cathedralem quam optime secundum usque tunc vigentia principia restauraverat et partibus recentioribus deletis omnia in stylo gothico renovaverat, in arenam descendit cum professore Cornelio Gurlitt, qui principium merae conservationis propugnavit et cuius sententia progressu temporis victrix evasit. Paulo post, anno 1903, Vindobonensis professor Aloysius Riegl, vir sagacissimus et tunc ad austriaca monumenta protegenda vocatus, novam philosophicam theoriam de monumentorum cura proposuit, qua non solum vera artis historiaeque monumenta per rem publicam custodienda essent, sed omnia vetera opera, si certas antiquitatis notas, praesertim ingruentis proprii interitus exhibent, specialiter invigilanda. Insuper omnem redintegrationem in statum priorem dissuasit et maximum valorem in iis operibus reperit, quae vetustatis vel sui dilapsus notas praeseferant. Propterea picturae in muro humido factae et in ecclesiis sub caemento nuperrime detectae in suo lacerato statu in ecclesiis retinendae essent, etiamsi oculos pii populi offenderent.

Eodem anno, quo Riegl, etiam Carolus Buls, Bruxellensis civitatis praefectus, dissertationem de priscis monu-

mentis restaurandis publicavit sapienterque distinxit, inter opera, humano usui adhuc inservientia, propterea viva vocata, et opera emortua. Prima licebit liberalius restaurare et meliorem in statum reducere, secunda autem sine ullo conservandi conatu in publica musea transferre iuvabit. Haec distinctio etiam secundum novissimum exemplar legis austriacae proponitur et secundum § 5 apud Episcopos erit, ut diiudicent, utrum aliquod monumentum inter viva deputandum cultuque digne restaurandum sit.

Ita decurrente saeculo XIX. vox monumentum varios sensus sortita est. Praeprimis significabat proprie dicta monumenta, clarissimis viris honoris causa posita, postea veteris artis obiecta, pulchra forma conspicua, denique omnia humana opera, notas antiquitatis praeseferentia. Ultimis annis etiam de naturae monumentis sermocinamur i. e. de raris arboribus, eximiis rupibus, pulchris regionibus, quae in aliquibus statibus (e. g. Borussia, Saxonia) specialibus legibus latis proteguntur.

Cum monumentorum cura intime cohaeret tuitio patriae (Heimatschutz). Omnibus notum est, turres ecclesiasticas in Styria superiore a turribus apud nos usitatis saepissime dissimiles esse, eo amplius a campanilibus ditionis Venetorum. Si quis ergo Venetiis aedificia secundum modum styriacum construeret, aspectum harmonicum patriae regionis turbaret. Propterea, ne character localis ex falso gustu deformaretur, originem duxit studium societasque patriae tuendae. In Bavaria et Saxonia cuilibet, qui aliquod aedificium exstruere vult, socii harum societatum consilio et opere gratis adsunt, ut structura iuxta patriae stylum usumque concipiatur et ad finem perducatur. A guberniis tales societates partim auctoritatem partim et subsidium in nummis sortiuntur. Idem dicendum de societate, quae paucis ab annis Graecii floret.

De principiis quoad curam monumentorum nunc vigentibus.

Praeprimis distinguendum est inter artis obiecta, quae quotidiano usui haud obnoxia solummodo sollerter

custodienda sunt nec restauranda erunt, et ea, quae adhuc cultui divino inserviunt, quae non solum servanda, sed in dignum quoque statum revocanda erunt.

Difficillima quaestio oritur, si veteres ecclesiae propter auctum numerum fidelium ampliandae sunt, praesertim si de stylo adiungendarum partium agitur. Nec res generatim solvi potest, sed semper in quovis casu speciatim, respectu habito ad obiectum illud eiusque viciniam.

Ante viginti annos in sacris aedificationibus et utensilibus primatum obtinebant stylus gothicus, romanicus et renascentis periodi. Altaria posteriorum saeculorum (XVII. et XVIII.) tunc aut in stylum gothicum mutabantur aut ex ecclesiis eiiciebantur, haud respiciendo ad eorum artisticum valorem. Viguit principium unitatis styli. Architectae sic in formis veterum stylorum versati erant, ut eos apprime imitari possent, immo quilibet faber lignarius tali scientia ex libris variisque artis publicationibus hausta polleret. A pristina insufficienti stylorum imitatione venimus ad summam eorum puritatem ac fidelem imitationem.

Hodiedum quilibet stylus admittitur, cum quilibet tamquam necessaria historicae artis evolutio censeatur. Nullum opus baroccum destrui licet solummodo propterea, quod sit baroccum.

In ampliandis veteribus monumentis novisque aedificiis in dies frequentius stylus modernus adhibetur paulatimque deerunt artifices in formis stylorum historicorum adhibendis sufficienter versati, quum in academiis scholisque industrialibus praeprimis foveatur stylus modernus.

Insuper modernus architecta relate ad historica monumenta abhorret a styli unitate, sed omnes reliquias et vestigia veterum temporum servando monumentorum historicam evolutionem e stylorum servatis notis quibuscumque patere vult. In ampliandis ergo ecclesiis non tam de stylo quam de harmonica connexione adiungendarum partium cum antiquis curandum, praesertim autem studendum, ut intus spatium sufficiens, amplum et continuum fidelibus occasionem ad altare maius et sacrum suggestum videndi caeremoniasque propriis oculis sequendi praebeat.

Iam nomen ecclesiae evincit, eam ad populi convocationem vel congregationem creatam esse, qui finis ergo cuilibet architectae vel parocho cordi esse debet. Exterior facies ecclesiarum minoris momenti est et saepius, si desint vires vel locus aptus, secundum veterum basilicarum exempla simplicior esse poterit.

Curam monumentorum ubique in Europa res publica sibi arrogavit exercetque. Etiam Summi Pontifices tamquam principes status ecclesiastici severissimas leges (legem Doria-Pamphili anno 1802 et legem Pacca anno 1820) de non immutandis, non vendendis, nec oppignorandis artis obiectis tulerunt.[1] Apud nos in Austria anno 1850

[1] Ad rem nostram spectant litterae, quas Eminentissimus Dominus Raph. Cardinalis Merry del Val, Suae Sanctitatis Status Secretarius, ad Archiepiscopos et Episcopos Italiae de documentorum et monumentorum custodia die 12. Decembris 1907 direxit:

Ill.mo e R.mo Signore!

L'urgente necessità di assicurare e regolare la conservazione degli archivi, dei monumenti ed oggetti d'arte, custoditi dal clero, ha suggerito al Santo Padre di richiamare su questa importante materia la particolare attenzione e sollecitudine del Reverendissimo Episcopato italiano.

Adempio pertanto l'incarico affidatomi da Sua Santità, notificando a V. S. le seguenti pontificie disposizioni e raccomandazioni.

1. In ogni Diocesi verrà costituito dall'Ordinario un permanente *Commissariato diocesano pei documenti e monumenti custoditi dal clero,* con lo scopo preciso di assicurare e migliorare la conservazione delle cose sovraccennate, tanto nel senso che non vengano alienate, quanto in quello che siano custodite in buone condizioni.

2. Prima cura del Commissariato sarà di redigere un semplice ma esatto Catalogo, tanto dei documenti conservati negli archivi ecclesiastici della diocesi, quanto dei monumenti ed oggetti artistici, custoditi dal clero diocesano. L'uno e l'altro catalogo sarà redatto dal rispettivo Commissariato per ogni ente ecclesiastico (Capitolo, Parrocchia ecc.) e per ogni luogo pubblico destinato al culto. Una copia di tale catalogo verrà conservata nell'archivio locale (capitolare, parocchiale ecc.) ed un'altra presso il Commissariato stesso, in codesta Curia.

3. Qualsiasi cambiamento da farsi nello stato della cosa catalogata, per il quale cambiamento il catalogo verrebbe ad essere inesatto nel punto rispettivo, — sarà puntualmente notificato, avanti di essere eseguito, da chi dia ragione (Capitolo, Parroco ecc.) al rispettivo Commissariato che dovrà registrare tale cambiamento, salvo di fare eventuali osservazioni, le quali dovranno essere tenute nel debito conto.

4. Continua cura del Commissariato sarà d'invigilare che l'anzidetta conservazione venga scrupolosamente assicurata da parte del clero cui spetta. Constatando qualche deficienza, ne avvertirà subito il responsabile; ed, al bisogno, presenterà un motivato ricorso all'Ordinario, che non mancherà d'informarsi e di provvedere quanto prima. — D'altra parte, l'Ordinario non mancherà in occasione della Sacra Visita di verificare lo stato delle cose alle quali si riferisce la presente circolare, avvertendone a sua volta il Commissariato per le opportune disposizioni.

commissio centralis de monumentis artis et historiae investigandis ac conservandis instituta est et praecipue ultimis decenniis quam maximam monumentis curam impendit. Insuper lex specialis de hac re praeparatur et in domo procerum iam proposita, sed nondum absoluta est.

Regimen status civilis circa ecclesiastica monumenta varias difficultates parit. Iuxta ius canonicum Ecclesia libere de suis bonis disponere potest nec inspectioni rei publicae subiacet. Apud nos autem omnia ecclesiastica bona a gubernio invigilantur, ne dilapidentur. Inter haec etiam artis monumenta numerantur ideoque fori mixti censentur. Ecclesia libere de iis disponit, sed res publica ea tuetur, ne quid detrimenti capiant. Certo variae difficultates inter exigentias cultus et dictamen civilis potestatis exoriri possunt, sed bona voluntate ex utrimque explanari poterunt, praesertim si (nova lege ferenda) finis divini

---

5. Il Commissariato diocesano sarà composto almeno di un Commissario per i documenti, e di uno pei monumenti. Sarà pertanto cura sollecita della S. V. di devenire a tale nomina; ed altresì potendolo, di aggiungere all'uno e all'altro una Commissione di competenti ecclesiastici e laici per coadiuvarne l'opera.

6. Il Rev.mo Ordinario non lascerà occasione di dare pratiche indicazioni e di fare opportune raccomandazioni al clero custode come sopra, perchè questo possa meglio adempiere il suo còmpito. Da parte sua il Commissariato si darà premura di raccomandare la diffusione di opportuni manuali, come anche di sunti di brevi norme pratiche per lo stesso scopo. — Inoltre, considerati i frequenti e spesso subdoli tentativi di acquisti, cambi ecc. da parte di traffi-canti, l'Ordinario terrà rigidamente ferme le vigenti disposizioni canoniche contro le alienazioni, permute ecc., nonchè al proprio diritto e dovere di rico-gnizione e di consenso per ogni atto straordinario di simile amministrazione.

Tali sono le disposizioni che il Santo Padre affida allo zelo del Rev.mo Episcopato italiano, come linee fondamentali per provvedere sempre più ade-quatamente al grave ed onorevolissimo còmpito del clero, riguardo alla custodia dei tesori di storia e di arte. Sua Santità è sicura, che queste linee saranno non solo prontamente e pienamente applicate, ma che verranno altresì a con-durre continue migliorie, ad onore e tutela delle gloriose tradizioni della Chiesa.

Colgo intanto con piacere l'occasione di raffermarmi con sensi della più distinta stima

Di S. V. Ill.ma e R.ma

Roma, 12. dicembre 1907.

Aff.mo per servirla

Card. Merry del Val.

(Translatio in linguam theodiscam reperitur in folio periodico: Mitteilungen der k. k. Zentral-Kommission für Erforschung und Erhaltung der Kunst- und historischen Denkmale. Wien, Mai 1908. Nr. 5. Spalte 129—131. Band VII).

cultus praeponetur cultui merae artis et si in quaestione, utrum aliquod obiectum cultu dignum vel restaurandum sit, Ordinariatus sententia tamquam suprema lex habebitur.

Animarum curatis valde proderit quaedam specialia conservationis et custodiae monumentorum principia scire.

Quoad aedificia imprimis saltem semel in anno inspiciendum est tectum, ut bene nives et imbres arceat. Deinde a muris depellenda humiditas,[1] parietes exterius saepius dealbandi, nisi ex sectis lapidibus consistant. Si necesse erit, tunc tales lapides liquore Kessleri (Kessler's Fluat) imbuantur. Fenestrae valvaeque semper in bono statu serventur. In ecclesiis styli barocco fenestrae variis figuris vel ornamentis pictae minus conveniunt nec a magistratibus rei publicae admittuntur. Picturas in muro humido factas (al fresco) non licet coloribus novis restaurare nec, si deformes videntur, calce exstinguere; similiter vetitum est, ne imagines oleo in telis depictae novo oleo obducantur aut repingantur. Utensilia e ligno confecta (altaria, fontes baptismales, sacri suggestus) saepius detergenda sunt et, si necessitas urget, in partibus laceris (non autem totaliter) inauranda vel pingenda. Res e metallo fusae non sunt inaurandae, si iam patinam monstrent, quia tunc earum valor materialis (commercialis) minueretur. Campanae veteres non sunt in novas transfundendae, sed, si fractae sunt, reparandae. Etiam viciniam ecclesiarum lex tuebitur: Non licebit eam sine consensu auctoritatis publi-

[1] Commissio centralis „K. k. Zentral-Kommission für Denkmalpflege" die 12. Iunii 1912 Num. 2942 sequentem notam misit ad princ.-episc. Ordinariatum, operam suam offerendo ad exsiccandas ecclesias: „Mit Rücksicht darauf, dass die in den Kirchen älteren Datums befindlichen Kunstschätze, wie Bilder, Schnitzereien u. dgl. durch den Einfluss der herrschenden Feuchtigkeit der Deteriorierung ausgesetzt sind, wird dringend empfohlen, auf die unterstehende Geistlichkeit in geeignet erscheinender Weise einzuwirken, dass der Entfeuchtung von Kirchen ein stetes und besonderes Augenmerk zugewendet werde. In den meisten Fällen wird die wenig kostspielige Anlage von äusseren Luftschächten oder die zweckentsprechende Anbringung von Dachrinnen genügen, welche Massnahmen nicht nur wärmstens empfohlen, sondern auch dringend angeraten werden.

Die Zentralkommission steht in jedem konkreten Falle gerne mit ihrem fachmännischen Rate zur Verfügung und ist auch stets bereit beim Abgange der erforderlichen Mittel für derlei Arbeiten Subventionen aus ihren Krediten zu bewilligen oder beim k. k. Ministerium für Kultus und Unterricht in Antrag zu bringen. Der Präsident: Franz Liechtenstein."

cae immutare nec nova aedificia sine respectu ad vicinas domus vel ecclesiam prope stantem exstruere.

Lex dioecesana de conservatione monumentorum.

Praelaudata principia, quatenus cum decore sacri cultus conspirant, in nostra quoque dioecesi observanda volumus. Speciali *artis invigilandae commissioni*, in Synodo Lavantina anno 1903 coadunata institutae, adiungemus *commissionem de conservandis antiquae artis monumentis.* Cuius officium erit invigilandi, ut veteres ecclesiae una cum aliis aedificiis et utensilibus in pristino statu serventur et sine stricta necessitate haud renoventur, iudicium quoque ferendi de quavis restaurationis dispositione. Quaevis immutatio status veterum obiectorum ei ab officiis parochialibus annunciabitur, ut, si res postulabit, etiam cum commissione centrali vel provinciali curae monumentorum deputatae consilia conferat. Insuper prudens parochus iam ab ingressu parochiae iudicium commissionis dioecesanae expetet et aliquod systema componet, quo omnes ecclesias sibi subiectas conservare vel in bonum statum restituere possit. Quae commissio etiam museo dioecesano et archivio monumentorum invigilabit nec non indicem omnium obiectorum veteris artis in finibus dioecesis et in possessione ecclesiastica exsistentium redigendum curabit.

De museo. Occasione Synodi dioecesanae anno 1896 habitae institutum museum iam multis artis obiectis abundat. Sed ut certum fiat, quot pro museo apta obiecta adhuc apud varias ecclesias exsistant quantumve spatium pro eis in museo asservandis requiratur, ordinamus, ut quilibet parochus spatio trium mensium post acceptionem statutorum huius Synodi omnia artis obiecta, quae usui ecclesiarum haud inserviunt, museo transmittat et quidem parochiae expensis usque quinque coronas, ulterioribus a musei directione refundendis. Ubi nullum museale obiectum invenietur, negativam relationem proponere placeat.

Omnibus ex tota dioecesi collectis artis veteris obiectis conclavia necessaria parabuntur et catalogus musei publici iuris fiet.

De monumentorum archivio. Omnes litterae de monumentorum cura tractantes separatim in aedibus princ.-episc. Ordinariatus asservabuntur et quidem secundum decanatus, parochias et singulas ecclesias dispositae propriisque thecis collectae. Propterea reverendi domini parochi intra tres menses, sicut superius de museo statuimus, etiam omnes veteres delineationes et scripta artis veteris monumenta concernentia archivio dioecesano transmittant. Experientia teste quam maximus numerus delineationum in archiviis parochialibus periit. Archivio praedicto adiungetur *bibliotheca* ex libris specialiter de cura monumentorum et historia artis patriae nostrae tractantium collecta.

De institutione. Per quadraginta circiter annos in Nostro princ.-episc. Seminario maiore doctrina de artis stylis et ultimo decennio etiam de artis historia traditur. Ordinamus autem, ut abhinc addatur etiam praelectio de cura monumentorum.

Insuper nobis placebit, si sacerdotes in vinea Domini operantes pro viribus quotannis convenerint locis, ubi plura vetera et arte conspicua monumenta (e. gr. Petovii, Celeiae, in Slovenj-Gradec, Ruše, Puščava, Šmarje) occasionem praebent, unam alteramve praelectionem de artis historia deque conservatione monumentorum audiendi variisque formis conservationis in illis monumentis studendi. Pro institutione iuvabit etiam elucubrationes practicas in *Folio officiali dioecesano* vel in folio scientifico *Voditelj* nuncupato promulgare.

De inventario dioecesano. Dicta commissio curabit etiam, ut quam citissime omnium obiectorum arte memorabilium inventarium conscribatur. Catalogus altarium, organorum, confessionalium et tabularum viae crucis per totam dioecesim redactus, etiamsi nondum completus, iam exsistit.

Per peritos viros etiam alia conspicua obiecta recenseantur vel ex inventariis ordinariis excerpantur, quia in his et sacra aedificia et res pretiosae specialiter enumerantur. Talis catalogus, picturis illustratus, postea prelo dari poterit. Duo decanatus (Gornjigradensis et Konji-

censis) tali publicatione, aliquantulum profusiore modo elaborata, iam gaudent.

Commissio dioecesana de arte vetere custodienda sine concursu rectorum ecclesiarum nec fruges ferre nec aliquod opus ad finem perducere poterit. Quapropter omnes sacerdotes, quorum monumentorum cura interest, cohortamur, ut a patribus nostris relicta monumenta sollerter custodiant et Dei honorem artis ope provehant. *Vindicamus haereditatem patrum nostrorum.* (I. Mach. 15, 34).

Caput CLXXIII.

De ruralibus ecclesiis exornandis.

Aedificia ecclesiastica tam in urbibus quam ruri eidem fini inserviunt eademque symbolica significatione gaudent, differunt autem quoad modum et ornatum structurae. Propter maiorem fidelium numerum et feliciorem eorum fortunam templa urbana grandia construi et magis artificiose ornari possunt, dum quoad rurales ecclesias difficilis semper quaestio intercedit, quomodo parca pecunia digno et pulchro decore provideantur.[1]

Priora saecula primam pulchritudinem ecclesiarum ruralium in bene electo, aliquantulum edito situ quaerebant, ita ut sacra templa sicut margaritae e pratis et agris elucentes apparerent. Vias, ad ecclesias conducentes, parvis capellis ornabant, quae vel sacram passionis aut crucis viam exhibebant vel pro quattuor stationibus occasione processionum cum sanctissima Eucharistia deductarum necessariis destinatae erant. Circa ecclesias liberum et ab omni profano usu alienum spatium relinquebant ad modum sacri territorii (τέμενος) circa templa graeca usitati. Quasi semper humili muro cinctum, quandoque etiam firmis moenibus, propugnaculis et turribus munitum erat et fidelibus contra atrocium Turcarum hostiles incursus ultimum asylum praebebat.

[1] Confer de his librum: Gedanken über Ausschmückung von Landkirchen. Wien 1910. Pagg. 27.

Hic et parochiani sepeliebantur et circa ecclesias matrices, in quibus baptizati, verbis divinis pasti et sacramentis imbuti sunt, iudicium finale exspectant. Cruces et parva sepulchralia monumenta quam maximo decori ecclesiae sunt et propterea mos sepeliendi mortuos circumcirca templa parochialia adhuc hodie commendatur in Borussia,[1] apud nos autem edicto imperatoris Iosephi II. vetitus paucis locis toleratur et quidem — sicut experientia per plus quam centum annos docuit — sine discrimine quoad sanitatem vicinorum incolarum.

Coemeteriorum vice in septis ecclesiarum hodie prata vel hortos cum viis arena stratis vel florum decore stipatis videre licet, in quodam angulo etiam crux sacrae missionis, hedera et rosis crescentibus cincta vel statua alicuius Sancti occurrit. Hic processiones procedunt, hic die patrocinii vel missionis tempore devotionis obiecta venduntur.

Quod ad ipsum ecclesiae aedificium attinet, curandum est, ut quandam harmonicam unitatem cum domo parochiali praeseferat, deinde ut turres et sacristia aptis locis cum corpore ecclesiae coniungantur, denique ut plus leges proportionis et practicae dismembrationis praecepta observentur, quam ut ornamentorum ubertas quaeratur. Eodem modo et dispositio portarum et fenestrarum una cum magnitudine, decoratione et proportione earum bene perpendi debet. Praeteritis saeculis saepissime pro ianuis et fenestris lapides secti simplicibus formis elaborati adhibebantur, hodie autem haud semel ex artificiali caemento funduntur nec specialem ecclesiasticum characterem praeseferunt, sicut deceret, sed communibus formis confecti sunt, quas passim in domibus privatis videre licet.

[1] Von grösstem Werte ist die unmittelbare Verbindung mit dem Friedhofe. Sie bringt in Wechselwirkung beide, die Kirche und den Gottesacker, dem Herzen der Landbewohner näher. Künstlerisch ist die stimmungsvolle Umgebung für den Kirchenbau von der grössten Bedeutung. Unzählige deutsche Dörfer liefern dafür den Beweis. (O. Hossfeld, Stadt- und Landkirchen. Mit Anhang: Kirchenausstattung. Dritte Auflage. Berlin, 1911. Pagg. 332). Locus citatus legitur pag. 10 et eo maioris momenti censeri debet, quia iste liber eas solummodo ecclesias exhibet, quae ultimis annis a borussica publicorum aedificiorum administratione (preussische Staatsbauverwaltung) ex fundo publico exstructae sunt.

Simplicibus nempe muratoriae artis professoribus, qui rurales ecclesias delineant et concipiunt, deest altior cultura et aliquid originaliter creandi facultas. Propterea ex libris artis historiam tractantibus propriae phantasiae defectum explent et quandoque veram congeriem variorum stylorum combinant. Utinam solummodo formas, quae in nostris terris aliquando in usu erant, quae ergo cum coelo et natura nostrarum regionum coniunctae sunt, imitarentur et non alienam mercem e dissitis provinciis et terrae plagis adveherent! Modus structurae apud nos olim usitatus e charactere locali ac nationali originem duxit ideoque nostris temporibus quam maxime aptus est.

Ubi pecunia pro pendendis sculptis ornamentis haud sufficit, externa facies ecclesiarum solummodo pictura decorari potest. Veteres ecclesiae saepius simplicibus rectis et curvis, rubro colore tinctis lineis depictas coronides sub tecto, regulas circa fenestras et fictos lapides sectos in angulis aedificiorum exhibent nec sine elegantia videntur. Alicubi etiam foris in muris sacrae imagines inveniuntur, praesertim grandis figura s. Christophori martyris, patroni erga subitaneam et improvisam mortem.

Valvae, quae in ecclesiam ingressum praebent, aliquo sacro symbolo ornatae esse debent, commendatur etiam, ut super eas apta quaedam et pia inscriptio ponatur. In templis veterum christianorum legebantur inter alias sequentes formulae super introitum. »Introibo, Domine, in domum tuam et adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo« vel »Pax tibi sit quicumque Dei penetralia Christi pectore pacifico candidus ingrederis« vel »Cerne coronatam Domini super atria Christi stare crucem duro spondentem celsa labori praemia. Tolle crucem, qui vis auferre coronam«.[1]

Quoad internam sanctuarii faciem eius pulchritudo primum ex mensura spatii aestimatur, quod a muris et fornice amplectitur, deinde ex eius sapienti proportione, apta dispositione, lucida claritate et ultimo ex necessaria

[1] Dr. H. Holtzinger, Die altchristliche Architektur in systematischer Darstellung. Stuttgart, 1889. Pag. 48.

decoratione. Quae duplex est: *architectonica*, arte muratoria vel sculptoria elaborata et e pilis, parastatis, coronidibus et lacunariis e muro et fornice prominentibus consistens, et *picta*, in politis parietibus penicilli arte lineas colores-que exhibens producta. In ecclesiis styli gothici partes sustentantes sicut rotunda pila et costae fusco colore tingantur, parietes intermedii autem colore minus opaco. In templis styli barocco praeferendus ubique clarus color, speciatim albus, semper idem pro muris et parastatis. Picturae Sanctos vel sacras historias exhibentes et in muro humido factae sint rarae quoad numerum, invicem cohaerentes quoad sensum, bene locatae quoad dispositionem, perfectae quoad artis executionem. Regula esto: Melior paries dealbatus prae vili pictura. Idem valet de imaginibus oleo in telis factis, quae insuper numquam sic locandae sunt, ut lineas architectonicas pilorum vel parastatarum intersecent.

Fenestrae e parvis rotundis vel hexagonis vitris compositae vel alio simplici et nobili modo factae optime ecclesiis ruralibus conveniunt nec requiruntur magni valoris in vitro designatae picturae.

Pavimentum quadratis tabulis albi et nigri coloris ex marmore compositum, sicut in veteribus ecclesiis invenitur, pulcherrimum est nec potest cum eo comparari, quod nuperrime in usum venit et e picto lateritio opere constat. Tabulae sepulchrales et inscriptionibus insignitae e pavimento tollantur et in parietibus defigantur.

Primo loco in ecclesia ponitur altare, quia sacrosanctum Missae sacrificium in eo peragitur. In vero sensu dicitur altare solummodo stipiti imposita mensa, moles autem, quae mensae superstruitur, nec necessaria est nec per mille et amplius annos in usu erat nec ecclesiasticis praeceptis, quae altare proprie dictum concernunt, limitatur. Notum est ruricolas passim aliter sentire et maximum momentum in superiore altaris fabrica ponere, sed parochus eos docebit, quod omnis honos et ornatus specialis sacrae tabulae debeatur, et providebit,

ut haec ara in strictiore sensu sumpta ab omnibus partibus munda digneque decorata sit.

Idem valet a fortiore de tabernaculo, in quo super altare maius sanctissima Eucharistia asservatur. Sicut est centrum mysticum totius parochiae, sic et centrum artisticum i. e. qualibet pulcherrima arte ornatum esse deberet. Reliqua mensae superposita structura, si imaginem Sancti tutelaris excipis, minoris momenti est et valde differt secundum varios historicos artis stylos. De gothicis huiusmodi monumentis, quae delicate, minutiose et eleganter elaborata erant, in nostra dioecesi nihil fere remansit, abundant autem epitheses (Aufsatz) e saec. XVII. et XVIII., quae tamen iniuste damnantur et quandoque etiam amoventur. Figurae Sanctorum nempe nimis inquietum affectum praeseferunt, cum manibus et toto corpore quasi sine causa agunt et moventur nec illam pacificam et internam pietatem produnt, quae sensui nostrorum temporum consona esse videtur. Quum autem gustus semper maximis variationibus obnoxius sit, potius valor technicus et historicus talium statuarum ponderandus, quia si hodie huic vel alii non placent, futuris temporibus mutato gustu maximi valoris esse poterunt. Praesertim rurales ecclesiae thesaurum in altaribus styli barocco possident, cum quibus modernae epitheses, si conferuntur, vel parvo pretio acquisitae infimae notae sunt vel, si artistico valore gaudent, maximi constant. Pro novis altaribus regula esto, quod non tam moles structurae, quam ars respiciatur. Perfecte elaborata imago tutelaris Sancti vel eius statua columnis et epistylio circumdata quasi semper sufficiet.

Quae de altaribus pronunciavimus, valent etiam quoad pulpitum concionatorium, fontem baptismalem, arcam organi aliaque a sculptore elaborata obiecta, ut nempe praeprimis vetera obiecta conserventur, moderna autem simplicem nobilitatem et characterem religiosum praeseferant.

Quoad ornatum ecclesiarum parochi saepius varias difficultates patiuntur, quia agricolae alium gustum habent quam oppidani. Populus amat colores satures et variegatos,

sicut omnes homines simplicis culturae (etiam Graeci primitivae periodi), dum nobis plus arrident colores fracti vel mixti. Deinde puellae rusticae, si licet, cumulant altaria et presbyterium sacris imaginibus nullius pretii vel coronis e papyro vel ex abietinis vibicibus contortis, ita ut sacer locus quasi mercium taberna videatur. Difficulter etiam ruricolae intelligunt, quantum discrimen sit inter verum marmoreum lapidem et eius imitationem ex asseribus et gypso productam, id est, soliditatem et veritatem materiae non tanti aestimant, quanti externam eius speciem. Memorandum est etiam, quod quaedam aemulatio, quae ruri inter vicinas parochias reperitur, quandoque itidem in artem influit. Si aliqua ecclesia parochialis de novo pingitur, vicini parochiani saepe et suas matrices ab eodem artifice ornari desiderant, etiamsi minus peritus sit vel veteres picturae conservandae forent.

Omnes defectus ruralis gustus autem abunde vincuntur notissimo et quasi innato sensu plebis fidelis quoad decentiam et splendorem sacri cultus et promptissimo animo collata stipe ecclesias suas quam pulcherrime ornandi. Idcirco parochus partim rurali gustui indulgebit (tolerando vivos et satures colores), partim sapienter monendo omnem abusum eradicabit (purgando altaria a superfluis coronis et papyraceis floribus), semper autem curabit, ut fidelis plebs de pulchritudine parochialis ecclesiae laetetur. Populus enim artis influxum fortiter percipit eoque movetur. Diligat ergo ecclesiam tum propter pulchritudinem suam tum propter inhabitantem divinam maiestatem. Tunc parochus una cum populo exclamare poterit: *Dilexi, Domine, decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae.* (Ps. 25, 8).

Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum. (Ps. 92, 5).

Caput CLXXIV.

De sponsalibus et matrimoniis iuxta decretum *Ne temere* de die 2. mensis Augusti 1907.

Lex Tridentina[1] de forma peculiari, in matrimoniis, ne invalida sint, contrahendis servanda, praesertim propter singularem promulgationis modum, a sacro Concilio praescriptum, non omnia incommoda, quae ex clandestinis coniugiis oriuntur, impedire potuit. Leges vero canonicae, sponsalia spectantes, aut difficiles ad exequendum evaserunt aut animarum saluti minus utiles experientia demonstravit.

His rerum adiunctis permotus summus Pontifex Pius X., cupiens memorata damna et pericula removere, die 2. Augusti 1907 per Sacram Congregationem Concilii decretum *Ne temere* edidit, quo dispositiones Concilii Tridentini modificantur et accuratius determinantur atque peculiaris forma pro sponsalibus contrahendis inducitur.

Tenor huius decreti est hic:

Decretum de sponsalibus et matrimonio iussu et Auctoritate Ss. D. N. Pii Papae X. a S. Congregatione Concilii editum.

Ne temere inirentur clandestina coniugia, quae Dei Ecclesia iustissimis de causis semper detestata est atque prohibuit, provide cavit Tridentinum Concilium, *cap. 1. sess. XXIV. de reform. matrim.* edicens: »Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit.«

Sed cum idem Sacrum Concilium praecepisset, ut tale decretum publicaretur in singulis paroeciis nec vim haberet nisi iis in locis, ubi esset promulgatum; accidit ut plura loca, in quibus publicatio illa facta non fuit,

[1] Conc. Trid. sess. XXIV. cap. 1. de reform. matrim.

beneficio tridentinae legis caruerint hodieque careant et haesitationibus atque incommodis veteris disciplinae adhuc obnoxia maneant.

Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Saepe namque gravis exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo praesente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina, proprium parochum eum intelligi debere, cuius in paroecia domicilium sit aut quasi domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnumquam difficile est iudicare, certone constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo, ne nulla essent: multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt.

Haec dudum deplorata, eo crebrius accidere nostra aetate videmus, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus, etiam disiunctissimis, perficiuntur. Quamobrem sapientibus viris ac doctissimis visum est expedire, ut mutatio aliqua induceretur in iure circa formam celebrandi connubii. Complures etiam sacrorum Antistites omni ex parte terrarum, praesertim e celebrioribus civitatibus, ubi gravior appareret necessitas, supplices ad id preces Apostolicae Sedi admoverunt.

Flagitatum simul est ab Episcopis tum Europae plerisque tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, quae ex sponsalibus, idest mutuis promissionibus futuri matrimonii privatim initis, derivantur. Docuit enim experientia satis, quae secum pericula ferant eiusmodi sponsalia: primum quidem incitamenta peccandi causamque cur inexpertae puellae decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles.

His rerum adiunctis permotus Sanctissimus D. N. Pius PP. X. pro ea quam gerit omnium Ecclesiarum sollicitudine, cupiens ad memorata damna et pericula removenda temperatione aliqua uti, commisit S. Congregationi Concilii, ut de hac re videret et, quae opportuna aestimaret, sibi proponeret.

Voluit etiam votum audire Consilii ad ius canonicum in unum redigendum constituti nec non Eminentissimorum Cardinalium, qui pro eodem codice parando speciali commissione delecti sunt: a quibus, quemadmodum et a S. Congregatione Concilii, conventus in eum finem saepius habiti sunt. Omnium autem sententiis obtentis, Sanctissimus Dominus S. Congregationi Concilii mandavit, ut decretum ederet, quo leges a se, ex certa scientia et matura deliberatione probatae, continerentur, quibus sponsalium et matrimonii disciplina in posterum regeretur eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fieret.

In executionem itaque Apostolici mandati S. Concilii Congregatio praesentibus litteris constituit atque decernit ea, quae sequuntur.

De sponsalibus.

I. — Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut a loci Ordinario vel saltem a duobus testibus.

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius testis addatur, qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

II. — Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum, qui legitime praeest paroeciae canonice erectae; sed in regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos, cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

De matrimonio.

III. — Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus,

iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas et salvis exceptionibus, quae infra n. VII et VIII ponuntur.

IV. — Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt,

§ 1.º a die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi;

§ 2.º intra limites dumtaxat sui territorii: in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt;

§ 3.º dummodo invitati ac rogati et neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

V. — Licite autem adsistunt,

§ 1.º constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis;

§ 2.º constito insuper de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

§ 3.º quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset.

§ 4.º Quoad *vagos*, extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata licentiam adsistendi impetraverit.

§ 5.º In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset.

VI. — Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii adsistat.

Delegatus autem, ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutas.

VII. — Imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus

haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

VIII. — Si contingat, ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

IX. — § 1.º Celebrato matrimonio, parochus vel, qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia iuxta modum, in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

§ 2.º Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

§ 3.º Quoties matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum adnotetur.

X. — Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio adstiterint contra praescriptum § 2ⁱ et 3ⁱ num. V, emolumenta *stolae* sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

XI. — § 1.º Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

§ 2.º Vigent quoque pro iisdem, de quibus supra, catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

§ 3.º Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios: et quae in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die sollemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent, hoc decretum quamprimum in vulgus edi et in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

Praesentibus valituris de mandato speciali Sanctissimi D. N. Pii PP. X. contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae die 2ª mensis Augusti anni 1907.

† **Vincentius** Card. **Ep. Praenest.,** Praefectus.
C. de Lai, Secretarius.

Rationes gravissimae, quae immutationem formae Tridentinae in contrahendis matrimoniis et novam formam pro ineundis sponsalibus postulabant, in praefatione decreti praeallati *Ne temere* indicantur.

Plura enim loca, in quibus publicatio formae Tridentinae facta non est, beneficio huius formae caruerunt et haesitationibus atque incommodis veteris disciplinae adhuc obnoxia manebant.

Sed etiam ubi viguit lex Tridentina, gravis saepe exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo praesente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina, proprium parochum eum intelligi debere, cuius in parochia domicilium sit aut quasidomicilium alterutrius contrahentis.

Verum quia nonnumquam difficile est indicare, certone constet de quasidomicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo, ne nulla essent: multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt.

Haec dudum deplorata eo crebrius acciderunt nostra aetate, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus etiam dissiunctissimis perficiuntur.

Incommodis quoque occurrendum erat, quae ex sponsalibus, id est mutuis promissionibus futuri matrimonii, privatim initis, derivantur. Docuit enim experientia satis, quae secum pericula ferant eiusmodi sponsalia: primum quidem incitamenta peccandi causamque, cur inexpertae puellae decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles.

Decretum hoc, editum ex rationibus gravissimis, per missionem ad locorum Ordinarios legitime publicatum et promulgatum est; et quae in eo continentur, ubique vim legis habere coeperant a die sollemni Paschae Resurrectionis D. N. I. Chr. anni 1908, id est a die 19. Aprilis 1908.

De modo, quo decretum hoc effectui dari debeat, *peculiarem instructionem* iam publicavimus[1]; sed in hac quoque Synodo dioecesana illud explicare iuvat, ut decretum istud quoad omnes suas partes rite cognoscatur et religiose observetur.[2]

---

[1] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1908. Nr. IV. alin. 34. pagg. 65—70. — [2] Dr. Johann B. Haring, Das neue Ehedekret *Ne temere*. Graz, 1907. — Dr. Alois Schmöger, Form der Ehekonsenserklärung und der Verlöbnisse nach dem römischen Dekret *Ne temere* vom 2. August 1907. Wien und Leipzig, 1908. — Dr. August Knecht, Die neuen eherechtlichen Dekrete. Köln, 1907. — K. Bosch, Die Reform des kirchlichen Eheschliessungsrechtes durch Papst Pius X. Leipzig, 1907. — H. Noldin S. I., Decretum de sponsalibus et matrimoniis S. C. C. 2. Aug. 1907 cum declaratione. Oeniponte, 1908. — Casimiro Card. Gennari, Breve commento della nuova legge sugli sponsali e sul matrimonio. Edit. 3. Roma, 1908. — B. Ojetti, Jus antepianum et Pianum ex decreto *Ne temere*. Roma, 1908. — H. M. Pezzani, De celebratione sponsalium et matrimonii. Roma, 1908. — Dr. Franz Heiner, Das neue Verlöbnis- und Eheschliessungsrecht in der katholischen Kirche. Münster, 1908. — Idem, Das alte und das neue Verlöbnis- und Eheschliessungsrecht in commentario Archiv für kath. Kirchenrecht 88 (1908), 480 ff. — Arthur Vermeersch, De forma sponsalium et matrimonii. Brugis, 1908. — P. Meinrad Bader, Über das neue Verlobungs-Dekret. Innsbruck, 1908. — I. Alberti, Commentarium in recens decretum S. C. Concilii de sponsalibus et matrimonio. Friburgi in Brisgovia, 1908. — Guil. Arendt, Analysis theologico-canonica decreti *Ne temere*. Romae, 1909. — Andreas Freiherr v. Di Pauli, Kommentar zum Dekrete *Ne temere*. Graz und Wien,

De extensione decreti.[1]

Hoc decreto *ligantur* omnes catholici vel potius ii, qui in catholica Ecclesia baptizati considerantur, videlicet

1. Omnes in Ecclesia catholica baptizati, qui fideles permanserunt.

2. Omnes catholice baptizati, qui ab Ecclesia postea defecerunt.

3. Omnes acatholice baptizati, qui ex haeresi vel schismate ad Ecclesiam catholicam conversi in ea fideliter manserunt.

4. Omnes acatholice baptizati, qui ex haeresi vel schismate ad Ecclesiam catholicam conversi postea ab ea defecerunt.

5. Omnes acatholice baptizati, qui ad fidem catholicam conversi, postea ab ea defecerunt, etiam in iuvenili vel infantili aetate.[2]

6. Ligantur etiam omnes, de quibus supra, catholici, si cum acatholicis, sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt.

Hac dispositione iis in regionibus, in quibus declaratio Benedictina vigebat, gravis immutatio statuta est. Sublatum est enim principium, hucusque fere passim acceptatum, scilicet sic dicta *communicatio exemptionis*, vi cuius exemptio a forma Tridentina, qua una pars gaudet, alteri communicatur, abrogata est. Ab hac lege eximuntur tantum illi, pro quibus Constitutio *Provida* Pii X. data est.[3]

Non ligantur hoc decreto catholici ritus orientalis,[4] si inter se matrimonia contrahunt. Si vero matrimonium initur a catholico ritus latini cum catholico ritus orien-

1909. — Aloysius Desmet, De sponsalibus et matrimonio. Brugis, 1909. — Dr. Carolus Kiefer, Nova decreta de sponsalibus et matrimonio cum declarationibus authenticis. Eystadii, 1910. — Dr. Martin Leitner, Die Verlobungs- und Eheschliessungsform nach dem Dekrete *Ne temere*. 6. Auflage. Regensburg, 1911.

[1] Decretum *Ne temere*, art. XI. — [2] S. Congregatio Concilii die 1. Febr. 1908 sub V. — Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1908. Nr. V. alin. 43. pag. 79 et 80. — [3] Ibidem sub IV. — [4] Ibidem sub I.

talis, non servata forma praescripta, invalidum esset matrimonium.[1]

Excipiuntur ab hac dispositione graeco-catholici dioecesium Leopolitanae, Przemyśliensis, Stanislaopolitanae una cum graeco-catholica parochia S. Barbarae Vindobonae et terra Bukowina, ad quas decretum *Ne temere* de forma sponsalium ac matrimoniorum extensum est.[2]

Acatholici quoque, sive baptizati sive non baptizati, si inter se matrimonia contrahunt, nullibi adstringuntur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam.

Hac ratione sublata sunt omnia dubia quoad valorem matrimoniorum acatholicorum, si inter se coniugia ineunt. Hoc enim in casu certa forma ipsis praescripta non est.

De sponsalibus.[3]

Ius ecclesiasticum commune usque ad decretum *Ne temere* peculiarem formam pro contrahendis sponsalibus non praescripsit. Exinde haud pauca incommoda orta sunt, ut iam supra exposuimus. Propterea etiam in Nostra Synodo dioecesana 1900 instituta a clandestinis sponsalibus dissuasum est.[4]

1. Ut incommodis his occurreretur, in decreto *Ne temere* certa et determinata *forma* pro ineundis sponsalibus inducta est.

Iuxta hanc formam sponsalia duplici modo iniri possunt, vel *a)* per scripturam subsignatam a partibus et *loci parocho aut loci Ordinario*, vel *b)* per scripturam subsignatam a partibus et saltem *duobus testibus.*

Nomine parochi ex dispositione decreti *Ne temere* in Nostra dioecesi intelligitur ille, qui *legitime* praeest paroeciae canonice erectae, cui cura animarum *legitime* commissa est. Sunt ergo *parochi proprie dicti, vicarii perpetui, vicarii temporanei, provisores* rite instituti.

Nomine *Ordinarii loci veniunt: Summus Pontifex* pro universa Ecclesia, *Episcopus* eiusque *Vicarius generalis*

[1] S. Congregatio Concilii die 28. Martii 1908. — [2] S. Congregatio de Propaganda fide die 5. Maii 1911. (Folium dioecesis graeco-catholicae Leopolitanae de die 6. Iulii 1911). — [3] Decretum *Ne temere*, art. I. et II. — [4] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Pag. 346 et 357.

et vacante sede *Vicarius capitularis* (Administrator) pro dioecesi.

Duplex modus, quo sponsalia iniri possunt, positus est in qualificatione testium. In primo casu scriptura subsignatur *a parocho* vel *Ordinario* loci: hi sunt *testes officiales.* In secundo casu subsignatur scriptura a *duobus testibus simplicibus.*

Qualitates pro testibus requisitae sunt: *Usus rationis* et *scientia scribendi.* Coeci, surdi, muti testes esse non possunt.

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius testis addatur, qui cum loci parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

Ut sponsalia valida sint, requiritur etiam *unitas actus,* id est *testes subsignare* debent scripturam *coram sponsis* et vice versa *sponsi coram testibus* vel saltem subsignationem a se factam affirmare debent.

Subsignatio scripturae a quocumque parocho vel Ordinario fieri potest, sed intra limites dumtaxat sui territorii. Ad hunc actum delegatio concedi nequit. Cooperatores nonnisi ut simplices testes adhiberi possunt.

Ut sponsalia valide contrahantur, *annotari debent dies, mensis, annus* initi contractus sponsalitii. Certa verba pro contractu non sunt praescripta, requiritur tamen, ut iis promissio sponsalitia exprimatur.[1]

Recipi possunt in contractum sponsalitium etiam conditiones, pro quibus ius hucusque vigens valet.

Subsignatio sponsorum et testium propria manu, non alio modo, fiat. Ineundi tamen sponsalia obligatio nulla exsistit.

2. Quoad effectus sponsalium per decretum *Ne temere* nihil immutatum est. Sunt enim, sicut hucusque: *a)* fides sponsalitia, *b)* obligatio ineundi matrimonium, nisi adsit causa rescindendi sponsalia, *c)* invalida contractio sponsalium, non solutis prioribus sponsalibus, *d)* impedimentum matrimonium prohibens ob sponsalia, *e)* impedimen-

[1] Sacra Congregatio Concilii die 27. Iulii 1908. (Acta S. Sedis 1908. Vol. XLI. pag. 510 sq).

tum dirimens publicae honestatis, proveniens ex sponsalibus.

Notandum tamen est, istos effectus sponsalia tunc tantum producere, si in forma decreti *Ne temere* legitime contracta sunt.

3. *Reclamatio contra sponsalia vel contra nuptias ob sponsalia priora* fieri non potest, nisi scriptura sponsalium producatur vel, si haec scriptura produci nequit, saltem eius exsistentia per testes probari possit.

Reclamare non potest, nisi pars in iure suo laesa.

4. Quoad *dissolutionem* sponsalium immutatio inducta non est. *Forma* tantum dissolutionis, respectu habito ad scripturam, dubio subiici potest.

Sed hoc dubium facile tollitur, applicando principium: *Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.*[1] Hinc dissolutio sponsalium fieri poterit vel per dilacerationem scripturae vel per exarationem contrarii documenti vel per annotationem dissolutionis in eadem scriptura.

Quoad contrahentium eorumque consensus qualitates valent illa, quae iam prius in iure statuta sunt.

Catholici et acatholici, si invicem sponsalia contrahunt, ligantur forma in decreto ***Ne temere*** *praescripta.*

Ubi frequentius sponsalia ineuntur, *liber sponsalium* ad exemplum iam praescriptum[2] adornetur.

---

[1] C. 1. X. V. 41. — [2] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1908. Nr. IV. alin. 34. pag. 70:

Num. (Numerus progressivus actorum)
N. N. (Praenomina sponsorum)

Anno Domini millesimo nongentesimo ..... die vero ..... mensis .....
coram me .....
Parocho ecclesiae S. ..... praesentibus testibus:
civitatis vel loci ..... D.no ..... fil. .....
sponsalia mutuo consensu contraxerunt: ex paroecia .....
D.nus ..... D.no ..... fil. .....
fil. ..... et ..... ex paroecia .....
ex paroecia ..... professione ..... Subsignantur:
et D.na ..... Parochus *a)* .....
fil. ..... et ..... Sponsus .....
ex paroecia ..... Sponsa .....
Testes .....

a) Scriptura debet subsignari a parocho (vel ab Ordinario loci) et a sponsis vel a sponsis et a duobus testibus.

De matrimonio.[1]

Decreto *Ne temere* forma Tridentina ad totum orbem terrarum extensa est, exceptis tantum duobus casibus, de quibus inferius.

Matrimonia vigore huius decreti *valida* sunt, si coram loci parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus iuxta regulas in hoc decreto expressas contrahuntur.

1. Parochus et loci Ordinarius *valide* matrimonio assistunt:

a) A die adeptae possessionis beneficii vel initi officii. Requiritur ergo institutio corporalis vel investitura realis; non sufficit amplius institutio canonica vel collativa. Qui vero *publico decreto nominatim excommunicati vel ab officio suspensi sunt*, hoc iure privantur.

Excommunicatio vel suspensio latae sententiae hunc effectum tunc tantum habet, si sententia iudicis *declaratoria* constat, *ipsos* huiusmodi censura irretitos esse.

Suspensio autem fieri debet *ab officio*, nam suspensio *a beneficio* etiam nominatim publico decreto facta ius assistendi non adimit.

b) Intra limites dumtaxat sui territorii, in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt.

Unde ad validam assistentiam non postulatur amplius *parochus proprius*, in cuius territorio nupturientes vel saltem alteruter domicilium vel quasidomicilium habent, sed ad validam assistentiam sufficit, ut in loco degant.

Si sponsus vel sponsa vel utraque pars scribere nesciat, loco subsignationis adnotetur, quod scribere nescit, et subsignetur scriptura a parocho et ab uno saltem teste.

Testis esse potest tum vir tum mulier.

Monitum. — Parochus moneat sponsos, antequam subsignent: 1. de gravi obligatione ex iustitia contrahendi matrimonium, nisi mutuo consensu dissentiant, 2. de impedimento impediente matrimonium cum quolibet alio, quod inducit haec obligatio, nisi mutuo consensu solvant sponsalia, 3. de impedimento publicae honestatis dirimente matrimonium cum consanguineis in 1. gradu alterius coniugis (patre, matre, filio, filia, fratre, sorore), etiamsi mutuo consensu sponsalia solvant.

[1] Decretum *Ne temere*, art. III.—X.

Haec tamen dispositio *pro superioribus et curatis militaribus* non valet. Nam quoad istos hoc decreto nihil immutatum est.[1]

c) Dummodo invitati ac rogati et neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

Parochus ergo vi huius dispositionis non est *testis authorizabilis* et sollemnitatis tantum, sed positive influit in matrimonium contrahendum; debet enim invitari et rogari atque consensum requirere et excipere.

Relate ad matrimonia mixta, in quibus *materialis tantum parochi praesentia*, per modum exceptionis ac veluti ultimus tolerantiae limes, antea aliquando permissa est, S. Congregatio sancti Officii sub die 21. Iunii 1912 haec decrevit: »Praescriptionem decreti *Ne temere* n. IV. § 3 de requirendo per parochum excipiendoque, ad validitatem matrimonii, nupturientium consensu, in matrimoniis mixtis, in quibus debitas cautiones exhibere pervicaciter partes renuunt, locum posthac non habere: sed standum *taxative* praecedentibus Sanctae Sedis ac praesertim s. m. Gregorii PP. XVI. (Litt. app. diei 30. Aprilis 1841 ad episcopos Hungariae) ad rem concessionibus et instructionibus: facto verbo cum Sanctissimo.«[2]

2. Parochus et loci Ordinarius matrimonio *licite* assistunt:

a) Constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis.

Nomine *status liberi* non intelligitur tantum absentia *impedimenti ligaminis*, verum etiam immunitas a quolibet impedimento, sive dirimente sive impediente.

In specie hic animadvertitur, dispensationem super impedimento disparitatis cultus numquam concedi, nisi expressis omnibus conditionibus seu cautionibus, secus

---

[1] S. Congregatio Concilii die 1. Febr. 1908. sub VII. — Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1908. Nr. V. alin. 43. pag. 79 et 80; et Nr. VII. alin. 67. pag. 111 et 112. — [2] Acta apostolicae Sedis de die 1. Iulii 1912. An. IV. vol. IV. num. 12. pag. 444.

dispensatio impertita nulla est, et matrimonii ex hoc capite nullitas per ipsum Ordinarium declarari valet.[1]

Verbis *servatis de iure servandis* significatur, hac in re nihil immutatum, sed ad tramitem iuris vigentis legitime procedendum esse.

b) Constito insuper de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii.

Parochus ergo competens est, si contrahentes in eius parochia *verum domicilium* habent. In locum quasidomicilii *menstrua commoratio* seu spatium triginta dierum completorum subrogata est, id est moraliter assidua habitatio in loco per hoc spatium, ita ut per absentiam aliquot horarum vel unius alteriusve diei minime interrumpatur, dummodo *animus redeundi* adsit.

c) Si domicilium vel menstrua commoratio deficiant, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, requiritur *licentia parochi vel Ordinarii proprii* alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset.

Haec licentia non est confundenda cum delegatione; requiritur enim ad liceitatem tantum, non ad validitatem matrimonii. Dari potest vel scripto vel verbis vel tacite.

Si absque hac licentia parochus alicuius matrimonio adstiterit, emolumenta *stolae* sua non faciat, sed proprio contrahentium parocho remittat.[2]

Excusat ab hac obligatione gravis tantum necessitas v. gr. si urgens iter differri nequit vel periculum gravis damni adest.

d) Quoad *vagos*, extra casum necessitatis parocho non licet eorum matrimonio assistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata licentiam assistendi impetraverit.

Vagi illi dicuntur, qui nullibi habent domicilium verum neque in loco per mensem commorati sunt.

---

[1] I. et II. decretum S. Congregationis sancti Officii de die 21. Iunii 1912. — Acta apostolicae Sedis de die 1. Iulii 1912. An. IV. vol. IV. num. 12. pag. 442 sq. — [2] Decretum *Ne temere*, art. X.

Hi non sunt confundendi cum *peregrinis*, qui in loco, ubi matrimonium contrahunt, neque domicilium verum habent neque per mensem commorati sunt. Hi indigent *licentia* parochi proprii.

e) In quolibet casu pro regula habeatur, ut matrimonium *coram sponsae parocho* celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset.

His verbis statuitur praerogativa parochi sponsae in matrimonio contrahendo, quae in iure particulari iam fere ubique vigebat.

Iusta causa esse potest etiam circumstantia minus gravis, qua in re maxime opiniones sponsorum eorumque parentum attendi debent.

3. *Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii assistat.*

Delegatus autem, ut valide et licite assistat, servare tenetur limites mandati et regulas pro parocho et loci Ordinario statutas.

Delegare ergo non possunt, nisi parochus et loci Ordinarius; sed isti quoque nonnisi intra limites sui territorii.

Sacerdos delegatus sit *certus et determinatus* i. e. nomine et munere ab aliis distinctus. Hinc non valet *licentia contrahendi matrimonium coram quocumque sacerdote*. Potest tamen parochus omnes sacerdotes suae paroeciae delegare ad assistentiam matrimoniorum *intra limites parochiae.*[1]

Delegatus vero servare debet limites mandati cum omnibus conditionibus in eo expressis et servare regulas pro parocho et loci Ordinario statutas, sicut supra expositum est.

4. *Imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi potest valide ac licite coram quolibet sacerdote et duobus testibus.*

[1] S. Congregatio Concilii die 27. Iulii 1908.

Valide ergo et licite matrimonium contrahi potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus sub his conditionibus:

a) Imminente mortis periculo, id est non tantum ab aegrotis, sed etiam ab aliis in mortis periculo constitutis v. gr. in periculo belli, naufragii.

b) Ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat. Sufficit vero in hoc casu probabilitas vel dubium, utrum praedicti functionarii haberi queant.

c) Ad *consulendum* conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis.

Verba *ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis* non demonstrative, sed taxative sumenda sunt et comprehendunt imprimis sanationem matrimonii civilis vel concubinatus. — Sed etiam alii casus, in quibus conscientiae consulendum est, non exclusi esse videntur.

Quoad *sacerdotem assistentem* requiritur solum, ut sit invitatus ac rogatus, ut consensum contrahentium requirat et excipiat.

Alia requisita pro sacerdote imminente mortis periculo assistente necessaria non sunt. Hinc etiam sacerdos nominatim excommunicatus vel ab officio suspensus et valide et licite assistit.

Pro validitate requiritur immunitas ab impedimentis dirimentibus.

Potest tamen sacerdos praedictus in hoc casu etiam *dispensare* super impedimentis omnibus, etiam publicis, matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, *exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita,* etiamsi non agatur de concubinariis, sed alia adsit causa, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis.[1]

5. *Si contingat, ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius aut sacerdos, ab eis delegatus, coram quo ma-*

[1] S. Congregatio de disciplina Sacramentorum die 14. Maii et die 16. Augusti 1909.

trimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide et licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

Ad contrahendum ergo matrimonium coram duobus testibus requiritur:

a) Impossibilitas physica et moralis, ut parochus vel loci Ordinarius vel ab eis delegatus sacerdos haberi queat.

b) Haec impossibilitas ad *aliquam regionem* extendi debet.

c) Haec *rerum conditio* a mense perseveret.

d) Consensus formalis a sponsis coram duobus testibus emitti debet.

In praxi haec contingere possunt tempore revolutionis vel belli. In regionibus missionum istae conditiones saepius verificantur.

6. *Celebrato matrimonio* parochus vel, qui eius vices gerit, statim *describat* in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia iuxta modum, in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

Praeterea parochus *in libro* quoque *baptizatorum adnotet,* coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

Quoties matrimonium ad normam sub num. 4 et 5 expositam contrahitur, *sacerdos in priori* casu, *testes in altero, tenentur* in solidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum adnotetur.

Dispositio de descriptione matrimoniorum in libro parochiali fere in omnibus cum iure hucusque vigente concordat, continet tamen ordinationes accuratiores.

Parochus vel is, qui eius vices gerit, describat in libro matrimoniorum matrimonia contracta. Haec descriptio *statim* fiat.

Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum *adnotet*, coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse.

Si coniux alibi baptizatus est, matrimonii parochus notitiam initi contractus matrimonialis ad parochum baptismi mittat, ut in baptismi librum referatur.

7. *Parochi, qui praescripta decreti* ***Ne temere*** *violaverint, ab Ordinario pro modo et gravitate culpae puniantur.*

Concilium Tridentinum hac in re statuit: »Quod si quis parochus . . . alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, *ipso iure* tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.[1]

Etsi in decreto *Ne temere*, sicut in Concilio Tridentino, de parocho tantum sermo sit, procul dubio etiam alius sacerdos, si praescripta violaverit, poenis ecclesiasticis subiacet.

Discrimen inter ius Concilii Tridentini et decreti *Ne temere* in eo est, ut in posterum suspensio non *ipso iure* incurratur, sed per sententiam iudicialem ab Ordinario infligi debeat.

Quoad *nupturientes et testes* in hoc decreto poena nulla statuitur; relinquitur ergo prudenti arbitrio Ordinarii.

Poenae quoque parochi *arbitrariae* sunt. Possunt quidem infligi poenae hucusque decretae, sed etiam aliae non excluduntur.

Haec, fratres dilectissimi, vobis quoad decretum *Ne temere* servanda proponuntur, ut ipsi, dispositionibus huius decreti penitus imbuti, et munus vestrum hac in re rite exercere et populum, ut praescriptum est,[2] convenienter docere possitis. *Omnia* autem . . . *secundum ordinem fiant.* (I. Cor. 14, 40).

Ut populus fidelis integra atque incorrupta doctrina de sacramento matrimonii instruatur de his, quae ad servandam eius dignitatem Ecclesia statuenda esse duxit,

[1] Sess. XXIV. cap. 1. de reform. matrim. — [2] Decretum *Ne temere* in calce.

instructionem peculiarem pro populo christiano in Synodo dioecesana anno 1900 instituta[1] publicavimus et statuimus, ut prima Dominica post Epiphaniam ex ambone praelegatur.

Quum tenor huius instructionis cum iis, quae in decreto *Ne temere* disposita sunt, non quoad omnia congruat, memoratam instructionem hisce abrogamus et in eius locum substituimus aliam instructionem, quam in folio officiali dioecesis Lavantinae anno 1909 evulgavimus,[2] et praecipimus, ut quotannis praedicta Dominica prima post Epiphaniam in ecclesia legatur.

Instructio de sacramento matrimonii.

In Christo carissimi!

Matrimonium, septimum ex legis evangelicae sacramentis, pro societate humana maximi ponderis est. Ex matrimonio, indissolubili coniunctione unius viri et unius mulieris, originem ducit familia. Matrimonium vitae familiaris radix est. Si radix sana, stipes robusta; si radices cauteriatae, corrupta arbor. Ubi pii coniuges, ibi familia sancta; ubi matrimonia moraliter putrida, ibi genus depravatum. Bona familia parit generi humano bona membra, reipublicae egregios cives, Ecclesiae catholicae sapientes sacerdotes, pios magistros et bonos pastores, statui religioso digna membra, coelo sanctos. Sane, immensa est benedictio, quae ex familia proba redundat in genus humanum, in rempublicam, in Ecclesiam et in coelum!

Ut autem hanc benedictionem coelestem parentibus et societati humanae paret, matrimonium secundum sanctam Dei voluntatem contrahi debet. Hinc scire necesse est, quam venerabile sit matrimonium institutione, fine et dignitate, ad quam evectum est a Christo Domino, quidque requiratur, ut matrimonium valide, licite et modo Deo placito ineatur.

---

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Pagg. 331—362. — [2] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1909. Nr. I. alin. 2. pagg. 2—11.

1. Dominus Deus, qui hominem creavit, matrimonium quoque instituit. Nam Deus ipse, qui hominem creavit *masculum* et *feminam* nec non voluit per ipsos propagari genus humanum, quod promulgavit, dicens: *Crescite et multiplicamini et replete terram* (Gen. 1, 28), profecto etiam institutor matrimonii haberi debet.

Illa viri et mulieris coniunctio quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ab institutione sua duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas praesetulit proprietates, nimirum unitatem et perpetuitatem. Quod ipse primus humani generis parens Adam divini Spiritus instinctu pronunciavit, dicens: *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea .. quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una.* (Gen. 2, 23. 24). Idem declaravit et aperte confirmavit divina auctoritate Iesus Christus, verbis istis adiungendo: *Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* (Matth. 19, 6).

Quum igitur in contrahendo matrimonio agatur de nectendo vinculo indissolubili, exinde sponsi maxima circumspectione uti debent hac in re gravissima.

De matrimonio, institutione iam tam praestante, non exiguam neque postremam curam adhibuit ipse restitutor dignitatis humanae, Iesus Christus. Etenim nuptias in Cana Galilaeae ipse praesentia sua nobilitavit, primoque ex prodigiis a se editis fecit memorabiles (Ioan. 2, 1 sqq); quibus causis vel ex eo die in hominum coniugia novae cuiusdam sanctitudinis initia videntur esse profecta. Denique Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit matrimonium simulque effecit, ut coniuges, coelesti gratia, quam merita eius pepererunt, septi ac muniti, sanctitatem in ipso coniugio adipiscerentur, et supernaturaliter homini daretur ea vis, qua naturaliter caret, obligationes matrimoniales recte servandi.

Tanta quum sit matrimonii dignitas, firmitas et sanctitas, nemo illud contrahere contendat, nisi rite praeparatus et religiose servatis omnibus praeceptis Ecclesiae.

2. Imprimis probe intelligant omnes, non cogi aliquem ulla lege ad contrahendum matrimonium, nec anteponendum esse statum coniugalem statui virginitatis vel coelibatus, sed melius ac beatius esse, manere in virginitate vel coelibatu quam iungi matrimonio. *Qui sine uxore est*, ait s. Paulus, *sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quae autem nupta est, cogitat, quae sunt mundi, quomodo placeat viro.* (I. Cor. 7, 32—34). Nihil beatius in hac vita fidelibus potest contingere, quam ut animus nulla mundi cura distractus sedataque et restincta omni carnis libidine in uno pietatis studio et coelestium rerum cogitatione conquiescat.

Huic eximiae virtuti, scilicet castitati, studeant etiam illi, qui ad statum matrimonialem vocati sunt. Optima enim praeparatio ad statum coniugalem est vita casta, pietas fide plena et industria laboriosa.

3. Attamen quia, ut observat s. Paulus, *unusquisque proprium donum habet a Deo; alius quidem sic, alius vero sic* (I. Cor. 7, 7), quilibet christianus, antequam eligat statum matrimonii, serio coram Deo et cum Deo perpendat, utrum vocatus sit ad hunc statum habeatque necessarias proprietates nec ne.

Si omnibus religiose perpensis ad statum matrimonialem vocatum se putet, tunc intelligat, in coniungendis matrimoniis virtutem potius et morum similitudinem quam divitias et pulchritudinem spectandas esse, neque se humanam aliquam rem aggredi, sed divinam, in qua singularis mentis integritas et pietas adhibenda est.

Amores, maxime cum personis irreligiosis, levibus et effrenatis, adolescentes omnino devitent, nisi adsit seria intentio et fundata spes fore, ut brevi tempore contrahi possit matrimonium illudque faustum praesumi liceat. Sed etiam hoc in casu — quod de sponsalibus quoque valet — eorum conversatio sit cauta et honesta. Ne frequentius, intimius neve umquam soli conversentur, sed

nonnisi praesentibus personis, quae fidem merentur. Parentes, imprimis matres sponsarum, sedulo illis invigilent.

4. In eligendo coniuge futuro ad tria praecipue attendendum est, videlicet ut eligatur persona, cum qua matrimonium *valide* et *licite* contrahi possit, et cum qua futurum matrimonium, in quantum homines providere valent, *faustum fore* sperari licet.

Quominus matrimonia valide et licite contrahantur, obstant impedimenta matrimonialia. Est autem impedimentum matrimonii defectus alicuius conditionis a competente lege aut pro validitate aut pro liceitate matrimonii requisitae. Impedimenta, quibus obstantibus matrimonium nulliter contrahitur vel contractum invalidum exsistit, dirimentia vel irritantia vocantur; ea vero, quae matrimonium illicitum dumtaxat efficiunt, prohibentia vel impedientia sunt.

a) Impedimenta, quae matrimonium reddunt irritum, praecipua sunt: Error in persona, vis et metus, defectus aetatis, impotentia, consanguinitas, affinitas, cognatio spiritualis et legalis, ordo, vota sollemnia, disparitas cultus et crimen sive adulterii sive coniugicidii. Cum personis, quibus haec impedimenta obstant, ne matrimonia contrahantur.

Frequentissime occurrunt impedimenta consanguinitatis et affinitatis. Ob graves enim causas tum religionis tum moralitatis et ob salutem prolis tum spiritualem tum corporalem irrita pronunciavit Ecclesia matrimonia inter consanguineos et affines usque ad quartum gradum.

Cognatio spiritualis, quae contrahitur ex baptismo et confirmatione, dirimit matrimonia inter patrinos ac baptizatum ipsum illiusque patrem et matrem; inter baptizantem et baptizatum baptizatique parentes; nec non inter confirmatum illiusque patrem et matrem ac tenentem.

Si quae impedimenta obsunt matrimonio valide contrahendo, omnino removeri debent dispensatione, antequam contrahatur matrimonium. Haec autem dispensatio non conceditur, nisi pugnent pro dispensatione causae canonicae, id est, graves et proportionatae. Si sponsi, scientes aliquod impedimentum dirimens, etsi occultum, contra-

hunt matrimonium, graviter peccant et sese exponunt periculo aeternae damnationis; quia eorum convictus est continuum peccatum, donec tollatur impedimentum dispensatione ecclesiastica et matrimonium revalidetur.

b) Impedimenta praecipua, quibus obstantibus matrimonium illicite contrahitur, sunt: sponsalia valida, votum simplex et disparitas confessionis christianae.

Sponsalia non sunt matrimonium, sed introductio tantum et praeparatio ad matrimonium, videlicet seria, libera et mutua promissio duarum personarum diversi sexus, contrahendi matrimonium. Graviter dehortamur a sponsalibus leviter et praemature ineundis. Usque ad Pascha, id est usque ad diem 19. Aprilis 1908, sponsalia etiam clandestine, absque testibus et absque scriptura, valide iniri potuerunt.

Ex sponsalibus vero, hoc modo contractis, haud pauca damna sponsis et non parva pericula animarum saluti orta sunt. In istis enim sponsalibus ineundis non tantum ordinarie matura deliberatio, quae requiritur, defuit, sed non raro etiam contigit, ut homines, qui Deum iudicem non timent, sponsalibus, tali modo contractis, ad decipiendas et seducendas puellas abusi sint. Huius modi sponsalia insuper externe probari non potuerunt, quoad exsistentiam dubiis subiecta erant et sine scrupulo violata sunt.

Exinde dissidia et lites originem duxerunt. His inordinationibus summus Pontifex Pius X., in quantum fieri potest, occurrere voluit atque ex plenitudine apostolicae suae potestatis per decretum generale Sacrae Congregationis Concilii, quod a die sollemni Paschae, id est a die 19. Aprilis 1908 ubique vim legis haberi coepit, sequentia statuit:

Sponsalia a die 19. Aprilis anni 1908 tunc tantum valida sunt et canonicos sortiuntur effectus, *a)* si contrahuntur per scripturam, et quidem *b)* coram testibus, et si *c)* scriptura a partibus et testibus subscribitur.

Dispositiones has accuratius consideremus. Confici ergo debet scriptura seu instrumentum, in quo spondentes certam voluntatem matrimonium contrahendi exprimant.

Breviter e. gr. ita concipi possit: »Subscripti hisce in praesentia testium subscriptorum ad matrimonium futuro tempore contrahendum sese obstringunt.« Nihil refert, a quo instrumentum scribatur. Dein sponsalibus contrahendis assistere debent testes. Si sponsalia coram parocho intra limites parochiae contrahuntur, sufficit testimonium parochi solius. Secus semper duo testes requiruntur, quicumque sint, viri vel mulieres, dummodo personae ad testimonium deponendum habiles sint. Quod si sponsa vel sponsus vel utraque pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur et tertius testis addatur. In scriptura adnotetur dies, et propria manu subsignentur: sponsus et sponsa aut eorum loco testis, hunc in finem additus, parochus vel duo testes, ad sponsalia contrahenda adhibiti. Quilibet animarum curator libenter paratus est, vobis, si opus fuerit, hac in re dare accuratas directivas.

Haec ergo est forma essentialis, in qua personae, quae inter se matrimonium contrahere intendunt, in posterum unice et solum sponsalia valide inire possunt, ita ut sponsalia omnes effectus et consequentias sortiantur; haec tantum forma sponsalium posthac ab Ecclesia agnoscitur et attenditur.

Hunc scriptum contractum sponsalitium, si placet, inire potestis coram parocho loci, sive occasione examinis sponsorum sive prius, et scripturam apud parochum deponere potestis. Licet quoque, si vultis, conficere duo paria exempla contractus sponsalitii, ut quaelibet sponsorum pars testimonium sponsalium contractorum in manibus habeat. Scriptura de sponsalibus contractis certum ius inter sponsos condit, ut quilibet sciat, quid iuris ipsi in re suffragetur.

Si serius sponsis persuasum est, non expedire, ut ad dies vitae iungantur, sponsalia libero, mutuo consensu dissolvere possunt. Hoc in casu iuvat, factam dissolutionem in scriptura adnotare vel scripturam delere.

Expresse vero notatur, ex eo, quod in sponsalibus contrahendis determinata forma requiratur, minime *praescriptum* vel *intentum* esse, ante matrimonium contrahen-

dum sponsalia iniri debere. Hac in re decretum nihil novi induxit. Sicut prius, etiam posthac matrimonia contrahi possunt, quin sponsalia praemittantur.

Si contractus sponsalitius in hac determinata forma initus est, sponsi, quamdiu sponsalia valida sunt, fidem sponsalitiam invicem servare debent et matrimonium inter se contrahere, si adiuncta essentialiter mutata non sunt. Insuper valida sponsalia, stantibus prioribus, cum tertia persona inire non possunt nec licite matrimonium contrahere, nisi cum persona sibi desponsata. Denique ex sponsalibus validis oritur impedimentum dirimens publicae honestatis, id est impedimentum dirimens pro matrimoniis unius sponsi cum consanguineis alterius in primo gradu. Hoc impedimentum perdurat, etiamsi sponsalia valide dissoluta sint.

Illud etiam cavendum est, ne scilicet coniugia facile appetantur cum alienis a catholico nomine; animos enim, de disciplina religionis dissidentes, vix sperari potest futuros esse per caetera concordes. Quin immo ab eiusmodi coniugiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant coniugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine. Quare matrimonia mixta ab Ecclesia semper improbantur.

Quod si de canonum severitate remittens apostolica Sedes mixta eiusmodi matrimonia quandoque permisit, *id gravibus dumtaxat de causis* aegreque admodum fecit et nonnisi *expressa sub conditione de praemittendis opportunis cautionibus*, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed insuper, ut proles utriusque sexus ex hisce coniugiis procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Quae certe cautiones in *ipsa naturali ac divina lege* fundantur, in quam procul dubio gravissime peccat,

quisquis se vel futuram sobolem perversionis periculo temere committat.

Quod si persona catholica contra leges ecclesiasticas init matrimonium mixtum, certe graviter peccat, et si insuper adit ministrum acatholicum, uti sacris addictum, incurrit excommunicationem Romano Pontifici speciali modo reservatam, a qua absolvi non potest, nisi vere poenitens et quoad omnia satisfaciens.

Graviter peccant etiam parentes catholici, qui suis filiis vel filiabus matrimonium mixtum sine cautelis necessariis permittunt vel eidem favent.

c) Indicia, faustum fore matrimonium, haec potissimum sunt: adolescentia sancte transacta, intentio, quae nonnisi finem matrimonii respicit, sincerus amor, quo sponsi se invicem prosequuntur, proprietates necessariae, spirituales et corporales, ad explenda officia. Exsulet insuper nimia discrepantia quoad aetatem, opes, culturam, statum consulanturque homines cordati, uti parentes, tutores, confessarii et curiones animarum.

5. Antequam proclamationes fiant, duplex sponsorum examen a parocho instituendum est: aliud generale, aliud speciale.

Generale examen in eo consistit, ut parochus ex ipsis sponsis exquirat, an omnia adsint requisita, ut matrimonium valide et licite contrahi possit. Vertitur hoc examen circa impedimenta nuptialia fors obstantia; utrum sponsi sponte, libere et secundum honestatem sacramenti velint contrahere. Procurent ergo sponsi hunc in finem documenta necessaria. Quae exhibenda sunt iam ante proclamationem vel saltem ante copulationem, exquirant ab ordinario suo pastore animarum.

Examen sponsorum speciale est illud, quo indagatur, utrum sponsi in fide catholica sufficienter sint instructi. Uterque sciat rudimenta fidei, quum ea deinde filios suos docere debeant. Quoad scientiam sponsis absolute necessariam requiritur, ut quisque saltem ea sciat, quae necessaria sunt ad salutem tam necessitate medii quam necessitate praecepti; nimirum Deum exsistentem atque

remuneratorem, praemia iustis et improbis supplicia decernentem, Deum hominum salvatorem, mysterium Incarnationis et mysterium ss. Trinitatis, Symbolum apostolicum, Decalogum, orationem Dominicam, sacramenta, Ecclesiae praecepta, Salutationem angelicam. Hinc, quorum obliti sunt, ea recolant et in memoriam revocent, saltem quoad substantiam. Qui elementa fidei christianae ignorant, ad nuptias admitti nequeunt.

Insuper sponsi ea, quae a parochis vel a confessariis de natura et de officiis status matrimonialis docentur, et quomodo in eo recte et christiane conversari debeant, fideliter memoria teneant ac religiose observent.

6. Ante benedictionem sacerdotalem in ecclesia suscipiendam in eadem domo sponsi ne cohabitent; vivant caste et continenter eorumque conversatio sit cauta et honesta. Impedimentum matrimonii, si quod resciverint, statim denuncient animarum pastori.

Priusquam in facie Ecclesiae foedere ad mortem usque duraturo iungantur, poenitentiae sacramento cor emundent et corpus Domini nostri devote suscipiant.

Monemus quoque sponsos, ut res temporales modo sincero et benevolente ordinent easque securas reddant.

7. Quum matrimonium sit sacramentum, sacramentorum autem dispensationem administret Ecclesia, hinc matrimonia valide contrahi non possunt, nisi in facie Ecclesiae, id est praesente parocho vel alio sacerdote, de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus. Hinc quaecumque alia coniunctio inter christianos ut verum matrimonium considerari non potest.

Haec lex iam ante annos ultra trecentos a Concilio Tridentino statuta est. Summus autem Pontifex Pius X. eam per decretum Sacrae Congregationis Concilii de die 2. Augusti 1907 iterum confirmavit et ad omnes catholicos totius orbis terrarum extendit.

Ut omne dubium de validitate matrimoniorum vestrorum excludatur, Sanctissimus Pater decrevit, ut ea tantum matrimonia valida habeantur, quae a vobis coram parocho intra limites dumtaxat territorii parochialis praesentibus

duobus vel tribus testibus contrahuntur, nisi impedimentum aliquod dirimens validitati matrimonii adversetur. Imminente mortis periculo, ubi parochus vel sacerdos ab eo delegatus haberi nequeat, ad consulendum conscientiae matrimonium valide et licite contrahi potest etiam coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

Firmiter ergo mente teneatis regulam: Matrimonium catholici, quod coram parocho loci vel sacerdote delegato et duobus testibus non est contractum, coram Deo et Ecclesia et conscientia verum matrimonium haberi non potest. Econtra matrimonium catholici procul dubio validum est, si coram parocho loci intra limites parochiae et coram duobus testibus contrahitur, dummodo aliud impedimentum dirimens ei non obstet.

Probe scire debetis, parochum vel sacerdotem ab eo delegatum tunc tantum matrimonio contrahendo valide assistere, *si invitati ac rogati, neque vi neque metu gravi constricti, contrahentium consensum requirant et excipiant.* Matrimonium ergo nonnisi tunc valide initur, si parochus vos libere de consensu interroget eumque excipiat. Si parochus a vobis consensum non libere exquirit et eum non excipit, validum matrimonium contrahi non potest. Parochum ad requirendum et excipiendum consensum neque vi neque metu gravi cogi licet neque dolo decipi contra eius expressam voluntatem, secus matrimonium invalidum est. Hinc solus consensus sponsorum ad matrimonium contrahendum non sufficit, sed libera quoque exceptio huius consensus ex parte parochi vel sacerdotis delegati requiritur. Parochus enim secundum placitum Sanctissimi Patris certus esse debet, omnia requisita ad matrimonium valide contrahendum adesse. Quod si factum est, parochus consensum libenter excipiet, ut matrimonium valide contrahatur. Haec praxis iam hucusque in Nostra dioecesi vigebat et ex voluntate Sanctissimi Patris etiam posthac debet observari.

Etsi ad matrimonium valide contrahendum requiratur assistentia tantum parochi et duorum testium intra limites parochiae; ad liceitatem tamen contractus matrimonialis

necessaria est assistentia parochi proprii, id est parochi loci, quo sponsi vel alteruter domicilium habent vel saltem per mensem commorati sunt. Excipiuntur ab hac regula solum casus gravis necessitatis e. gr. urgentis itineris vel periculum magni damni.

Insuper matrimonium ordinarie *coram parocho sponsae* contrahatur, nisi adversetur iusta causa. Iusta causa autem tunc adest, si spectatis omnibus circumstantiis melius videtur, ut matrimonium coram parocho sponsi ineatur.

A Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniae et a feria IV. Cinerum usque ad octavam Paschae inclusive sollemnitates nuptiarum, ut benedictio nuptialis, sponsae sollemnis traductio, nuptialium conviviorum celebratio omnino prohibentur. Simplices vero nuptiae absque praedictis sollemnitatibus etiam his diebus fieri possunt, si Episcopus illas permittat.

Matrimonium quamvis in ecclesia maxime celebrari deceat, potest tamen celebrari etiam in oratorio, immo ex licentia Episcopi domi quoque.

Nuptiae tempore antemeridiano fiant ante Missae sacrificium, benedicantur autem infra Missam. Ad matrimonii sacramentum suscipiendum pie accedant sponsi atque, ut impensissime optamus, reficiantur quoque sanctissimo Eucharistiae sacramento.

Benedictio vini s. Ioannis, ubi usus est, fiat in abaco in cornu Epistolae; caveatur tamen sedulo, ne quid hac occasione indecenter agatur.

Deficientibus causis gravibus copulatio numquam fiat eodem die, quo facta est proclamatio ultima vel unica. Excipiuntur tantum operarii in metallis et fabricis aliique, qui in simili conditione versantur, si secus et ipsi tempore non gaudent nec praesto sunt testes necessarii. Iisdem per modum exceptionis diebus Dominicis et festivis horis pomeridianis, non tamen ante meridiem diei ultimae proclamationis vel vespere post *Ave Maria*, copulatio conceditur, sub expressa tamen conditione, ut musica omnino excludatur. Exceptis his post meridiem nuptias celebrare non licet nisi cum licentia Episcopi.

Testes evidenter inebriati ad altare non admittuntur, et si sponsi fuerint, copulatio transfertur in alium diem. Item transferenda est celebratio matrimonii, excessus scandalosi si acciderint.

Quamvis vero sive per modum exceptionis sive cum licentia Episcopi nuptiae celebrentur post meridiem vel extra ecclesiam, veniant tamen coniuges post copulationem ad ecclesiam, benedictionem intra Missam suscepturi. Haec autem benedictio non impertitur nuptiis viduae vel matrimoniis mixtis, etiamsi obtenta dispensatione in ecclesia celebrentur.

8. Sollemnitas nuptiarum domi celebrata non ex parte coniugum tantum, sed etiam ex parte hospitum ea semper, qua decet modestia et honestate fiat ita, ut sicut nuptiis in Cana Galilaeae, et his Iesus et Maria interesse possint. Sancta enim res est matrimonium, sancteque tranctandum.

Par coniugum sanctissimum profecto fuerunt beatissima Virgo Maria et sanctus Ioseph. Quos si coniuges christiani sibi proposuerint tamquam exemplar, quod imitentur, eorum familiae sane imaginem quamdam prae se ferent familiae coelestis, et praeclara exinde beneficia parta non intra domesticos tantum parietes se continebunt, sed in ipsas respublicas uberrime dimanabunt et Ecclesiae Dei ingenerabunt *cives sanctorum et domesticos Dei.* (Eph. 2, 19). Quod ut fiat, devote oremus, dedicantes sacrae Familiae nos et omnes familias christianas, dicentes:

O preljubezniva mati Jezusa Kristusa in naša mati Marija, izprosi po svoji dobroti in milosti, da Jezus sprejme to naše posvečenje in nam podeli svoje dobrote in blagodare!

O Jožef, presveti varih Jezusa in Marije, v vseh dušnih in telesnih potrebah prihajaj nam na pomoč, da bomo s teboj in z blaženo devico Marijo večno čast in hvalo dajali božjemu Vzveličarju Jezusu Kristusu! Amen.

Oče naš. Češčena Marija. Čast bodi Očetu.

V Mariboru, na praznik nedolžnih otročičev, dne 28. decembra 1911.

† **Mihael,**
knezoškof.

Titulus tertius.

De Cleri populique disciplina.

Ex institutione divina dantur in Ecclesia clerici et laici. Nos omnes in Christo baptizati unum corpus efficimus, dicente Apostolo: *Unum corpus multi sumus . . . Vos autem estis corpus Christi.* (I. Cor. 10, 17; 12, 27).

Sacerdotes sunt sal terrae ad alios saliendos: ideo ipsi ab omni corruptione alieni esse debent. Illi sunt lucernae ad illuminandos alios; idcirco ipsi lumine Christi refulgeant et non ambulent in tenebris oportet. Illi sunt duces ad dirigendos homines per vias rectas; ipsi ergo vestigia Christi sequantur necesse est.

Sacerdos pro Christo legatione fungitur (II. Cor. 5, 20); ideo verbo et opere munus Christi exercere obligatur. Conscius sit sibi, se esse ministrum Christi; hinc sibi proprias facere intentiones Christi quoad salvandas animas immortales tenetur. Ita vivere et agere debet, ut revera dicere valeat: *Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus.* (Gal. 2, 20). *Exemplum enim dedi vobis,* cum divino Magistro sacerdos quoque in ordine ad fideles subditos dicere audeat.

De clericis prae omnibus valet istud Psalmistae: *Diverte a malo et fac bonum!* (Ps. 33, 15). Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam exteriorem et interiorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere. Vita eorum sit norma laicorum!

Laici clericos sequi obligantur. Pariter enim pertinent ad corpus Christi mysticum. *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* (Gal. 3, 27). Propterea haec sacra Synodus statum quoque laicalem saluberrimis constitutis divertere a malo et convertere ad bonum intendit.

Omnes fideles dioecesanos itaque in Deo obsecramus ac monemus, ut Nobis omnino credant animas suas, ut praeter divina praecepta servent ecclesiastica, insti-

tutiones synodales respiciant et consilia in eorum salutem data prosequantur zelo pio. Sic gradientes non aberrabunt ab *arcta via, quae ducit ad vitam.* (Matth. 7, 14).

Caput CLXXV.

De relationibus parochorum et capellanorum officialibus seu legalibus.

Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. Amen, amen dico vobis: Non est servus maior domino suo, neque apostolus maior est eo, qui misit illum. Si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea. (Ioan. 13, 15—17). His verbis divinus Magister aperit omnibus, qui in vinea Domini operantur, magnum agendi mysterium. Toto tempore vitae suae exhibuit apostolis et omnibus suis discipulis eximia virtutum exempla. In pedum lotione autem animarum pastores ad imitationem duarum virtutum provocat, ad humilitatem scilicet et caritatem opere exercendam, simulque promittit grande praemium: *Si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea.*

Nos quoque valde desideramus, ut huius divini Magistri moniti animarum pastores memores sint. Tunc enim operatio praesertim eorum, qui non soli, sed in communione et cum adiutorio aliorum officiis pastoralibus incumbunt, solido superstruetur fundamento. Quod monitum ne quis ex humana fragilitate negligat, in sequenti singulorum relationes in ordinem redacturi sumus, designando primo relationem inter parochos et capellanos, sicuti iam in capite LII. Synodi dioecesanae anni 1900 fecimus, determinando secundo eandem relationem in specie, constituendo tertio relationes capellanorum ad invicem.

De relatione parochos inter et cooperatores in genere.

Priusquam mutua inter parochum et capellanum relatio in specie, id est in forma contractus, delineari

possit, in genere quaedam praemittenda sunt, quibus contractus tamquam principiis fundetur.

1. Cura pastoralis principalis incumbit parocho. Sicut unus Episcopus praeest dioecesi, ita unus dumtaxat parochus gregi suo proprie praeficitur, qui ipsius curam spiritualem gerat.[1]

Parocho in spirituali subditorum directione et in temporali bonorum ecclesiasticorum administratione principalis in parochia competit locus. Quare et de his et de omnibus adiutorum operationibus in cura animarum Episcopo rationem reddere debet. Quum autem detur beneficium propter officium, ex iustitia parochus omnia munera per se et in sua persona adimplere tenetur, in quantum ipsi possibile est.

Tribus virtutibus tamquam principalioribus praediti esse debent parochi, quarum prima est: *cognoscere oves suas.* Ne negligant morem hunc tam salutarem singulas parochiae suae familias visitandi, attamen cum gravitate, modestia et singulari caritate. Secundo parochi est, *saluti ovium suarum optime consulere.* Omnia, quae valet, adhibebit, ut animas Christi sanguine redemptas salvet. Quia bona, quibus parochi gaudent, a tot et tantis piis personis eis credita sunt non ad luxum aliaque huiusmodi, sed ad gloriam Dei amplificandam, parochus, in quantum potest, etiam in temporalibus oves suas adiuvet. Tertio requiritur a parocho, ut sit paratus, si necessitas postulet, etiam *animam suam pro ovibus ponere.* Tota vita officiis et laboribus pro fidelibus expendatur praestando omnia, quae salutem animarum promoveant.[2]

Parochi ergo est, ut singulari diligentia administret sacramenta, ne quis ipsius culpa sine sacro baptismo aut extrema unctione moriatur. Dominicis diebus et festis illuminet fideles lucerna veritatum aeternarum et dirigat eos praedicatione et catechesi in viam rectam. Tamquam custos vineae Domini vigilet, ne ipso dormiente zizania

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioec. anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Pag. 434. — [2] Acta et constitutiones Concilii provinc. Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Num. 328—330. pag. 217 sq.

seminentur; quae si nascantur, omni studio evellantur. Imprimis sit illi cura de iuventute, de pauperibus, orphanis, pupillis, laborantibus in morbo vel senio. Episcopo obediens cum eo uniatur in regendis animabus, in adhibendis remediis, in exstirpandis vitiis. Acta et sancita Episcopi revereatur et quam diligentissime exsecutioni tradat.

Ex his omnibus colligitur, quam damnanda sit praxis parochi, qui maximam partem operationis suae impendit promovendis rebus oeconomicis et temporalibus, curam animarum autem relinquit cooperatori suo.

2. Hucusque dictis minime repugnat vigens praxis, qua unus vel plures ministri deputari solent, qui vel parochum laborantem sublevent vel eius defectum aut in loco aut in stationibus remotis omnino suppleant. Atqui hi operarii nuncupari solent vicarii, capellani, cooperatores vel adiutores et subsidiarii.

»Amplitudo parochiarum et multiplex genus laborum in parochia plures saepe adiutores parochi requirunt. Hi adiutores vel cooperatores parocho admittuntur ab Episcopo pro diversitate circumstantiarum loci et personarum idoneitate. Episcopo ius competit, tales adiutores ad nutum amovibiles avocandi ab uno loco, eos in alium locum transferendo.«[1]

Episcopi, etiam tamquam apostolicae Sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quantum populus ita numerosus est, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, cogant rectores vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum.[2]

Ex hodierna consuetudine cooperatores, qui ab Episcopo accipiunt iurisdictionem, parochis sine ipsorum interventu ab Episcopo designantur. Haec praxis vigens in Hispania, Gallia, Germania, Austria indigentiis huius

[1] Idem. Num. 345—347. pag. 221. — [2] Conc. Trident. sess. XXI. cap. 4. de reform.

temporis respondet et a sacra Sede approbata est.[1] Quare Episcopus et potest et debet parocho cooperatorem addere, quoties vel necessitas vel evidens utilitas spiritualis fidelium adest, etiamsi parochus repugnet. Qui si in qualitate quadam futuri adiutoris impedimentum bonae pastorationis cernat, vota sua Ordinariatui proponere quidem potest, sed iudicium decisivum de cooperatoris idoneitate competit Episcopo.

3. Cooperatores memores sint, iurisdictionem ordinariam sibi non inesse, sed in adiutorium parochi se vocari. Unde reverentia et subiectione erga parochum tamquam sibi superiorem se gerant eique exhibeant debitum obsequium et diligens subsidium. Inconsulto parocho aut eo invito nihil maioris momenti agant neve innovent. In suo officio ita se exhibere tenentur, ut ipsa actio cooperatorum titulo correspondeat. Si quae necessaria vel proficua aestiment proponenda, modeste et salvo meliore parochi iudicio proferant.

E contra parochi nihil cooperatoribus praecipiant, quod sacris canonibus, liturgiae praeceptis aut legibus dioecesanis adversetur. Sint parochi benigni et benevoli erga adiutores suos tamquam messis suae socios; adiuvent eos consiliis suis et ad animarum totiusque parochiae administrationem sensim instruant.[2]

Parochi sedula ac paterna iuniores sacerdotes caritate amplectantur, eorum defectus mansuete portent eosque exemplis et consiliis ad munia rite obeunda informent. Semel iterumque ac tertio, si necessarium sit, parochus sacerdotem auxiliarem in mansuetudine corripiat, quod si non prosit, rem ad Episcopum deferat.

4. Conservatio *auctoritatis* coram populo maximi est momenti. Quare nec parochus nec eius coadiutor loquantur publice quid iniqui, ne detrahatur honori praepositorum vel alicuius sacerdotis. Cooperatores debitum parocho honorem deferant ac debitam subiectionem prae-

[1] S. Conc. Congreg. die 14. Aug. 1863; die 9. Iunii 1903. — [2] Acta et constitutiones Concilii provinc. Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 222.

stent, eius apud parochianos *reverentiam* tueantur et propagent laboribusque suis vineam Domini ita colant, ut rectorem eum constitutum esse numquam obliviscantur.

Uniformem cum parochis agendi rationem teneant caveantque, ne factis aut verbis ex aestimatione fidelium eis quidquam detrahant; multo magis eos semper honorent ac revereantur eorumque defectus vel errores, si qui sint, coram populo tegant.[1] Ex altera parte parochi quoque omnia omittant, quae cooperatoris auctoritatem in aestimatione fidelium imminuere possint.

Quotiescumque oriuntur lites, quae private componi non possunt, clerici nec in civilibus nec in criminalibus negotiis adeant iudicium laicale. Immo omnes causae tum litigiosae tum criminales clericorum pertinent ad iudicium ecclesiasticum. Contra clericum trahentem alium clericum ad iudices laicos potest Episcopus animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae. Clericus hoc nec per advocatum vel procuratorem licite facere potest. Nec licet clerico in actione aliqua adversus presbyterum propria iura credere laico, quum sic haberetur ceu agens in fraudem legis. Si inter parochianos dissidia exoriantur, capellanus ne patrocinetur alicui parti, sed una cum parocho se exhibeat apostolum reconciliationis ac pacis. Nec eos frequentet, qui se parochi adversarios constituerint.

5. Distributio officiorum ac munerum inter parochos et capellanos necessaria est. Qui habent adiutorem, meminerint, illum esse ministrum, quo parochi uti possint, non ita tamen, ut omnem populi curam et custodiam in illum reiiciant.

Quare et parocho et capellano valent apostoli verba: *Praedica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina!* (II. Tim. 4, 2). *Nam si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit; vae enim mihi est, si non evangelizavero.* (I. Cor. 9, 16).

[1] Idem. Num. 350. pag. 222.

Praecepto divino mandatum est omnibus, *quibus animarum cura commissa est*, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbi divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo eas pascere; pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere et in caetera munia pastoralia incumbere; quae nequaquam ab eis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more eum deserunt.[1]

Quando autem pro eodem tempore fiat collisio officiorum pro uno, alter praestet adiuvamen, e. gr. catecheta ne avocetur a parvulorum institutione scholari, ut administret sacrum baptismatis sacramentum vel provideat infirmos, quando haec per parochum fieri possunt. Curae oeconomicae talibus casibus non excusant parochum a sacramentorum administratione.

6. *Residentiam* praescriptam a sacrosancto Tridentino Concilio[2] et statutis dioecesanis Lavantinis[3] rite observet et parochus et capellanus, ne plebs fidelis unquam careat praesertim in mortis articulo sacris sacramentis et alio pastoris solatio et adiumento. Cooperator absque parochi scitu ne brevi quidem tempore abscedat, verum et parochus suum adiutorem certiorem faciat de suo ex parochia etiam brevi abscessu. Sed etiam in parochia tali semper degant loco, ut per domesticos faciliter inveniri possint.

In deambulatione consueta inter sacerdotes sit collegialitas et paritas. Parochus magis ad vigilantiam et ad residentiam obligatur quam cooperator vi muneris sui. Propterea cooperatori occasionem praebebit ad moderatam recreationem, ad confessionem subeundam, ad amicos visitandos. Tempus exeundi et revertendi tamen semper indicetur et, in quantum possibile est, etiam locus commorationis.

[1] Concilium Trident. sess. XXIII. cap. 1. de reform. — [2] Sess. VI. cap. 1. de reform. — [3] Gesta et statuta Synodi dioec. anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pag. 341. — Actiones et constitutiones Synodi dioec. anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Pag. 498 et 524.

7. In *scholis* instructionem iuventutis in veritatibus religionis et educationem in omni pietate animarum pastor sui muneris esse memor sit. Parochus vigilet, ut institutio catechetica in omnibus scholae classibus, nulla ad hoc a lege determinata hora omissa, fiat sufficienti praeparatione et ardenti zelo. Scholas interdum visitet, non quidem censoris importuni vices gerens, sed potius patris et amici. Si autem aliquod periculum verae fidei vel bonis moribus imminere animadverterit in instructione ex parte magistrorum, prudenter id primo privato interventu removeat.[1] Quod si nihil profuerit, causam deferat per decanum ad Episcopum. Parocho autem non interveniente catecheta eodem modo procedat.

Quia nulla spes persaepe affulget vel emendandae vel in bono stabiliendae parochiae, nisi pueri rudimentis fidei diligenter et assidue imbuantur, parochis vehementer commendamus, ut saltem aliquam partem scholasticae institutionis atque educationis accipiant neve totum hoc onus cooperatori relinquant. Tali modo haud spernendum acquirent medium ad cognoscendas optimeque regendas oves suas.

Hodiernae leges exiguam quidem assignant catechetis remunerationem, quae vi mutuae benevolentiae plerumque cooperatoribus remanet, etiamsi in una alterave classi parochus catechetico munere fungitur. Iuxta leges scholasticas nunc vigentes[2] institutio religiosa in tribus classibus scholarum elementarium inferioribus non remuneratur. Propterea strictum ius ad remunerationem competit solummodo catechetis docentibus in classe quarta vel aliqua superiore. Ne autem inter catechetas lites oriantur, concedimus ac commendamus, ut ubi plures in eadem schola exsistant catechetae, remuneratio dividatur iuxta numerum horarum, quibus unusquisque catechizat.

[1] Acta et constitutiones Concilii provinc. Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Num. 28. pag. 78. — [2] Gesetz vom 20. Juni 1872, R.-G.-Bl. Nr. 86, betreffend die Besorgung des Religionsunterrichtes in den öffentlichen Volks- und Mittelschulen. § 3: Für die Besorgung des Religionsunterrichtes an den höheren Klassen einer *mehr als dreiklassigen* allgemeinen Volksschule ist entweder eine Remuneration zu erteilen oder ein eigener Religionslehrer zu bestellen.

8. *Ordo domesticus* in quavis domo, eo magis autem in sacerdotum habitaculis, necessarius est. Quapropter ordo domus parochialis a cooperatore stricte observandus est. Cooperator suam vivendi regulam ita instituat, ut concordet cum ordine introducto in ecclesia inque domo parochiali. Aliquando quidem accidit, ut improviso vocentur animarum pastores ad officiorum munera, quae sine laesione consueti ordinis expleri haud possunt. Sed generatim omnia opera secundum ordinem fiant. Sic tota vita facilius sanctificabitur. Determinata sit ergo hora recumbendi et surgendi. Naturae necessariam annue quietem, sed sensualitati excessum denega!

Exsurgens a somno mentis tuae oculos ad Deum continuo leva! Beatus ille servus, qui sine mora surgit, dicens: Ecce ego, Domine, quia vocasti me! Decenter indutus, ora voce, ora et spiritu; ad minus semihoram huic sancto exercitio quotidie impende! Oratione peracta ad Missam celebrandam et ad confessiones audiendas te dispone! Peccatores vocandi sunt ad poenitentiam tempore vespertino ante festa et matutino, non solum diebus Dominicis et festivis, verum etiam quotidie. Haec vocatio autem fit confessarii praesentia in confessionali. Si vocare poenitentes et confessiones audire negligis, lupus veniet et disperget oves, refrigescet caritas, abundabit iniquitas.

Horis antemeridianis adimplenda sunt officia in ecclesia, in schola, facienda est praeparatio ad conciones, catecheses, legenda sunt Biblia ac repetendae disciplinae heologicae. Tempore pomeridiano praeter officia status clericalis visitari possunt aegroti, afflicti, pauperes. Ante coenam, si fieri potest, Matutinum et Laudes pro crastina die recita! Sanctissimum visita, piam lectionem ne umquam negligas. Ad prandium appareat cooperator cum parocho statuta hora. Cooperator praevidens impedimentum, quominus fixo tempore ad mensam accedere possit, id semper convenienti hora indicabit. Impedito improvisis muneribus pastoralibus (provisione infirmorum) competit necessarium alimentum, quum revertatur.

9. Omnes sacerdotes erga *famulitium* ita se gerant, prout dignitas et reverentia domus sacerdotalis exposcit. Sanctum sacerdotem nonnisi sancti servi et ancillae decent. Hi subditi sint et prompti ad obediendum, non contradicentes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes. Super eos vigilandum est. Si ex parte illorum aliquid contingat, quod fidelibus scandalo esse possit, coërcenda est eorum iniquitas et malum auferendum de domo parochiali.

Ne sinant sacerdotes feminas ullo modo, sive directo sive indirecto, sese sacris muneribus gerendis aut rebus ecclesiae administrandis immiscere. Pari modo iterum severe prohibemus, quominus coquae et oeconomae cum parochis et illorum cooperatoribus ad eandem mensam assideant et sic testes sint omnium, de quibus parochi cum cooperatoribus necessario quandoque colloqui debent.[1]

Famulitium a parocho assumitur ac dimittitur; ipse enim solus dominatur in domo sua. Cooperator omnes querelas de famulis proferat parocho, persuasus, sibi neque competere ius iudicandi de famulis nec sibi honestum ac decorum esse litigare et contendere cum famulis. Hi tractandi sunt benignitate, suavitate, modestia, patientia, non autem arrogantia et crudelitate.

10. *Pretium sustentationis et alimoniae* in dioecesi Lavantina pro cooperatoribus magnopere variatur. Plerumque enim ratione exiguorum proventuum a parochis hospitum more tractantur, ut pro alimonia ne dimidiam quidem partem solvant. Hanc parochi largitatem ac benevolentiam cooperatores magni aestimare debent et ex sua parte pro parocho varia munia subeant.

Mensa sit coadiutori cum parocho communis nec ullus coadiutor audeat invito Episcopo a domo vel mensa parochi discedere,[2] quoniam *bonum et iucundum habitare fratres in unum.* (Ps. 132, 1). Cooperatores vero meridie et vespere ad mensam communem statuto tem-

[1] Gesta et statuta Synodi dioec. anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pag. 329. — [2] Acta et constitutiones Concilii provinc. Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 222.

pore compareant, sub nullo praetextu motu proprio a mensa vespertina sive coena se retrahant, eo minus abscedant a mensa parochiali in genere neve quid petant ultra aequitatem relate ad mensam sibi competentem. Quod si putaverint, se habere sufficientes rationes a mensa parochiali recedendi, pandant id Ordinario et acquiescant ipsius sententiae.[1]

Iuxta praedictas generales normas determinandae sunt relationes parochi et cooperatoris speciales in forma contractus. Nec licet in contractum aliquid assumere, quod adversaretur expositis principiis. Immo omnia puncta concordent cum decisionibus synodalibus supra expositis.

De relatione parochos inter et cooperatores in specie.

Bonum semen seminavit Christus in Ecclesia, quum dedisset sacerdotibus caritatis mandatum. Ad hanc dilectionem conservandam et dissidia removenda commendamus, ut parochum inter et cooperatores mutua relatio contractu scripto determinetur. Idcirco adoptamus decretum Concilii provincialis Pragensis: »Quo securius autem humanae fragilitati occurramus, legem in singulis dioecesibus vigentem innovantes statuimus, ut inter parochum et cooperatorem conventio fiat in scriptis exaranda, quam Vicarius foraneus — Decanus — sua sententia illustratam ad Ordinarii examen et confirmationem perferet. Quum locorum et adiunctorum diversitas non admittat, ut communi aliqua norma mutua parochum inter et adiutorem relatio stabiliatur, opportuno hoc remedio praecavendum est, ne alteruter labore praegravetur, et ubi plures adsunt adiutores, ut functiones sacrae ex aequo et bono dispertiantur. Haec conventio etiam definiat, quid parochus ad honestam adiutoris sustentationem e proventibus beneficii praestare possit et teneatur.«[2]

[1] Gesta et statuta Synodi dioec. anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pag. 342. — [2] Acta et decreta Concilii provinc. Pragensis anno 1860 celebrati. Pragae, 1863. Tit. VI. Cap. 8. pag. 227 et 228.

»Contractus inter parochum eiusque adiutorem in scripto exarandus et a Vicario foraneo (Decano) addita sua sententia ad Ordinarii examen et confirmationem deferendus est. In conventionis huiusmodi instrumento consignanter exponentur:

a) singula cultus divini et curae animarum officia sive sacri muneris functiones, ad quas peragendas tum ipse parochus tum eius adiutor mutuo se obstrinxerunt;

b) singula emolumenta, quae parochus cooperatori suo praebere voluerit quaeque ad congruentem illius sustentationem domesticam, tum ad assignandam adiutori aequam partem e proventibus stolae aliisve beneficii fontibus spectant«.[1]

Quod decretum Synodi Pragensis accuratius determinantes, cupimus, ut in qualibet parochia, ubi unus pluresve capellani sunt constituti, scripto exaretur contractus, exhibens accuratam determinationem officiorum capellani et consignationem eius proventuum seu emolumentorum, qui a parocho et capellano subscriptus intra quattuordecim dies Consistorio episcopali examinandus et approbandus per Decanum transmittatur. Dies computandi sunt inde a capellani in aedes parochiales adventu.

Decanus deferat contractum una cum sua sententia ad Consistorium in forma epistolae officialis. Quoad emolumenta occasione sacrarum functionum capellano concedenda consuetudo circa parvam, ut vocant, stolam hucusque vigens reservari potest. Quia vero in diversis locis diversa emolumenta nomine parvae stolae comprehenduntur, in contractu definiatur, quid hoc nomine in parochia specialiter intelligatur. Praesenti statuto vero minime derogatur amplioribus capellanorum relate ad stolam iuribus aut diuturna consuetudine aut lege speciali acquisitis.

Nomine parvae stolae communius comprehendi solent: Munera occasione baptismi et reliquorum sacramentorum dari solita, praestationes pro introductione mulieris post partum, suffragia currentia vel commemo-

[1] Acta et statuta Synodi dioecesanae Pragensis anno 1873 celebratae. Pragae, 1873. Cap. XIII. pag. 32.

rationes defunctorum post concionem vel Missam, solutiones pro inscriptione in matricas vel documentis ex iis concipiendis, cereus et stola pro assistentia debita. De suffragiis annuis et suffragiis in festo omnium fidelium defunctorum consuetis inter parochum et capellanum potest conventio iniri.[1]

Iuxta sequens *schema* ut exemplum contractus inter parochum et cooperatorem confici potest:

Contractus,[2]

quem iniit N. N., parochus, cum I. I., capellano in parochia . . . die . . . anno . . .

A. Functiones sacerdotales.

I. Magisterium.

a) In ecclesia habet sermonem diebus Dominicis mane hora . . . parochus, serius hora . . . capellanus; diebus festis mane hora . . . parochus, serius hora . . . capellanus.

Durante provisura parochiae finitimae domi illius est peroratio mane, qui exit in auxilium; ordinarie vices variantur.

In ecclesia filiali N. N. alteram functionem celebrat semper capellanus, in ecclesia filiali I. I. bis celebrat parochus.

[1] Acta et statuta secundae Synodi dioec. Budvicensis. 1872. Budvicii-Bohemorum, 1872. Pag. 21.

[2] **Pogodba,**
sklenjena med N. N., župnikom, in I. I., kapelanom v župniji . . . dne . . . leta . . .

A. Duhovska opravila.

I. Učeništvo.

a) V cerkvi govori ob nedeljah rano ob uri . . . župnik, pozno ob uri . . . kapelan; ob praznikih rano ob uri . . . župnik, pozno ob uri . . . kapelan.

Dokler traja provizura sosednje župnije, govori doma isti rano, ki gre pomagat; navadno se župnik in kapelan menjujeta.

Pri podružnici I. I. ima pozno sveto opravilo vedno kapelan, pri podružnici N. N. pa dvakrat župnik.

Krščanski nauk za vernike ima doma vedno župnik, po vaseh pa kapelan.

Veliko noč popoldne in ob vseh Svetih popoldne govori kapelan. Na Markovo in v prošnjem tednu se menjujeta.

Catechesis fidelium domi est parochi, in vicis autem capellani.

Festo Paschatis et Omnium sanctorum sermo pomeridianus est capellani. Die s. Marci et diebus rogationum vices variantur.

Instructio congregationis iuvenum fit prima Dominica cuiusvis mensis per capellanum, congregationis puellarum secunda Dominica cuiusvis mensis per parochum. Viros specialiter instruit quattuor temporibus parochus, mulieres autem hebdomada sequenti capellanus.

b) Examen paschale virorum ac mulierum instituit parochus, iuvenum ac puellarum autem capellanus. Scholam non frequentantes praeparat ad sanctam confirmationem parochus.

Praeparationem nupturientium reservat sibi parochus.

c) In schola apud ecclesiam catechizabit in prima ac sexta classi parochus, capellanus autem in ambabus scholis externis, domi autem in II. III. IV. V. classi.

II. Sacerdotium.

Diebus Dominicis ac festis parochus Missas celebrabit mane, capellanus serius. Solummodo in die Purificationis, in Dominica Palmarum, Paschatis, Pentecostes et in die Patrocinii, nisi aderit externus sacerdos, serius celebrabit parochus.

Nauke za mladeniško družbo oskrbuje prvo nedeljo v mesecu kapelan, za dekleta pa drugo nedeljo v mesecu župnik.

Možem govori vsake kvatre enkrat župnik, ženam pa teden pozneje kapelan.

b) Pri velikonočnem izpraševanju govori možem in ženam župnik, mladeničem in dekletom pa kapelan.

Za birmo pripravlja takovšne, ki ne obiskujejo šole, župnik.

Poduk ženinov in nevest si pridrži župnik.

c) V šoli doma prevzame katehezo v prvem in VI. razredu župnik, obe podružni šoli pa oskrbuje kapelan, doma pa II. III. IV. V. razred.

II. Mašništvo.

Rane svete maše ima ob nedeljah in praznikih župnik, pozne pa kapelan. Le na svečnico, cvetno nedeljo, veliko noč in binkoštno nedeljo ima župnik pozno in pa na patrocinij, ako ne more dobiti tuje pomoči.

Infra hebdomadam parochus celebrat hora sexta, capellanus autem hora semiseptima; tempore hiemali autem uterque hora dimidia serius.

Missas pro fausta tempestate in ecclesia filiali celebrabit capellanus.

Missae »Rorate« celebrantur a parocho, Missae mense Maii autem a capellano, hora semisexta matutina.

Suas quisque fundationes persolvit.

Vesperas pro populo diebus Dominicis et festis habebit parochus, ante has dies tempore vespertino autem capellanus.

Officium assistentiae est capellani festo Purificationis, Dominica Palmarum, triduo hebdomadae sanctae, die Patrocinii in ecclesia parochiali et semel in parochia, unde advenit auxilium pro Patrocinio.

Administratio sancti baptismatis competit parocho ordinarie, ipso praepedito autem capellano.

Provisio infirmorum est capellani, nisi expresse parochus desideratur. Capellano catechizante in schola provisionem infirmorum suscipit parochus.

Sanctissimum Eucharistiae sacramentum quilibet post Missam celebratam administrat; secus autem, quandocumque illud a fidelibus desideratur.

Matrimoniis contrahendis aderit parochus.

Processiones domi dirigit parochus, ad ecclesias filiales autem capellanus. Ad proximam parochialem ec-

---

Ob delavnikih mašuje župnik ob šestih, kapelan pa ob pol sedmih; po zimi pa oba pol ure pozneje.

Vremenske svete maše pri podružnici služi kapelan.

Svitance ima župnik, šmarnice pa kapelan, ob polšestih zjutraj.

Ustanovne svete maše opravita vsak svoje.

Večernice popoldne ob nedeljah in praznikih ima župnik, ob večerih pred nedeljami in prazniki pa kapelan.

Kapelan mora asistirati na svečnico, na cvetno nedeljo, veliki teden, ob patrociniju doma, in po enkrat v sosedni župniji, ako prihaja od tam tudi pomoč.

Krsti redno župnik; če je zadržan, pa kapelan.

Na izpoved gre kapelan, ako ljudje izrečno ne želijo župnika. Kadar je pa kapelan v šoli, gre vsekdar župnik izprevidet bolnike.

V cerkvi po vsaki sveti maši obhaja isti, ki mašuje; drugače pa vsak, kadar verniki želijo.

Poroke ima župnik.

clesiam quotannis instituitur processio, quam parochus diriget.

Adultorum sepulturae ita dividuntur, ut tertia quaeque cadat in capellanum, quando adsit solummodo unus sacerdos. Infantium sepulturae omnes sunt capellani. Missas *Requiem* legit sepeliens.

III. Regimen.

Congregationes virorum ac puellarum dirigit parochus, mulierum ac iuvenum autem capellanus. Praeter confraternitates sacratissimi cordis Iesu et purissimi cordis Mariae, quas administrat capellanus, omnium administratio subest parocho.

In visitatione infirmorum valeat principium: Neutri sit prohibita visitatio personarum ab altero visitatarum. Visitationes ex condicto distribuentur.

Cura haereticorum, conversorum, dementium est parochi, incarceratorum autem capellani.

Directio bibliothecae parochialis et societatis excolentis iuventutem est capellani, cura autem cassae parsimonialis (Raiffeisenkasse), in quantum licita est, parochi.

Capellano licet saltem bis per hebdomadam tempore libero intrare cancellariam parochialem, ut inspiciat inscriptiones libri baptismalis, matrimonialis, defunctorum, confirmatorum, sicuti indicem variarum confraternitatum. Parocho dirigente liceat ei inscribere necessaria, imprimis functiones a se perpetratas.

Copiarum transscriptionem suscipit capellanus.

Procesije vodi doma vedno župnik, k podružnicam pa kapelan. Tudi v sosedno župnijsko cerkev gre vsako leto enkrat procesija. Le-to vodi župnik.

Pogrebe odraslih si delita tako, da je vsak tretji določen vodstvu kapelanovemu, kadar se zahteva samo en duhovnik. Otroke pokopava vse kapelan. Mrtvaško sveto mašo ima isti, ki pokopava.

III. Vladstvo (regimen).

Marijine družbe mož in deklet vodi župnik, žen in mladeničev pa kapelan. Razen bratovščine srca Jezusovega in Marijinega, ki jih oskrbuje kapelan, so vse bratovščine v župnikovem vodstvu.

Za obiskovanje bolnikov veljaj načelo, da nobenemu ni zabranjeno iti k osebam, ki jih je že drugi obiskal. Obiski pa se razdelijo po dogovoru.

Skrb za krivoverce, izpreobrnjence, umobolne prevzame župnik, za jetnike pa kapelan.

Ordo domesticus: Ientaculum iugiter paratur Missa persoluta, prandium hora duodecima et quadrante, coena tempore aestivo est vespere hora septima, tempore hiemali hora sexta. Ianua domestica clauditur tempore hiemali hora nona, tempore aestivo hora decima. Claviger est parochus vel eius vicem gerens.

Alterutro aegrotante alter alterum adiuvat in omnibus functionibus, in quantum fieri potest, ita, ut alter alterius vices gerat.

B. De rebus oeconomicis.

Rationem computabimus quovis mense, solummodo quoad nonnullas positiones quartaliter. Iuxta computationem solvendum est infra quattuordecim dies.

I. Domicilium.

a) Capellani habitaculum est una camera in domo parochiali. Huc pertinet cella pro conservando vino, pro lignis, pars spatii sub tecto, hortus floralis.

Capellanus horto parochi uti potest ad deambulandum et umbraculo hortensi.

In capellania pertinet ad inventarium scrinium librarium, quo quivis capellanus uti potest pro suis libris.

Vodstvo župnijske knjižnice in izobraževalnega društva prevzame kapelan, skrb za posojilnico (Rajfeisnovko), vkolikor je to dovoljeno, pa župnik.

Kapelan sme vsaj dvakrat v tednu, kadar je prost, priti v župnijsko pisarno ter si ogledati vpisovanje v krstno, mrtvaško, poročno knjigo, birmski zapisnik kakor tudi imenike raznih bratovščin. Po župnikovem navodilu sme tudi potrebno vpisati, zlasti opravila, ki jih je sam izvršil.

Prepis kopij prevzame kapelan.

Hišni red: Zajtrk je vselej po sveti maši, obed četrt na eno, večerja je po letu ob sedmih, po zimi ob šestih.

Hišna vrata se zaprejo po zimi ob devetih, po letu ob desetih. Ključ ima gospod župnik ali njegov zastopnik.

V slučaju bolezni si medsebojno pomagata pri vseh opravilih, kolikor se da to doseči, tako, da drug drugega nadomešča.

B. Gmotno stanje.

Obračunila bova mesečno, le izjemno pri nekaterih postojankah četrtletno. Kar kaže račun, to se mora tekom 14 dni tudi izplačati.

I. Stanovanje.

a) Kapelanovo stanovanje obsega v župnišču eno sobo. K temu spada vinska klet, drvarnica, del podstrešja in vrtič za cvetlice.

Ex favore ei parochus concedit liberum aditum ad sua folia periodica in coenaculo et usum bibliothecae parochialis.

b) Prandium ac coena est utrique communis.

Ientaculo est cafeum cum pane . . . K . . h

Prandio est iusculum cum carne bubula ac duplici esca secundaria, nonnumquam caro assa . . . K . . h

Coena constat carne assa cum lactuca sativa vel coctis frugibus . . . K . . h

Vinum ad prandium ac coenam: semiliter . . . K . . h

Quotidie . . . K . . h

c) Pro servitio solvit capellanus non famulis, sed parocho quovis mense . . . K . . h, mercem lavationis . . . K . . h, pro calefactione cellae . . . K . . h.

Famulis solvit parochus.

Capellano aegrotanti iuxta possibilitatem praebebitur victus commendatus a medico mercede ordinaria, nisi morbus perdurabit supra unum mensem. Medicus ac medicinae cedunt in sumptus capellani. Pro famulatu meliore non plus requiretur.

Kaplan sme rabiti tudi župnikov vrt za izprehode in vrtno utico. V kapelaniji je inventarna omara, ki jo lahko vsakratni kapelan porabi za knjige. Župnik mu iz prijaznosti tudi dovoli, da sme hoditi v obednico brat župnikove časnike in rabiti župnijsko knjižnico.

b) Obed je skupen, ravno tako tudi večerja.

Za zajtrk se daje kava s kruhom . . . K . . h

Opoldne juha z govedino in dvojno prikuho, včasih pečenka . . . K . . h

Za večerjo pečenka z zelenjavo ali s kuhanim sadjem . . . K . . h

Opoldne in zvečer pol litra vina . . . K . . h

Na dan . . . K . . h

c) Za postrežbo plača kapelan ne družini, ampak župniku mesečno . . . K . . h, za perilo . . . K . . h, za kurjavo mesečno . . . K . . h.

Uslužbence plača župnik.

Za slučaj bolezni se postreže kapelanu, kolikor je mogoče s hrano, ki jo zdravnik priporoča, in za navadno ceno, ako bolezen ne traja nad en mesec. Le zdravnika in zdravila si plača kapelan sam. Tudi se za boljšo postrežbo ne bo več računilo.

II. Dohodki.

Kapelan dobiva:

1. Iz davkarstva mesečno . . . K . . h.
2. Iz cerkvene blagajne mesečno . . . K . . h.

II. Proventus.

Capellanus acceptat:

1. Ex aerario publico quovis mense . . . K . . h.
2. Ex ecclesiae dotatione quovis mense . . . K . . h.
3. Reditus pro excerptis ex libris matricis factis a se ipso.
4. Omnia, quae accipit occasione baptismi, introductionis mulierum post partum, copulationis matrimonialis.
5. Partem ex provisura parochiae finitimae.
6. Partem proventuum ex vacatione secundi capellani.
7. Ex ecclesiae fundationibus quotannis . . . K . . h.
8. Partem taxae pro equo.
9. Totam liberam collecturam frumentariam ac vinariam.
10. Dimidias taxas viae crucis.
11. Pro qualibet sollemni functione in ecclesiis filialibus . . . K . . h.
12. Tertiam partem munerum in die omnium fidelium defunctorum.
13. Remunerationem pro schola filiali quotannis . . . K . . h.
14. Parocho regulariter solvendae sunt a fidelibus omnes intentiones pro persolvendis sacris. Quolibet sabbato ab eo accipit capellanus pro proxima hebdomada eodem pretio ac ordine, quo in libro intentionum parochi in acceptatione inscriptae sunt, necessarias intentiones.
15. Proventus e capellaniae vinea, quam capellanus propriis sumptibus colit.

---

3. Pristojbine matičnih izpiskov, ki jih napravi sam.
4. Vse, kar dobi on pri krščevanju, vpeljavanju, pri porokah.
5. Del soprovizure sosednje župnije.
6. Del dohodkov nenameščenega II. kapelana.
7. Iz cerkvenih ustanov celoletno . . . K . . h.
8. Del prispevka za konja.
9. Celo prostovoljno žitno bernjo, kakor tudi vinsko.
10. Polovico križevih potov.
11. Za opravila pri podružnicah vsakikrat po . . . K . . h.
12. Od darov na dušno tretji del.

16. Promulgationes, quas capellanus proxima Dominica vult publicas fieri in ecclesia pro collectura, intentionibus, discipulorum confessionibus aliisque huiusmodi, scripto exaratas parocho saltem usque ad meridiem sabbati reddere debet.

17. Stola sepulturae ad parochum pertinet.

18. In dubio de persona mercedem acceptura, valet principium s. Pauli: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* (I. Cor. 3, 8).

Hic contractus vim praecepti non habet, sed solummodo tamquam exemplar contractui conficiendo inserviat. Quilibet contractus quoad suas singulas partes aliter evadet. Omnibus enim contrahentibus variae circumstantiae respiciendae sunt. Plures fortasse breviore contractu contenti erunt, nonnullis autem uberior eiusdem explicatio necessaria erit. Singulae contractus partes variabuntur propter speciales contrahentium indoles, ob peculiares locorum et ecclesiarum exigentias, propter diversa media curae animarum, ob progressum vitae socialis, quae fluxu temporis et loci diversitate novas inducunt relationes inter animarum pastores. Quis non novit, quomodo res oeconomicae (pretium victus) hodiernis temporibus differant ab eis, quae erant mediis decenniis saeculi praeteriti? Ex his omnibus patet, Nos supra allato contractus exemplo nequaquam legem aliquam generalem, sed modum tantum ad contractum exarandum indicasse.

---

13. Odškodnino za pot k podružni šoli letno . . . K . . h.

14. Župnik sprejema vse intencije, pa jih daje vsako soboto kapelanu za prihodnji teden po sprejetem znesku in po isti vrsti, kakor so v župnikovem zapisniku pri sprejetju vpisane.

15. Pridelki kapelanijskega vinograda, katerega kapelan na lastne stroške obdeluje.

16. Oznanila, ki jih kapelan želi povedati naslednjo nedeljo v cerkvi za bernjo, za svete maše, šolske izpovedi in pobožnosti, mora kapelan oddati pismeno vsaj do sobote dopoldan.

17. Pogrebna štola je župnikova.

18. V dvomu, čegava je nagrada, velja načelo sv. Pavla apostola: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* (I. Cor. 3, 8). Ta pogodba ne velja kot zapoved, ampak samo kot vzorec, kako se pogodba naredi. Vsaka pogodba bo v svojih posameznih delih drugačna. Vsi, ki sklepajo pogodbe, se morajo ozirati na razne okolnosti. Mnogi bodo morda

De relationibus inter cooperatores ad invicem.

Relatio mutua inter cooperatores sub duplici respectu considerari potest: Primo inter duos vel plures cooperatores, qui eodem tempore servitio eiusdem ecclesiae parochialis addicti sunt, secundo inter cooperatorem antecessorem et successorem.

a) Relatio *inter cooperatores*, qui *eodem tempore* eidem ecclesiae inserviunt, similis evadit ei, quae est inter parochum et coadiutorem. Quare plurima supra dicta etiam huc spectant. Vigeat itaque inter capellanos pacis studium et caritatis perfectio; sint sibi mutuo aedificationi, auxilio et honori, numquam invicem in eis, quae ad ministerium sacrum pertinent, invidiose aemulantes, sed supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. (Ephes. 4, 2. 3).

1. Concilium provinciale Pragense (1860) statuit, »ubi plures adsunt adiutores, ut functiones sacrae ex aequo et bono dispertiantur«.[1] In Nostra quoque dioecesi capellani dividant sua munera, ne quis labore praegravetur. Cuiuslibet munia ita in contractu cum parocho designentur, ut inde pateat, quae pertineant ad primum, quae ad secundum vel tertium cooperatorem. Hebdomadarius stricte adimpleat sua officia. Quum aliquis morbo afficiatur, ab altero suppleatur. Natu maiores adiuvent iuniores suis consiliis et sciant, eos esse sacerdotio Christi insignitos et laboris sui aeque ac messis socios. In hoc cognoscent omnes fideles in capellanis ministros Christi, si dilectionem habuerint ad invicem.

zadovoljni s krajšo pogodbo, drugi pa jo bodo morali obširneje sestaviti. Posamezni pogodbeni deli se bodo razlikovali zaradi posebnih lastnosti tistih, ki sklepajo pogodbo, zaradi posebnih krajevnih in cerkvenih potrebščin, zaradi raznih sredstev v dušnem pastirstvu, zaradi napredka družabnega življenja, kar povzroča tekom časa in po krajevni razliki novo razmerje med dušnimi pastirji. Komu je neznano, kako se gospodarske zadeve (cena živil) današnjega časa razlikujejo od tistih, ki so bile v srednjih desetletjih prejšnjega stoletja? Iz tega je razvidno, da vzorec zgoraj omenjene pogodbe ni splošen zakon, ampak da smo z njo označili le način za narejanje pogodbe.

[1] Acta et decreta Concilii provinc. Pragensis anno 1860 celebrati. Pragae, 1863. Pag. 228.

2. Quemadmodum de officiis, ita et de emolumentis participes fiant cooperatores iuxta mensuram fraternae caritatis. Quapropter laudandus est mos apud nos introductus, quo capellani omnes reditus stolae albae (munera occasione baptismi, introductionis mulieris post partum et alia) mittunt in armarium commune, ut ex eo quovis mense quilibet cooperator accipiat parem partem. Tali modo proceditur etiam, quando unus vel alter morbo conflictetur vel recreationis causa peregrinetur. Caeterum autem valeat illud apostoli (I. Cor. 9, 11): *Dignus est operarius mercede sua;* et unusquisque accipiat iuxta copiam laborum suorum. Reditus cuiuslibet cooperatoris pateant ex contractu cum parocho inito.

b) Relationes *inter cooperatores antecessores et successores* pariter respiciunt et spiritualia et mere temporalia.

1. Quum Ordinario ius competat, parochorum adiutores avocandi eosque aliis ecclesiis assignandi, quod nonnumquam inopinate fieri debet, remanent interdum munia spiritualia explenda (Missae fundatae, celebranda sacrificia, viae crucis, processiones, instructio unius alteriusve hebetis et multa alia). De his antecessor successorem certiorem reddat, ne fideles se deceptos esse putent et in fiducia ad suos pastores concutiantur. Magno quoque subsidio successori erit, si instruatur de indole populi, scholae magistrorum, discipulorum, de progressu pietatis, de vitiis grassantibus, de omnibus adiumentis et impedimentis boni animarum regiminis.

2. Quoad *temporalia* haec observanda sunt: Antecessor successori pro explendis functionibus spiritualibus tantum solvat, quantum ipse accepit. Quando autem remanent officia obeunda, quae antecessor aut gratis aut minimo tantum pretio personaliter adimplere debuit, successor ad ea suscipienda non tenetur. Caeteri reditus (congrua, collectura tritici vel vini etc) dividantur iuxta mensuram temporis, quo quisque illo loco constitutus est. Computatio fit a calendis Maiis. Ad remunerationes pro institutione catechetica vel viae distantia successor

solum pro rata temporis, quo illo munere fungitur, accipiat ius, non autem pro tempore libero (feriis magnis).

Aliquando accedunt cooperatoribus reditus ex aliquo beneficio e. gr. fundo, vinea. Quum pro his persaepe expensae iam initio anni civilis necessariae sint, ad percipiendos fructus illius anni computatio fiat a calendis Ianuariis, non Maiis. Acquisitio talis beneficii plerumque propter tributa tunc solvenda cooperatori tantum onus imponit, quantum is illo anno nullo modo portare possit. Praeterea nulla firma spes illi affulget fructus illius beneficii percipiendi (est enim ad nutum amovibilis), quapropter tales sumptus necessarii (e. gr. in vinea regeneranda, domo reparanda) distribuantur in certum numerum singulorum annorum, ita ut illorum partem quilibet cooperator ex suis reditibus solvere possit. Haec sumptuum divisio autem fiat per parochum. Casus contentiosi deferantur per decanum ad Ordinarium.

Concordiam et pacem inter clericos expostulat paterna caritas Episcopi in adiutores suos et mutua Cleri observantia in Episcopum. Concordiam et unanimitatem flagitat finis communis, qui situs est in salute animarum, iunctis studiis ac viribus unitis quaerenda. *Sectamini ergo caritatem, aemulamini spiritualia!* (I. Cor. 14, 1). *Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi!* (Gal. 6, 2).

Caput CLXXVI.

De cura pastorali adultorum iuvenumque in carceribus.

Animarum pastores in iudicio universali prolata sententia Filii hominis, commemorantis merita, audient illud Matthaei: *In carcere eram, et venistis ad me.* (Matth. 25, 36). Mirantes vero pastores interrogabunt iudicem, non tam verbis, quam sensu et admirationis affectu: *Quando te Domine vidimus . . in carcere et venimus ad te?* (Matth. 25, 37. 39). *Et respondens Rex dicet illis:*

Amen, dico vobis; quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. (Matth. 25, 40).

Haec divini Magistri verba animo volvens s. Paulus apostolus admonuit primos christianos: *Mementote vinctorum, tamquam simul vincti!* (Hebr. 13, 3). Ecclesia iam initio suae exsistentiae propter vehementes paganorum persecutiones plures habuit fideles in carceribus. Ut eorum miserae sorti occurreret, specialem eis curam tum ex officio tum ex caritate exhibuit. Diaconos ac diaconissas mittebat ad eos, qui omni modo praesertim autem sanctissima Eucharistia eos laetitia ac consolatione afficerent. Ob continua bella in imperio romano plurimi in captivitatem redacti sunt, ad quos redimendos Episcopi collectas in territoriis suis ordinabant, saepius autem sua propria bona venumdabant, quo necessariam pecuniam ad redimendos captivos acquirerent. Captivos et incarceratos oratione quoque fidelium ac reditibus ex bonis ecclesiasticis adiuvabant.

Concilium Aurelianum (511) mandavit redemptionem captivorum, et alterum eodem loco anno 519 celebratum admonuit archidiaconos, ut diebus Dominicis visitarent carceres et captivorum indigentiis consulerent. Idem flagitabant capitularia Caroli Magni. Ecclesiae impulsu in imperiis christianis leges, incarceratos respicientes, mitigatae sunt. Iam a Valentiniano I. (367) concessa est incarceratis »Indulgentia paschalis«, quo edicto tempore ieiunii quadragesimalis ac tempore paschali omnes captivi libertatem recuperarent.

Saeculis praeteritis magni momenti erat Ecclesiae ius asyli ac Episcopi ius intercessionis, vi cuius criminosus rogante Episcopo vel mitiore poena (saltem non poena mortis vel mutilationis) afficiebatur vel cum iudicis saecularis consensu poenitentiis dumtaxat ecclesiasticis subiiciebatur.

Inde a saeculo XV. imprimis romani Pontifices saluberrimas leges intuitu incarceratorum ediderunt, secundum quas caeterae respublicae Europae omnimodam reformationem in captivorum cura introduxerunt. Inter

Pontifices romanos Eugenius IV. (1435), Paulus III. (1548), Paulus V. (1611), Innocentius X. (1655) plura nova dederunt decreta, quibus poenae exsecutio valde mitior evaderet. Clemens XI. autem aedificio »San Michele« exstructo (1703) omnimode novas indicavit vias ad tractandos criminosos. Praecipiendo enim, ut singuli seorsim, in quantum esset possibile, habitarent, ut ad laborem cogerentur, ut silentium observarent, modernae praxi viam pandit. Ex eius sententia carcerum finis in eo ponitur, ut criminosi in iis instructione et educatione ad honestam vitam perducantur. Quapropter commemorato aedificio inscriptiones dedit: *Probos efficias disciplina! Perditis adolescentibus corrigendis instituendisque, ut, qui inertes oberant, instructi reipublicae serviant.* Clemens XII. simile aedificium exstruxit pro criminosis mulieribus, Pius IX. autem pro adolescentibus.

Ad mitigandam sortem captivorum in Italia, Hispania, Gallia speciales domus misericordiae inde a saeculo XIII. inveniuntur. Tales erant e. gr. *Pia casa de misericordia* Pisae, *Casa della pietà* Venetiis (1335). Earum impulsu ac plurium religiosorum ordinum ac fraternitatum labore in carceribus degentes et sacrificii Missae et sacramentorum et religiosae instructionis participes fiebant. Ex piis fraternitatibus in Italia primae associationes saeculares ad sublevandos incarceratos oriebantur e. gr. Augustae Taurinorum 1823, Genuae 1825 posteaque ad nos quoque venerunt. Maximam curam incarceratis exhibuit s. Carolus Borromaeus in sua archidioecesi.

Secundum Christi et Apostoli monitum et Ecclesiae agendi modum per saecula praeterita quilibet animarum pastor vi officii sui et ex caritate curare debet, ne quis fidelium adolescat carceri, perveniens autem in carcerem ne careat pastorali sollicitudine, dimissus tandem ex carcere ne iterum pereat, sed fiat bonum Ecclesiae ac reipublicae membrum.[1]

[1] K. Kraus, Im Kerker vor und nach Christus. Freiburg, 1895. — G. Behringer, Die Gefängnisschule Leipzig, 1901. — P. Jakobs, Besserung des Verbrechers und Bekämpfung des Verbrechens. Düsseldorf, 1889. — N. Fuchs,

De cura prophylactica.

Multimoda crimina ac delicta viam sternunt ad carcerem. Pastoris est ea omnibus viribus prohibere mediisque aptis removere. Inter fontes delictorum ac criminum numeranda sunt:

1. *Irreligiositas*, quae corrumpit mores et totam vitam. Hodiernis quoque temporibus multi Deum non sicut Deum glorificaverunt. Propterea obscuratum est insipiens cor eorum. »Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum«. (Rom. 1, 28—30). Huc pertinent varii errores nostri temporis, sicut materialismus, indifferentismus, oppugnatio omnis auctoritatis.[1]

2. *Ebrietas* est mater multorum vitiorum, radix criminum, origo flagitiorum et egestatis, ruina animae et corporis. Arte statistica comprobatur maximam partem omnium criminum oriri ex ebrietate, sic in Borrussia 70%, in Belgio 75%, in Anglia circa 80%, similiter in Gallia, Hollandia, America septemtrionali.[2]

3. *Luxuria*, ex qua procedunt furta, fraudulentiae, periuria, parricidia, rixae et alia crimina.

4. *Acedia* sive vulgo pigritia, inordinata quaedam tristitia et importunum studiosae operationis taedium. Huic coniungitur mendicitas et vagatio. Acedia aperit portam innumerabilibus daemonis tentationibus, qui ex instituto accedit, ut animam inhabitet, quam invenit otiosam et vacantem, secum adducens septem alios spiritus nequiores se. (Luc. 11, 26). Pigros adducunt desi-

Die Gefangenenschutztätigkeit und die Verbrecherprophylaxe. Berlin, 1889. — Dr. Josef Kaserer, Handbuch der österreichischen Justizverwaltung. Band I.—IV. Wien, 1882.

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioec. anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Pag. 279. — [2] Idem. pag. 286. — Ecclesiae Lavantinae Synodus dioec. anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pag. 263.

deria ad furtum, raptum, irruptionem violentam, latrocinium. Haec vitia sequitur totalis moralis corruptio.

5. Latam viam ad carcerem pandit *socialismi* perversitas in doctrinis religiosis, moralibus, socialibus.

6. Varii *morbi sociales*, qui in societate habituales, in individuis autem actuales comparent ita, ut in pluribus grassantibus delictis familia, schola, circumstantiae locales comparticipes evadant.[1]

Quilibet pastor animarum, adimplens officia sacri sui muneris, praesertim minuendo peccata, homines arcet a carcere. Hunc in finem tendit principaliter omnis cura animarum, ut homines in iuventute et etiam in provectiore aetate deterreantur a transgressione voluntatis divinae, promulgatae legibus et praeceptis divinis, ecclesiasticis, naturalibus. Tali modo omittuntur actiones, quae in foro ecclesiastico peccata, in foro reipublicae autem crimina ac delicta nuncupantur ac carceris poena mulctantur.

Haec *generalis cura* pro salute iuvenum adultorumque non semper sufficit, ut arceantur a carceribus. Nascuntur enim tanta pericula talesque occasiones, in quibus praesertim nonnulli tentationibus vix resistere possint. Quare praeter generalem *specialis* quoque *cura* adhibenda est, ut iuvenes et adulti arceantur a peccatis et periculis supra memoratis et etiam ab omnibus, quae iudex laicalis poenis prosequitur. Ubicumque animarum pastor talia pericula animadvertit vel propriam indolem propter malam educationem vel alias circumstantias perspicit v. gr. in malo consortio, lectione perversa, frequentatione tabernarum, nocturnis ambulationibus, dissipatione bonorum, statim facta prognosi aptis mediis malo occurrat. Huc spectat illud: Principiis obsta!

In concionibus et in catechesi, in ecclesia et in schola, in publicis et privatis conventibus admoneat pastor auditores, comminando eis non tam iudicium humanum cum poenis terrestribus quam iudicium divinum,

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioec. anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Pagg. 277 sqq.

quod non tantum externa verba ac opera imputat, verum etiam intimas cogitationes et intentiones, iudicium, quod nemo evadere, quod nemo fallere potest. Sanae doctrinae accedat in pastore assidua vigilantia et seria disciplina iuxta illud Apostoli: *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes!* (I. Thess. 5, 14).

Quo melius ergo vitia supra nominata tamquam principia criminum ac delictorum oppugnamus, eo plures liberamus a carceribus. Praeprimis autem omnem curam *iuventuti* impendere debemus. Nihil magis praecludit viam in carceres, quam institutio religiosa et moralis iuxta normas fidei christianae. Et quum hodiernis temporibus plures familiae et scholae has christianae fidei normas reiiciant, Ecclesiae influxui saluberrimo se subtrahant, tam enormis evasit incriminatorum numerus, ut respublica plures associationes (Vereine für Kinderschutz und Jugendfürsorge) fundaret, quibus neglecta iuventus in via recta conservaretur et removeretur a carceribus.[1]

Tribus modis hae associationes finem suum assequi student. Alumnos suos aut tradunt educandos honestis familiis aut mittunt eos in instituta vel domos educationis aut suscipiunt eos in separatam invigilantiam loco, ubi hucusque degerunt.

Hae associationes in dioecesi Lavantina introductae sunt sub patrocinio potestatis iudicialis in quacumque sede iudiciali non solum in urbibus, sed etiam in oppidulis vel foris. Finem suum autem nullo modo attingere possunt absque Ecclesiae adiutorio et cooperatione. Quapropter valde desideramus, ut omnes animarum pastores cooperentur. Tali modo cohibent, quominus adolescentes tradantur educationi infensae religioni, et efficere possunt, ut liberi accipiant religiosam institutionem et educationem, quam persaepe pastor propriis mediis assequi nequit.

---

[1] Tätigkeitsbericht des Jugendfürsorgevereines für Tirol. Innsbruck 1905/06. — Blätter für Armenwesen und Jugendfürsorge. Graz, 1912.

De cura inclusorum in carcere.

Prophylactica cura multa quidem crimina ac delicta, sed propter hominum imbecillitatem et improbitatem non omnia mala avertere potest. Quo fit, ut haud pauci in ius vocentur et in carceribus iustam poenam luant. Bona mater Ecclesia de iis tamen non desperat nec eos deserit, sed iuxta Christi et apostolorum monitum materna dilectione visitat in carceribus. Huc vocat suos pastores, ut quaerant oves perditas easque omnes reducant ad Christum eoque ipso eas reddant utilia membra societatis humanae. Quae, enucleate exponenda, ut eo magis pateant, agendum est de *persona pastoris*, *de variis criminosis*, *de fine huius curae deque aptis mediis* ad hunc finem attingendum.

De pastore eorum, qui sunt in carcere.

Cura animarum, quae versatur circa homines criminosos et facinorosos, a pastore eximiam caritatem, prudentiam, experientiam et scientiam expostulat. Ei necessaria est perspicua cognitio animae humanae, influxus peccati eiusque exitiosum incrementum, notitia vitae humanae eiusque periculorum. Haec omnia eo magis ipsi sunt necessaria, quum ei agendum sit cum hominibus astutissimis, vaferrimis, simulantibus pietatem, innocentiam, conversionem in melius, quibus appetunt quaedam commoda, imprimis abbreviationem et levamen poenarum.

Pastor porro cognoscere debet subditorum qualitates intellectuales et morales, itidem circumstantias externas eorum vitae domesticae et praesertim relationem de eorum vitae curriculo. Ad hoc acta iudicialia praestant aliquod adiuvamen, sed non omnino sufficiens. Accedere enim debet propria observatio et conversatio. Saepe enim criminosus aliter loquitur cum animarum pastore, aliter cum iudice. Quapropter acta aliquando fallere possunt.

Denique pastor, etiamsi brevi tantum tempore curam gerit incarceratorum, sufficientem cognitionem decisionum ac legum tum ecclesiasticarum tum civilium

sibi parare debet. Carceres sunt instituta reipublicae cum propriis ordinibus officiorum domesticorum (Dienst- und Hausordnungen). Pastori satis amplum operationis concedunt spatium. Quod ne transgrediatur, caveat, ut mutua inter eum et officiales reipublicae relatio sit optima et directa in bonum commune.

In dioecesi Lavantina exsistit unus caesar.-reg. carcer virorum Marburgi (K. k. Männerstrafanstalt Marburg) cum proprio animarum pastore virorum ac iuvenum hac domo inclusorum. Eius iura ac officia determinantur praescriptionibus[2] officialibus caes.-reg. Ministerii pro iustitia de die 26. Decembris 1888:

§ 79. Romano-catholico animarum curatori pro captivis suae confessionis sacra celebranda, sacramenta administranda, institutio religiosa impertienda et religiosa ac moralis directio catholicorum incarceratorum procuranda est.

§ 80. Catholicus animarum curator subest respectu functionum pastoralium suis ecclesiasticis praepositis, respectu servitii supremo directori et caeteris praepositis carceris. In servitio praescriptis magistratuum huius carceris sicuti exsistentibus directivis et legibus ligatur.

Hic animarum curator pertinet ad officiales carceris, habitat in eadem domo cum his et accipit salarium a gubernio.

In reliquis carceribus totius dioecesis Lavantinae cura animarum propter parvum numerum incarceratorum geritur a parochis vel eorum cooperatoribus. Ex sensu iuris canonici captivi subsunt iurisdictioni parochi, in cuius ambitu est carcer, nisi propter magnum numerum proprio gaudent pastore. Propter Christi et apostolorum monitum et exemplum sacerdotum omnium saeculorum animarum pastores etiam apud nos magno fervore ac singulari caritate prosequuntur animarum salutem incarceratorum eisque assistunt religiosa institutione, sacramentorum administratione et sanctissimo sacrificio. Cura ani-

[2] Hausordnung und Dienstvorschriften für die k. k. Männer-Strafanstalt Graz, Marburg. 1889.

marum ad *omnes* extenditur, maxime autem ad eos, qui tot et tanta peccata perpetraverunt, ut manus iustitiae brachii saecularis evadere non possent. Ubi est ergo Christi discipulus, qui filios prodigos in carceribus non paterna caritate ac benignitate sublevet et visitet ad eos in libertatem filiorum Dei et Ecclesiae reducendos?

Haec principia agnoscit etiam gubernium, concedendo animarum pastoribus licentiam visitandi incarceratos eosque mediis religiosis reddendi membra utilia societatis humanae. Iam die 6. Iunii 1811 decrevit gubernium civile: »Sua Maiestas gratissime ordinare dignata est, ut in omnibus carceribus criminalibus regularis institutio religiosa introducatur. Quum haec institutio criminosorum captivorum, in parochia exsistentium, pars sit generalis curae animarum, quae ubique pertinet ad parochum . . . et ubique pauci tantum exsistant in custodia criminosi, quorum institutio cum reliquo officio parochiali haud difficulter suscipi possit, haec institutio religiosa omnibus parochis, in quorum finibus exsistunt criminosi, committitur eosque officio obstringit. Quibus licet quidem sicuti in caeteris functionibus parochialibus adsciscere capellanos, propria tamen directione ac ratione reddenda . . . Pro hac institutione saltem una hora in hebdomada constituitur, de qua instructor religionis sicuti de loco cum iudicii praeposito conveniat«.[1]

[1] Mit dem Regierungsdekret vom 6. Juni 1811 wurde verordnet: „Se. Majestät haben allergnädigst zu befehlen geruhet, dass bei allen Criminal-Arresten ein ordentlicher Religionsunterricht eingeführt werde. Nachdem dieser Unterricht der in einem Pfarrbezirke befindlichen Criminal-Arrestanten ein Zweig der allgemeinen Seelsorge ist, welche überall dem Pfarrer obliegt, und nachdem sich aus den von den Kreisämtern vorgelegten Ausweisen ergibt, dass überall sich nur wenige Criminal-Arrestanten befinden, deren Unterricht von dem Ortspfarrer nebst der übrigen pfarrlichen Pflicht leicht übernommen werden kann, so wird dieser Religionsunterricht für die Criminal-Arrestanten allen Pfarrern, in deren Bezirke diese sich befinden, anvertraut und denselben zur Pflicht gemacht. Es steht denselben zwar frei, sich dabei so wie in den übrigen pfarrlichen Geschäften der ihnen allenfalls zugewiesenen Kapläne zu bedienen, jedoch unter eigener Leitung und Verantwortung. Was die Zeit betrifft, welche von den betreffenden Seelsorgern für den Unterricht der Criminal-Arrestanten zu verwenden sein wird, so muss es zwar der Beurteilung und dem Eifer des Religionslehrers überlassen bleiben, sich nach den besonderen Bedürfnissen des Sträflings zu richten; jedoch wird für diesen Unterricht eine Stunde in der Woche als das Minimum festgesetzt, über welche sich der Religionslehrer

Decretum Cancellariae aulicae de die 30. Septembris 1844 statuit: »Quum institutio incarceratorum pars sit curae animarum generalis, sumptus autem pastorationis competat ad fundum religionis, propter conformitatem commemoratae expensae assumendae sunt a fundo religionis«.[1]

Decretum caes.-reg. Ministerii pro iustitia de die 14. Septembris 1861 Num. 7870 disposuit: »Edicto de die 6. Decembris 1856 Num. 25142 praesidiis iudiciorum provincialium notificatum est, Ministerium pro cultu ac institutione decrevisse expensas pro catholicis animarum curatoribus in carceribus iudiciorum circuli sive collegialium (Kreisgerichte), in quantum haec pastoratio a sacerdotibus loci non vi muneris, propterea gratuito fieri possit, nisi adsint speciales dotationes vel legata, in fundum religionis assumendas esse«.[2]

Apud iudicium collegiale Marburgi[3] institutio religiosa incarceratorum exercetur duplici catechesi pro iuvenibus separatim ab adultis infra hebdomadam, diebus Dominicis ac festis autem celebratione sacri Sacrificii et concione omnibus incarceratis destinatis. Hae functiones remunerantur 500 coronis quotannis. Incarcerati iudicii collegialis Celeiae instituuntur in rebus fidei ac morum diebus Dominicis per totum annum in duabus partibus

sowie über den Ort zu dessen Erteilung mit dem Verwalter des Landgerichtes einzuverstehen haben wird".

[1] Das Hofkanzleidekret vom 30. September 1844 lautet: „Nachdem der Unterricht der Criminal-Arrestanten ein Zweig der allgemeinen Seelsorge ist, die Beistellung der seelsorglichen Auslagen aber dem Religionsfonde obliegt, so sind für die Zukunft zur Erzielung einer Gleichförmigkeit die gedachten Auslagen auf den Religionsfond zu übernehmen. Was jedoch die Naturalbezüge oder deren Entschädigung, welche die Seelsorger in mehreren Strafanstalten der Provinzen geniessen, anbelangt, so sind dieselben beim Fonde zu belassen, der sie bisher bestritten hat." — [2] Erlass des Justizministeriums vom 14. September 1861 Z. 7870: „Mit dem Erlasse vom 6. Dezember 1856 Z. 25142 wurde das Landesgerichtspräsidium in Kenntnis gesetzt, dass das bestehende Ministerium für Kultus und Unterricht beschlossen habe, die Auslagen für das katholische Seelsorgspersonal in den Gefangenhäusern der Gerichtshöfe erster Instanz, insofern diese Seelsorge von der Ortsgeistlichkeit nicht von amtswegen, daher unentgeltlich geleistet werden kann, und insoferne keine besonderen Dotationen oder Stiftungen bestehen, auf den Religionsfond zu übernehmen". — [3] Dr. Michael Napotnik, Die festliche Einweihung der Kreuzkapelle im neuen k. k. Kreisgerichtsgebäude zu Marburg. Marburg, 1903. Pag. 46.

aliquantum ultra semihoram. Remuneratio annua est summa 400 coronarum.[1]

Ex hisce decretis clarescit, parochos pro pastoratione incarceratorum apud iudicia districtualia (Bezirksgerichte) de lege nihil poscere posse, quia hucusque hac in re nullum prodiit decretum de remuneratione. Quum autem caes. reg. Ministerium pro iustitia religiosam institutionem in carceribus detentorum maximi aestimet, in singulis peculiarium circumstantiarum casibus remuneratio pro cura animarum in iudiciis districtualibus haud excluditur.

Pro militibus Marburgi exsistit iudicium militare cum propriis carceribus, ubi eorum animarum pastor saltem semel in septimana eis praedicat verbum divinum ac celebrat sacratissimum Missae sacrificium, eisque saltem tempore paschali praebet occasionem confitendi ac se san-

[1] Loc. cit. „Auf Grundlage der sohin eingeleiteten Verhandlungen hat das k. k. Staatsministerium zufolge Eröffnung vom 28. Mai 1861 Z. 781 mit den Ministerien der Justiz und der Finanzen sich über folgende Bestimmungen und Ansätze geeinigt: *a)* Die bei einigen Gerichtshöfen systemisierten Gehalte für die Gefangenseelsorge haben zu entfallen und sind an deren statt Remunerationen anzuweisen. *b)* Jene Hilfspriester eines Pfarrers und jene Konvente sind von der Remunerierung auszuschliessen, welche ihre Dotation oder Entschädigung aus einem öffentlichen Fonde lediglich mit Rücksicht auf die von ihnen zu leistende Gefängnisseelsorge erhalten, oder welche durch besondere Stiftungen für diese Leistungen schon hinlänglich entlohnt sind; während jene Priester und Konventualen, welche sich zwar im Genusse solcher Stiftungen befinden, aber in denselben eine ihrer Dienstleistung entsprechende Entlohnung nicht finden, eine angemessene Ergänzung ihrer Bezüge zu erhalten haben. *c)* Was den Umfang der den Gefangenhausseelsorgern obliegenden Dienstverrichtungen betrifft, so ist sich hinsichtlich dessen an die bisherige, mit Rücksicht auf die Lokalverhältnisse entstehende Übung zu halten, die Ausfolgung der Remunerationen aber, die ein für allemal flüssig zu machen sind, an die Bedingung zu knüpfen, dass jeder Behebungsquittung die Bestätigung des betreffenden Gerichtshofes über wirkliche, ununterbrochene Ausübung der Seelsorge durch den behebenden Priester, beziehungsweise das behebende Konvent, während der Zeit, für welche die Quittung lautet, beigefügt sein müsse, widrigens eine der Zeit der wirklichen Dienstleistung entsprechende Reduktion der Jahresentlohnung einzutreten habe. *d)* Als Masstab für die Bestimmung der Höhe der Remuneration wurde der von den Gerichtshöfen vorgelegte Ausweis über die durchschnittliche tägliche Zahl der katholischen Gefangenen in den letzten Jahren angenommen. Sollte bei einzelnen Gefangenhäusern späterhin der mehrjährige Durchschnittsstand der Gefangenen bedeutend höher oder niedriger sich herausstellen, so ist im ersten Falle, jedoch nur über Einschreiten des betreffenden Seelsorgers, beziehungsweise Konventes wegen angemessener Erhöhung, im letzteren Falle aber von amtswegen behufs Verminderung der festgestellten Remuneration von der politischen Landesstelle an das Staatsministerium zu berichten."

ctissima Eucharistia reficiendi, quod evenit etiam in aliis civilibus carceribus Nostrae dioecesis.

De carceris poena affectis.

Summa iniuria esset, inaequales aequali modo tractandi. Quare animarum pastor respiciat necesse est incarceratorum aetatem, genus, statum, indolem intellectualem, religiosam ac moralem, rem iudicis sententiae nondum subiectam vel rem post iudicium prolatum.

Praeprimis distinguendum est inter eos, qui propter aliquod crimen insimulati in custodia conservantur ante iudicium promulgatum, et inter diiudicatos. Priori parti addictis visitatio sacerdotis negari nequit, quum aliquem sibi ipsi eligant. Conversatio autem fiat praesente aliquo teste iudiciali.[1] Sacerdos tales admoneat, ut crimen suum sincere confiteantur iudici, post iudicium pronunciatum autem confessario. Caeterum iis suum iudicium de re incriminata nullo modo indicet, donec res a iudice definiatur. Quodsi captivatio facta sit inopinate, quin res familiares et negotia domestica vel publica in ordinem redigi potuerint, sacerdos captivum adiuvet et consoletur. Promittat ipsi, se apud suos omnia per proprium animarum pastorem ad res ordinandas procuraturum esse. Infelix autem se tradat divinae voluntati ac providentiae, quae nonnumquam etiam insontes mittit in magnas miserias, ut probetur eorum fidelitas et caritas in Deum. Iustos et probos autem Deus numquam omnino perire permisit eosque saltem in altera vita magnifice coronat. Caeterum autem talem se indicet iudici, qualem se scit cognosci a iudice divino omniscio, cui omnia patent.

Praeter mortis periculum sacramenta iis, qui sunt in inquisitione, non sunt dispensanda propter periculum abusus. Putant enim, sacerdotem de eorum innocentia apud iudices testimonium perhibiturum esse. Petentibus interventionem apud iudicem sacerdos innuat, se nihil aliud quam animae salutem quaerere et ea, quae sunt sui muneris, nemini revelare posse.

[1] Strafprozessordnung vom 23. Mai 1873. R.-G.-Bl. Nr. 119. § 186.

Post iudicium promulgatum incarcerati indigent instructione, consolatione omnibusque mediis, ad salutem necessariis. Quum ipsi ad ecclesiam venire non possint, accedat animarum pastor ad eos. Ut autem captivi indolem melius cognoscat, percurrat acta iudicialia, interroget iudicem vel alios officiales de eius vita et crimine. Si culpam a testibus demonstratam nihilominus adhuc negat, saepius admoneatur ad eam fatendam. Ubi agitur de furto, de fraudatione, urgeatur restitutio. Tempore adventus et paschatis fiat praeparatio ad sacramenta suscipienda. Quum autem captivi magna laborent ignorantia in rebus fidei, instruantur praeprimis in veritatibus fidei christianae fundamentalibus, praesertim in eis, quae sunt necessariae necessitate medii et praecepti. Denique exponatur doctrina de digna susceptione sacramentorum poenitentiae et sanctissimae Eucharistiae. Ad ea suscipienda tamen singuli ne cogantur, sed persuasibilibus verbis tum concionatoris tum custodum permoveantur. Ad confessionem generalem adducantur.

Pro confessione instruendi sunt de sigillo sacramentali, vi cuius confessarius ea, quae comperit in actu confessionis, nemini licite communicare valet. Ne summus quidem iudex de his rebus iam vi legis interrogare potest.[1] Sacerdos immo prius mortem perferre, quam aliquid prodere paratus esse debet. Quare confitens omnia sincere aperteque proferre potest, sicut coram Deo se reum cognoscit. Deo placere et bonam habere conscientiam est res maximi momenti. Narraturo de processu iudiciali confessarius respondeat, hic solummodo peccata esse confitenda, caetera autem ad rem non pertinere nec licite explicari posse. Interroganti, quomodo respondeat iudici, dicendum est a confessario: Mendacium est semper illicitum. Testis, etiamsi iureiurando non obstringatur, legitime interroganti iudici quoad omnia respondere tenetur.

[1] Ibidem, § 151: Als Zeugen dürfen bei sonstiger Nichtigkeit ihrer Aussage nicht vernommen werden: Geistliche in Ansehung dessen, was ihnen in der Beichte oder sonst unter dem Siegel geistlicher Amtsverschwiegenheit anvertraut wurde. (Zivilprozessordnung vom 1. August 1895, R.-G.-Bl. Nr. 113. § 320).

Quum agatur de bono communi, imponatur confitenti, ut comparticipes criminis prodat, alioquin non est absolvendus. Quando autem hoc officium ignoret, nec ulla spes effulgeat illius adimplendi, relinquatur melius in bona fide. Conquerentibus de diuturna custodia de eiusque magnis molestiis dicendum: Haec patienter tolerando potes satisfacere pro commissis peccatis et abbreviare poenas purgatorii.

Capitis damnatis persuadendum est, ut in hoc cognoscant divinam voluntatem. Quod absque speciali caritate, prudentia, benignitate et condolentis animi ostensione fieri vix potest. Insinuetur ei, divina providentia totum mundum gubernari et a Deo hunc moriendi modum permitti. Fiat voluntas Dei! In hoc cognoscat particularem divinam benignitatem, quum sciat mortis diem eique tempus suppetat peccata dolendi ac confitendi et gratiam Dei acquirendi. Christus et innumerabiles martyres mortem subierunt fortitudine et hilaritate in innocentia sua. Eius mors multis proderit; multi impulsum accipient ad vitam honestiorem et horrore implebuntur de criminibus commissis vel committendis.

Post confessionem generalem imponenda est satisfactio statimque una cum confitente adimplenda. Imprimis mortem spiritu satisfactionis suscipiat. Communicandus est per modum viatici et quidem propter reverentiam pridie ante mortem. Extrema unctio non est impertienda, attamen benedictio apostolica.

Obstinatos autem sacerdos omnibus caritatis mediis, praesertim consideratione appropinquantis iudicii, inferni, coeli ad meliorem sententiam adducat. Nonnumquam abeat et iterum revertens eis persuadere conetur, vel requirat iudicis ac aliorum auxilium, visitet eos etiam alius sacerdos. Pastor non desistat constanter eos admonere, pro iis orare, sacrificium offerre eosque orationi piorum hominum commendare, ut extremo saltem momento ad Deum convertantur.

Sacramentis susceptis, cum capitis damnato solummodo de aeterna animae salute agatur. Meditatio fiat

de Christi passione, de iudicio divino, de coelo, inferno. Conversatio autem ultra duas horas non est extendenda. Cibus et potus sit modicus.

Die supplicii sacerdos cum damnato eliciat actus fidei, spei, caritatis, contritionis, oblationis et commendationis divinae voluntati cum invocatione nominis Iesu, Mariae, Ioseph, angelorum et omnium sanctorum. Euntem ad locum supplicii adiuvet sacerdos orando, dando ei sacratissimum rosarium vel crucem. Finita via interroget eum, utrum adhuc eum aliquid perturbet, adhortetur eum ad dolenda peccata commissa eumque absolvat. Si autem esset obstinatus, admoneat circumstantes, ut orent pro infelice, ut saltem ultimo momento cor eius cum Deo reconcilietur.

Supplicio perfecto invitet sacerdos circumstantes, ut omnes genuflectentes orent pro anima defuncti. Caeterum observandae sunt leges rei publicae.[1]

Propria cura indigent *iuvenes* et tales, qui ad breve tantum tempus ad carceris poenam damnantur. Apud hos eo adlaborandum est, ne fiant recidivi, sed cognoscant abyssum perniciosum perditionis et ad vitam meliorem revertantur. Hic valet illud: Principiis obsta! Qui non abhorret a primo delicto, facile perpetrat alterum maius, nisi perterritus adducatur in viam rectam. In hoc stadio pertinacia nondum est stabilita ideoque plus prosunt salutaria monita quam in adultis. Adhortatio sit brevis, seria, ingenua. Excusationes et praetextus criminum ne admittas, sed ostendas contemptibilia, horribilia respectu Dei, sui ipsius et proximi. Excita conscientiam, incita sensum pudoris, honoris, contritionis, ostendendo, qua necessitudine crimen commissum sequantur delicta multo atrociora, poenae, ergastula, carcer, ignis aeternus. *Praedica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina!* (II. Tim. 4, 2).

Maximi momenti sit custodia *singulorum*, ne ab adultis et in criminibus inveteratis depraventur. Multis enim

[1] Strafprozessordnung ut supra § 404.

inest diabolica malitia, quae minus cautos et expertos iuvenes omnino corrumpit, in flagitiis et astutia confirmat ac desperationi tradit. Propter varietatem indolis singulorum etiam cura expostulat, ut sacerdos singulos iuxta eorum individuales proprietates instruat ac tractet.

De fine pastorationis incarceratorum deque mediis convenientibus.

Quicumque laedit ordinem moralem vel socialem, peccat et meretur poenam delicto congruentem. Laesa iustitia et auctoritas Dei, reipublicae, societatis humanae merito requirit satisfactionem. Quodlibet crimen et delictum expostulat ergo *poenam vindicativam*. Haec respicit retro in delictum commissum. Sacerdos delinquentem de hocce poenae fine instruere studebit. Iustitiam vindicativam cognoscat, ut vivificetur in eo spiritus poenitentiae et attritionis. Poena ei erat necessaria. In carceribus namque multi opinantur, se talem sortem minime meruisse. Propterea a sacerdote ad hanc cognitionem adducendi sunt. Dei enim sanctitas et iustitia flagitat poenam vindicativam et satisfactionem. Quotiescumque maleficus, qui crimina deliberate peregit, hunc poenae finem agnoscere nolit, de eius incepta salute, de eius emendatione in certo esse non possumus.

Carceris poena autem non solum vindictam intendit, sed etiam correctionem delinquentis. Extrinsece enim vult deterrere, intrinsece autem sanare *(poena medicinalis)* talique modo reditum ad vitia prohibere. Poena ergo duplicem prosequitur finem, castigare, quia peccatum est, et coërcere, ne amplius peccetur. Carcer igitur fiat domus educationis, emendationis respectu religionis et moralitatis. *Parum est coërcere improbos poena, nisi probos efficias disciplina*, Papa Clemens XI. anno 1703 inscripsit carceri s. Michaelis Romae. Sic eorum peccata compesce, ut sint, quos poeniteat peccasse. Hoc principium prioribus saeculis saepe neglectum est. Criminosi enim solummodo vindictae causa in carcere detinebantur,

ne perturbent societatem humanam. Nunc autem in carceribus eo adlaborandum est, ut omnes educentur et iterum utilia membra societatis evadant et vitam iuxta doctrinas christianae religionis instituant. Animarum pastor, qui Christi vice omnes salvos faciat, hunc emendationis finem ne umquam negligat. Purgare, sanare, cupiditates coërcere, vitia, intrinsece adhortando ad bonum, vincere, virtutes colere pertinet ad officia principalia sacerdotis in carcere. Quilibet peccator adducatur ad cognoscenda sua peccata, ad ea dolenda et compescenda, ut liberetur a servitute vitiorum, quae eum carceri tradiderunt.

Quem ad finem assequendum aptissima media adhibenda sunt:

a) Cultus Dei communis ad officium cuiuslibet christiani pertinet. Ad quem incarcerati ergo non solum obligantur, verum etiam ius habent. Maxima esset iniuria iis communem Dei cultum denegandi. Cultus autem respondeat indigentiis religiosis. Huc adnumeramus sanctissimum Missae sacrificium, quod non solum naturalibus signis hominem elevat ad Deum, sed multo magis innumerabilibus gratiis animam exornat et ad virtutes excitat. Hoc leges austriacae agnoscunt, decernentes: »Catholicus cultus divinus celebretur saltem semel per hebdomadam et quidem in quantum possibile qualibet die Dominica et festiva, die natali et die nominali caesareae ac regiae Maiestatis, cui iuxta possibilitatem omnes captivi huius confessionis, qui non morbo prohibentur, adesse debent. Utrum et quibus captivis tempore inquisitionis participatio exercitiorum religiosorum iuxta eorum petitionem concedi queat, decernit praeses iudicii, audito iudice inquisitionis. Angustia loci efficit, ut alternatim participent exercitia religionis et institutionem religiosam«.[1]

Ad cultum divinum pertinet porro praedicatio verbi divini. »Religiosam institutionem quilibet sanus captivus suae confessionis, qui a iudicii praeside non liberatur, participare debet«. (§ 9).

[1] Hausordnung für Gefangenhäuser der Gerichtshöfe. Stein an der Donau, 1906.

Praedicatio verbi divini adaptetur indigentiis et dispositioni captivorum. Allusiones singulorum, applicationes pro uno vel altero tantum non sunt adhibendae, nec reprehensiones vel increpationes. Veritates religiosae et morales autem explanentur iuxta modum sancti evangelii, ut intelligantur ab omnibus. Tunc individualem applicationem singuli faciliter invenient. Cultum divinum plures captivi aestimant magni propter recreationem spiritualem et ob memoriam prioris »felicis temporis«, quibus moventur ad emendationem.

In carcere cum proprio pastore praescribitur tempore pomeridiano catechesis cum sacramentali benedictione, infra septimanam autem cultus divinus cum brevi allocutione religiosa diebus ordine domestico determinatis. Diebus Dominicis et festivis mane celebrandum est sacrum Missae sacrificium cum concione, cui omnes adesse debent. (§ 81).[1]

b) Optimum medium ad conversionem sunt *sacramenta.* Primum locum obtinet sacra poenitentia. Examen conscientiae, contritio, propositum, satisfactio, confessio sunt tot gradus ad emendationem et efficiunt omnimodam mentis regenerationem. Multi captivi laborant magna ignorantia rerum religiosarum cum propter neglectam educationem tum propter peculiares circumstantias et communem legem oblivionis rerum auditarum. Ideo tales ad poenitentiae sacramentum accedere nolunt. Vi tamen non sunt compellendi aut cogendi. Immo prius assidue instruantur et praeparentur, ut ipsi desiderium prodant, vel saltem etiamsi cum tremore, tamen non inviti accedant. Obstinatos ergo statim ne compellas ad confessionem sacramentalem, sed relaxa aptis motivis eorum conscientiam, ut animus paulatim effervescat et pronus sit ad *confessionem generalem.* Haec reconciliatio cum Deo capitalem constituit finem pastorationis in carcere. Vita per poenitentiam restituta in ss. Eucharistia solidum accipit fundamentum ac fomentum.

[1] Dienstvorschriften für das Beamten- und Gefangenaufsichtspersonale in der k. k. Strafanstalt in Marburg. Graz, 1889.

Romano-catholicis captivis saltem bis in anno, primo tempore paschali, secundo tempore autumnali, praeterea in poenae ingressu et in egressu eiusdem et petentibus infra annum quoque detur occasio confitendi et communicandi. (§ 83). Hoc valeat in omnibus carceribus.

c) In maioribus carceribus captivi instituuntur in variis scientiarum *disciplinis* profanis a propriis magistris. Talis instructio utilissima est. Captivi namque spiritualiter excoluntur, ad considerationem rerum seriarum adducuntur, progrediuntur in aestimatione sui, noscunt diligere ordinem et scientiam. Haec cultura animi animarum pastori proficuo subsidio est. Instructio enim religiosa et catechetica tunc meliores facit progressus. Omnes masculini captivi annos nati usque ad duodeviginti et illi masculini captivi poena ultra tres menses affecti, qui triginta annos nondum attigerunt et scholari instructione adhuc indigent, tenentur ad visitandam scholam carceris. (§ 1). Finis instructionis eo est definiendus: Captivis roboranda moralitate et communicatione scientiarum practicarum melius fundamentum ponendi eorum vitae morali et eorum statui, ut efficiantur membra societatis comparantia sibi subsistentiam ex propria industria et tali modo ad vivendum apti reddantur, quo periculum perversionis in peius nisi omnino auferatur, saltem minuatur. (§ 3). Institutio religiosa fit quavis hebdomada horis a iudicii praeside determinatis per pastorem animarum. Quilibet sanus captivus, nisi dispenselur a praeside iudicii, ei adesse debet. Si urget loci angustia, alternatim religiosam institutionem participent. (§ 9).

Institutio simul eo tendat, ut castigatos educet et emendet, vim cogitandi ac diiudicandi excitet et formet, conscientiam moralitatis confirmet, cor diligenter excolat, cognitionem boni ac mali et aptitudinem respectu moralitatis recte iudicandi solidet, amorem laboris et horrorem criminis eliciat et voluntatem in bono confortet. (§ 11).[1]

[1] Vorschriften betreffend die Erteilung des Unterrichtes für Gefangenhäuser der Gerichtsböfe. Stein an der Donau, 1906.

d) Haud parum aestimanda est bona *lectio.* Sacerdos porrigat talem ex bibliotheca carceris iis, qui sunt in inquisitione, si licet, et iis, qui sunt iam diiudicati. Electio respiciat aetatem, genus, intelligentiam, praesertim autem religionem. Quare catholicis nulla lectio concedatur, quae eos laedere possit vel corrumpere religiosam persuasionem. Commendari possunt: Imitatio Christi, historia biblica, vitae sanctorum, minime vero folia periodica, quae narrant varia delicta eorumque processus iudiciales.

Electio legendorum tempore a labore libero, diebus Dominicis et festivis, competit ludimagistro una cum consensu animarum pastoris. Libri serviant doctrinae simulque afficiant cor, promoveant cognitionem sui ipsius et dirigant conceptiones morales in vias rectas. Scripta, quae phantasiam immoderate excitant vel cupiditatem rerum portentosarum procreare valent, excludenda sunt. In determinatione librorum pro singulis respiciatur eorum indoles et gradus intelligentiae. (§ 15).

e) Postremo saltem mediate *labor* succurrit animarum pastori in carceribus. Labore optime oppugnatur pigritia et mendicatio, ex quibus multa proveniunt delicta et crimina. A plerisque castigatis labor tamquam beneficium suscipitur animo laeto. Ad laborem omnes cogendi sunt, quo plurimi corriguntur, praesertim si ad laborem accedit mandatum silentii.

f) Ut sacerdos omnia media apte singulis applicet, necessaria est ei *recta diagnosis seu cognitio* delinquentis, imprimis eiusdem inclinationum, praesentis moralitatis, consuetudinum et occasionum peccandi. Acquirát sibi confidentiam delinquentium, ostendat ipsis misericordiam, consolationem, benevolentiam. Sacerdos enim praesertim in carcere servit ei, qui est *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* (II. Cor. 1, 3. 4). Caeterum autem nihil, nisi conscientiae causam agat cum incarceratis, ut emendentur, reliqua autem omnia iudici relinquens.

De cura eorum, qui e carcere dimissi sunt.

E carcere dimisso et in libertatem restituto plura imminent pericula sicuti reconvalescenti ex gravi morbo. Inclinationes pravae namque non omnino sunt exstinctae, pristinae societates corruptae statim sunt paratae ad suscipiendum priorem amicum ac sodalem. Praeterea adhaerent dimisso gravia vulnera: pudor debilitatus, nisi hebes factus, eiectio ex consortio proborum, vitatio et odium hominum. Quasi relegatus quaerit igitur socios dubiae famae, pravos pristinos amicos, quo redit in viam flagitiosam. Periculum ergo in mora est, nisi ei auxilium affertur.

Animarum pastor iterum principalis sit adiutor, cum eorum, qui redeunt ad suos domum, tum eorum, qui in eius parochia novum eligunt domicilium. Delinquentes nec in carcere nec extra carcerem ab animarum pastore considerentur tamquam eiecti ex Ecclesia vel parochia nec qua tales tractentur, sed occurrendum est eis cum fiducia, caritate, sollicitudine. Studium honoris eorum confirmandum est, asserendo, eos pertinere ad fideles et membra parochiae suae. Magno officio obstringitur sacerdos erga iuvenes, quos speciali cura excipiat. Carceris cura prosequatur infelices, educationis normas in carcere traditas conservando et perficiendo. Quod dupliciter fieri potest:

a) Cura animae. Sacerdos castigatis revocet in memoriam: Ego quidem iuste accepi iuxta opera mea. (Luc. 23, 41). Obsta principiis, ne redeas in perniciosam perditionis viam. Observa haec decem mandata:

1. Noli oblivisci praeteritae tuae tristitiae. 2. Noli omittere preces quotidianas et cultum Dei diebus Dominicis et festivis. 3. Maneas in conversatione et coniunctione cum tuo animarum pastore. 4. Devita socios improbos. 5. Accipe regulariter sancta sacramenta. 6. Honora laborem et labora diligenter. 7. Devita cauponas, quae tibi erant in ruinam. 8. Noli in corporis labore negligere animae curam. 9. Videas, qui sunt illi

exoptantes tibi fausta. 10. Instituas conscientiae examen etiam de propositis explendis, factis in dimissione e carcere.

b) Cura corporis magnopere conducit ad emendationem incarceratorum. Venientibus ex carcere saepius deest locus necessariae operationis ad vitam sustentandam. Quare magnum oritur periculum, ne ex penuria redeant ad vitam criminosam. Talibus succurrat sacerdos inveniendo per se vel per alias idoneas personas aliquam honestam familiam, apud quam infelix et aptam operationem et victum necessarium accipiat.

Curam utramque et corporis et animae respiciunt novissimis temporibus associationes subsidium praebentes dimissis captivis. Talem in Nostra quoque dioecesi habemus sub titulo: Marburger Unterstützungsverein für entlassene Sträflinge. Iam ab initio fuimus inter membra sublevantia huius societatis. Eiusdem congregatio generalis donavit Nos vel titulo socii honorarii societatis.[1]

Ope huius societatis plures e carcere dimissi accipiunt viaticum pro itinere ad suos, aliis indicatur domus ad operationem et victum sibi comparandum, iuniores traduntur opificibus, ut addiscant artem convenientem.[2] Valde desideramus, ut sacerdotes tales societates sicuti iam hucusque omnimodo adiuvent. Absque Cleri adiumento finem suum vix assequentur. Emendatio incarceratorum valde etiam eo promovetur, si sacerdotes a carceris pastore informationes ac directiones accipiunt de iis, qui e carcere in parochiam veniunt.

Sacerdos libenter intercedat, quando domestici aliquem e carcere revertentem male tractent vel reiiciant. Singulari studio adiuvet personas iuveniles easque bonis familiis educandas tradat. Pari caritate ac sollicitudine amplectatur liberos, quorum pater vel mater coërcetur in carcere.

[1] Jahresbericht des Marburger Unterstützungsvereines für entlassene Sträflinge über das XXI. Vereinsjahr 1911. Marburg, 1912. Pag. 12. — [2] Statuten des Marburger Unterstützungsvereines für entlassene Sträflinge. § 3.

Considera ergo, pie pastor animarum, verba apostoli: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* (I. Ioan. 3, 17). Haud parva est calamitas ac necessitas iuvenum et adultorum, qui degunt in carcere vel dimittuntur ex eo. Eorum quoque immortalis anima pretiosissima est, quia Christi sanguine redempta. Quapropter *erue eos, qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses!* (Prov. 24, 11).

Caput CLXXVII.

De cura pastorali in urbibus forisque maioribus.

Infestis hisce Christo temporibus cura animarum in urbibus forisque maioribus magnis laborat obstaculis ac difficultatibus. Non aliunde tamen quam in Christo salus. *Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* (Act. ap. 4, 12). Instaurare omnia in Christo necesse est iuxta monitum summi nostri Pastoris.[1]

»Lux afferenda est mentibus iugi praedicatione veritatis et valida refutatione pravarum opinionum per veram solidamque philosophiae ac theologiae scientiam et per auxilia omnia, quae ex genuino historicae investigationis incremento provenerunt. Oportet insuper omnibus apte inculcentur tradita a Christo morum documenta, ut discant sui imperium exercere, motus animi appetentes regere, tumentem superbiam deprimere, parere auctoritati, iustitiam colere, omnes caritate complecti, disparis in civili convictu fortunae acerbitatem christiana dilectione temperare, a terrenis bonis avocare mentem, quam providentia dederit sortem ea esse contentos, suisque tuendis officiis benigniorem efficere, ad futuram vitam contendere spe sempiternae mercedis. Illud autem prae-

[1] Pii X. litterae encycl. *E supremi apostolatus cathedra* de die 4. Octobris 1903.

cipue curandum, ut haec se insinuent animisque penitus insideant, quo vera et solida pietas altiores radices agat, sua quisque et hominis et christiani officia, non oretenus sed re profiteatur et fiducia filii ad Ecclesiam confugiat ad eiusque ministros, quorum ministerio impetrent admissorum veniam, sacramentorum gratia roborentur, vitam ad christianae legis praecepta componant«.[1]

Sacri muneris praecipuas has partes comitetur oportet Christi caritas, cuius influxu, nemo sit, quem iacentem non erigamus, quem lugentem non consolemur, necessitas nulla, cui non occurramus. Huiusmodi nos caritati totos devoveamus, huic res nostrae cedant omnes, huic propriae utilitates posthabeantur et commoda, ut *omnibus omnia facti* (I. Cor. 9, 22), salutem omnium quaeramus vel ipso vitae pretio, ad Christi exemplum ab Ecclesiae pastoribus id postulantis: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* (Ioan. 10, 11).

Experientia testante haec magnifica curae animarum delineatio hodiernis temporibus apud plures incolas in effectum deducta est ruri, quam in urbibus et oppidis. Sed quum pretiosissimo sanguine Christi *omnes* redempti et *omnes* ad aeternam salutem vocati sint, huc curas intendamus oportet, ut in urbibus et foris quoque homines in Christi ditionem redigamus. Ad quem finem assequendum nobis considerandum est primo, quomodo cura animarum in urbibus et foris *differat* a cura rurali; secundo, quibus *dotibus* personalibus animarum pastor exstructus esse debeat; tertio, quae *conditiones externae* explendae sint.[2]

Quomodo differt cura animarum in urbibus et foris a cura rurali?

a) Quemadmodum Christi tempore, hodierno quoque religio Christi a quacumque anima immortali eadem petit praestanda nullo facto discrimine, utrum sit ruri

[1] Pii X. epist. encycl. *Iucunda sane* de die 12. Martii 1904. — [2] Dr. Heinrich Swoboda, Grosstadtseelsorge. Eine pastoraltheologische Studie. Regensburg, 1909.

vel in urbe. Pastores campestres, vocantes *hosanna* et *crucifige eum* in urbe, pauper Lazarus et homo dives indutus purpura et bysso, iuvenis habens multas possessiones, virgines prudentes et fatuae, scribae et pharisaei, timidi sicut Nicodemus et dubitantes de veritate ad instar Pilati, latro a dextris et sinistris — *omnes* in urbibus et extra eas habitantes ad eandem vitam aeternam tendant.

Ex hoc patet, discrimen inter curam animarum in urbibus et foris et curam ruralem non esse essentiale, sed accidentale. Cura animarum imprimis non respicit industriam nec mercaturam nec actiones sociales nec scientiarum profectus nec artium progressus. Finis enim eius tendit ad *vitam supernaturalem.* Non unus alterve tantum, sed *omnes* ad hunc finem destinantur, ut voluntatem ad malum pronam erigant ad virtutes, peccata contritione deleant, assequantur suum creatorem viva fide, nutrita doctrina christiana et observando praecepta subsidio gratiae divinae. Omnibus patet iter per Christi Ecclesiam iuxta illud s. Chrysostomi: *Spes tua Ecclesia, refugium tuum Ecclesia.*[1]

Quum autem iuxta communem legem supernaturalia fundentur *naturalibus*, nonnumquam etiam his debilitentur vel deleantur, propterea cura animarum complexum rerum naturalium, quales sunt res oeconomicae, sociales, intellectuales, ethicae, minime debet negligere respectu habito ad finem supernaturalem.

Urbes et fora autem sunt centra civilisationis. In iis exsistunt officia administrativa, politica, organisationes militares, scholae maiores, fabricae, collegia scientiarum et artium, theatra, nosocomia, uniones viarum ferrearum, directiones societatum et organisationum socialium; quae omnia curam animarum non quidem essentialiter, sed solummodo accidentaliter graviter tangunt. Qui has naturales institutiones in urbibus et foris non convenienter aestimat, immo negligit vel ad finem super-

[1] S. Chrysostomi hom. de capto Eutropio, num. 6. (I. P. Migne, Patrolog. graec. Tom. LII. col. 402).

naturalem non dirigit, magnum numerum hominum tradit perditioni terrestri et aeviternae.

b) Hodiernae urbes non crescunt iuxta aliquod principium internum, sed externa aggregatione domiciliorum. Incolae autem pertinent ad multos status varios. Praedominantur plerumque homines commerciales et industriales, inveniuntur quoque multi intelligentes et exculti, sed haud pauci cum intelligentia et cultura apparente vel indifferentes, quorum Deus venter est. Alii luxuriantur in magnis divitiis, maiores numero autem vivunt in summa penuria et necessitate. Plures se ipsos considerant tamquam abiectionem plebis. His omnibus omnia fieri est res animarum pastori valde difficilis. In quolibet statu cura animarum novis occurrit obstaculis.

Sed accedunt et alia. Magnus eorum numerus regulariter visitat ecclesias, audit verbum divinum, participat sacramentis. Ex his multi congregantur in societatibus religiosis, confraternitatibus et catholicis associationibus. In his maxima ex parte absorbetur tota activitas pastoris animarum. Ipse autem gaudet de suis fidelibus in persuasione, se totum tempus pro salute gregis Christi maxima assiduitate consumpsisse. Hoc commento plurimi pastores in urbibus falluntur, pascunt oves, sed non omnes, ministrant fidelibus, sed iis tantum, qui ipsi ad eos veniunt, monent ad conversionem, sed illos, qui iam conversi sunt ad Christum, defendunt fidem Christianam et refellunt errores, sed coram eis, quorum parum interest, quia boni sunt. Magna indifferentium et infidelium pars autem numquam aut bis vel ter in anno audit verbum divinum, sensim autem transit ad Ecclesiae hostes et invasores. In hoc consistit grave fidei periculum, quia ex urbibus mala principia prodeunt in provinciam et veneno falsae doctrinae in foliis et libris et privata conversatione haud pauci etiam extra urbes depravantur.

Vita in urbibus et foris absorbetur concurrentia bonorum materialium et spiritualium ad fundandam et conservandam exsistentiam et ad faciendos progressus. Haec efficiunt incolas in rebus religiosis perfunctorios

atque leves. Multi etiam afficiuntur gravi nervorum infirmitate propter magna molimina mentis et corporis in pugna sociali. Accedunt variae delectationes et voluptates in cauponis, theatris, quae hominum mentem tradunt sensualitati eamque deducunt a christianis officiis deduntque vitiis perniciosis. Singuli in hominum multitudine minus observantur quoad vitam moralem ac religiosam ideoque facilius pereunt. Propter migrandi licentiam multi nomadibus assimilantur, hodie hoc loco, cras iam alio habitant. Tali modo neque cognoscunt suum pastorem, nec pastor cognoscit eos.

Magnus numerus aegrotorum, pauperum, iuvenum, male educatorum, opificum singularem requirit laborem curae animarum. Ex his omnibus patescit, curam pastoralem in urbibus multa magnaque invenire impedimenta et postulare pastorem iuxta Christi voluntatem et exemplum.

Quales sacerdotum dotes exposcit cura animarum in urbibus et foris?

Non quilibet sacerdotes, sed eminentes scientia et virtutibus in urbibus ac foris pro Christo legatione fungi et verbo et opere munus Christi exercere poterunt. Valde errant opinantes se, postquam apud agricolas multos annos animarum salutem procuraverunt, postea viribus deficientibus idoneos esse ad suscipiendum beneficium in aliqua urbe, ut benemeritam quietem una cum melioribus proventibus inveniant. Pastores enim in urbibus et foris non vivunt commoditati vel quieti, sed assiduo labori in animarum cura, multiplicibus obstaculis et impedimentis obnoxia.

a) Quod Pius X. de sacerdotibus commemorat, praecipue valet de eis, qui in urbibus et foris veri Christi ministri ac vicarii esse volunt. »In Clero, si umquam alias, nunc opus maxime est virtute non mediocri, in exemplum integra, experrecta, operosa paratissima demum facere pro Christo et pati fortia. Neque aliud quid-

quam est, quod cupidiore Nos animo precemur et optemus vobis, singulis et universis . . .

Excellatque in omnibus caritas, nullo modo quaerens, quae sua sunt: ut, stimulis, qui humanitus urgent, invidae contentionis cupidaeve ambitionis cohibitis, vestra omnium studia ad incrementa divinae gloriae fraterna aemulatione conspirent. Vestrae beneficia caritatis multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum quam miserrima exspectat; vel maxime exspectant densi adolescentum greges, civitatis et religionis spes carissima, fallaciis undique cincti et corruptelis. Studete alacres non modo sacra catechesi impertienda, quod rursus enixiusque commendamus, sed omni quacumque liceat ope consilii et sollertiae bene optimeque mereri de omnibus. Sublevando, tutando, medendo, pacificando, hoc demum velitis ac propemodum sitiatis lucrari vel obstringere animas Christo. Ab inimicis eius heu quam impigre, quam laboriose, non trepide agitur, instatur exitio animarum immenso!

Ob hanc potissimum caritatis laudem Ecclesia catholica gaudet et gloriatur in Clero suo, christianam pacem evangelizante, salutem atque humanitatem afferente ad gentes usque barbaras: ubi ex magnis eius laboribus, profuso nonnumquam sanguine consecratis, Christi regnum latius in dies profertur, et fides sancta enitet novis palmis augustior«.[1]

Labia sacerdotis custodient scientiam (Malach. 2, 7), *ut potens sit exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt, arguere.* (Tit. 1, 9). Praeter theologicas disciplinas etiam »litterae profanae ornamentum Cleri sunt nec contemnenda saepe utilitate, quas igitur (Clerus) pertractet pro ingenii et temporum circumstantia«.[2]

»Virtutis simul et doctrinae quasi duplici ornamento praefulgeant sacerdotes. Praecellant fideles fervore amoris, munditia cordis, spiritu orationis«.[3] Obedientia sa-

[1] Pii X. encycl. *Haerent animo* de die 4. Augusti 1908. — [2] Acta et constitutiones Concil. provinc. Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 194. — [3] Idem. Pag. 196. — Concio synodalis. (Gesta et statuta Synodi dioec. anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pagg. 96 sqq)

cerdotum vera sit et sincera, ita ut obediant *non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo.* (Eph. 6, 6). Et quia testante Spiritu Sancto *bonum et . . iucundum, habitare fratres in unum* (Ps. 132, 1), ideo mutua caritate inter se sint sacerdotes aequales coniuncti, cor unum et anima una (Act. ap. 4, 32), incensi aequali zelo gloriae Dei et animarum, constricti caritatis vinculo, ut coniunctis viribus fortiter pugnent proelia Domini. — Ad sacri ordinis dignitatem et sanctitatem conservandam multum sacra exercitia conducunt et prosunt, quippe quibus clerici exterioribus curis sepositis vehementiore studio aeternarum divinarumque rerum meditationi incumbunt, defectus detergunt et ecclesiasticum spiritum renovant. Summum igitur studium nostrum sit in vita Iesu Christi meditari.[1]

Quilibet sacerdos obligatur proprias sibi facere intentiones Christi quoad salvandas animas hominum, obligatur ita vivere et agere, ut revera dicere possit: *Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus.* (Gal. 2, 20).

b) Iesus Dominus noster munus boni pastoris describit proposito proprio exemplo, dicens: »Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, et oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat *nominatim* et educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves eum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum . . . Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem et dimittit oves et fugit, et lupus rapit et dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus et *cognosco* meas, et *cognoscunt* me meae. Sicut novit me Pater, et ego

[1] Thomae a Kemp., De imitatione Christi. Lib. I. cap. 1.

agnosco Patrem et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor«. (Ioan. 10, 2—16).

Ab aeterno Pastore hac parabola proponuntur pastoribus normae gravissimi valoris. Quibus neglectis corruit cura animarum. Pastor divinus, qui admirabili providentia magnaque vigilantia oves suas gubernat et cognoscit signoque gratiae et caritatis suae eas signat et ante eas vadit, dans illis exemplum vitae sanctae, ipse curat illas a scabie peccatorum, defendit ab inferni lupis, dat illis selecta doctrinae et sacramentorum pascua. Tantus est in eas amor eius, ut seipsum, propriam suam vitam, ponat pro ovibus suis et pascat eas proprio suo corpore et sanguine, quamvis panis et vini speciebus velato. Felices sunt oves, quae sub gubernatione pastorum iuxta propositum exemplum custodiuntur et proteguntur.

Pro cura animarum in urbibus et foris in hac parabola maximi momenti regula indicatur, scilicet, ut pastor oves suas *cognoscat.* Haec cognitio sit perfecta, ut pastor oves vocare possit nominatim et oves eum cognoscant eiusque vocem audiant. Hanc cognitionem etiam concilium Tridentinum exposcit: »Quum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, *oves suas agnoscere* . . sacrosancta Synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum praeceptorum memores factique forma gregis in iudicio et veritate pascant et regant«. (Sess. XXIII. cap. 1. de reformatione).

Cognitio ovium pertinet essentialiter ad curam animarum seseque extendit ad singulorum proprietates animae et corporis, qualitates religiosas, morales et vitam socialem. Haec omnia namque quamlibet animam vario modo adiuvant in assequendo ultimo fine. Obiectum cognitionis autem non sunt singulae tantum personae physicae, sed etiam morales v. gr. familiae, communitates, parochiae, vici, urbes, opifices, mercatores, aegroti.

Cognitio hauriatur ex fontibus genuinis. Confidendum non est in personis, quae haud invitatae irrumpunt et arro-

ganter de omnibus rebus atque personis atro colore iudicant. Nec audiantur famuli et famulae domus parochialis nec fabulationes cauponarum. Certus fons autem est conversatio cum patribus et matribus familiarum in visitatione domestica vel occasione examinis paschalis vel administrationis sacramentorum. Catecheta multa comperit a discipulis et magistris. Cancellariam officii parochialis multi quoque visitant et sacerdoti cor suum pandunt.

Postquam Pastor aeternus principalem suae activitatis partem doctrina, redemptione, resurrectione, ascensione in urbe capitali regni iudaici explevit, eius quoque ministri, apostoli et Episcopi, pastoralem activitatem explicabant Romae, in centro culturae antiquae, Athenis, Corinthi, Ephesi, Alexandriae, Antiochiae, Neapoli et aliis urbibus ac foris maioribus, ita ut iam statim ab initio religio christiana se exhiberet religionem urbium hominumque cultorum. Urbes saeculis quoque posterioribus remanserunt sedes Episcoporum, qui sunt proprio sensu pastores gregis Christi. Qua tales confirmantur a Concilio Tridentino, quia praedicatio Evangelii »praecipuum Episcoporum munus« designatur iisque omnia pastoris munera imponuntur. »Mandat sancta Synodus Episcopis, pro tutiore animarum *eis* commissarum salute, ut distincto populo in *certas propriasque parochias* unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas *cognoscere* valeat«. (Sess. V. cap. 2). Cognitio ovium in Christo perfectissima est (Ioan. 10, 14), in caeteris autem pastoribus saltem possibilem perfectionem adipiscatur.

Quum ovium cognitio iure divino et ecclesiastico postuletur, Ecclesia parochos monet, ut cognitionem suam scriptis quoque relinquant vel codicibus referant. In ultimo enim titulo Ritualis Romani liber »status animarum« omnibus parochis praescribitur: »Familia quaeque distincta in libro notetur . . in quo singillatim scribantur nomen, cognomen, aetas singulorum, qui ex familia sunt vel tamquam advenae in ea vivunt«.

In dioecesi Lavantina libri tales exsistunt. Si autem aliquo loco propter frequentem populi transmigrationem in forma hucusque praescripta impossibiles evadant, hisce mandamus, *ut statim iuxta systema cartothecarum constituatur novus liber ita, ut pro qualibet familia folium separatum adhibeatur. Haec folia ordine alphabetico componantur in modum libri.*[1]

Quamvis liber baptizatorum, copulatorum, mortuorum tamquam libri a re publica praescripti pastorem multum adiuvent in conscribendo libro »status animarum«, tamen liber hic illi tantum parocho omni ex parte accuratam ovium cognitionem exhibebit, qui regulariter quotannis saltem semel omnes familias in eorum domibus visitaverit. Haec familiarum conscriptio in multis urbibus magnis iam introducta est et mirabiliter promovet non solum cognitionem fidelium, verum etiam eorum vitam religiosam. Tali modo possibilis fit pastoris cum ovibus contactus, qui pertinet ad essentiam efficacis curae animarum. A nonnullis Conciliis provincialibus (Quebec 1851, Dublin 1853) copiae libri *status animarum*, quotannis ab Ordinariis revidendae, praescribuntur.

Visitatio familiarum fieri potest ante tempus paschale. Adiungi potest simul teneri modo invitatio ad suscipienda sacramenta. Nonnulla Concilia (Ultraiecense 1865, Neograd. 1868) assignant ingressionem novae parochiae tempus aptissimum, Concilium Avinionense (1725) desiderat visitationem »*bis* saltem in anno«, aliae Synodi autem »certis temporibus, aliquoties, singulis annis, saepe saepius«. Finis huius contactus non est politicus, nec urbanitatis ergo, nec similis visitationibus cauponarum, sed unice pastoralis ad promovendam vitam supernaturalem, ut oves vitam habeant et abundantius habeant.

Quemadmodum inter Clerum populumque communicatio quaedam exposcitur, sic etiam Clerum inter et Episcopum ex una et inter sacerdotes ipsos ex altera parte. Si hoc ubique, eo magis in urbibus necessarium est.

[1] Typographia S. Cyrilli Marburgi pro tali libro necessaria venumdat

De concordia Episcopum inter et Clerum servanda iam salubriter in Synodo dioecesana anni 1903 actum est.[1] Scire debemus, Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo, et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.[2] »Unio, intima concordia Episcopum inter et Clerum est pignus prosperi eventus atque fructuosae operationis, totum robur nostrum in hac unione consistit. Clero tot odiis et insectationibus hodie obnoxio non est alia salus quam haec inter se et imprimis cum Episcopo intima unio. Hanc unionem aeternus animarum Pastor, Dominus noster Iesus Christus, tam ardenter a Patre efflagitavit in momento, quo viam crucis erat initurus. *Pater, rogo, ut sint unum . . ut omnes unum sint . . ut sint consummati in unum.*«[3] (Ioan. 17, 11. 21. 23).

Sacerdotes Episcopum deserentes facillime deviant et ut passeres solitarii a daemone, animarum venatore, eiusque adiutoribus capiuntur secundum Ecclesiasten, dicentem: *Vae soli, quia, quum ceciderit, non habet sublevantem se* (Eccle. 4, 10); cum Episcopo vero sacerdotes firmiter uniti ut lapides iuncti cum lapide angulari fiunt murus cunctis hostibus inexpugnabilis. *Funiculus triplex difficile rumpitur.* (Eccle. 4, 12).

Personalis communicatio ac conversatio in urbe residentiali Clerum inter et Episcopum non cohibet singulis libertatem agendi, immo sacerdotibus conservat rectum spiritum, tribuit incitamentum activitatis. Haec communicatio nemini sit molesta, quia necessaria est, sicut erat inter apostolos et Christum, inter palmites et vitem.

»Aliud praeterea cordi est commendare; ad strictiorem quamdam sacerdotum, ut fratres addecet, inter se coniunctionem, quam episcopalis auctoritas firmet ac moderetur. Id sane commendabile, quod in societatem coalescant ad mutuam opem in adversis parandam, ad nominis et munerum integritatem contra hostiles astus

[1] Ecclesiae Lavant. Synodus dioec. anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pagg. 612—620. — [2] S. Cypriani epist. ad Florentium Pupianum. (I. P. Migne, Patrolog. lat. Tom. IV. Parisiis, 1844. Col. 406). — [3] Acta et constitutiones Conc. provinc. Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 196.

tuendam, ad alias istiusmodi causas. At pluris profecto interest, consociationem eos inire ad facultatem doctrinae sacrae excolendam, in primisque ad sanctum vocationis propositum impensiore cura retinendum atque animarum provehendas rationes, consiliis viribusque collatis. Testantur Ecclesiae annales, quibus temporibus sacerdotes passim in communem quandam vitam conveniebant, quam bonis fructibus id genus societas abundarit«.[1]

Valde desideramus, ut omnes sacerdotes, curam animarum gerentes et in variis catholicis societatibus operantes, in omnibus urbibus cum pluribus parochiis saltem quater per annum conveniant ad consilia conferenda circa pericula fidei et morum, circa media adhibenda, modum procedendi et bonum publicum fidelium promovendi. Bonum fidelium multum promovet contactus cuiusvis parochi cum omnibus sacerdotibus, qui in eiusdem parochia operantur.

Externae conditiones curae animarum frugiferae.

Ut essentiale officium uniuscuiusque pastoris, *cognosco oves meas et cognoscunt me meae*, adimpleatur, externae quaedam conditiones de fidelium *numerositate* deque systematice ordinato modo *procedendi* adimplendae sunt.

a) Quoad *numerum* fidelium iuxta ius canonicum ad erigendam parochiam decem stabiles familiae sufficiunt. Parochia suscepta parochus tenetur ad residentiam, donec remanent tres vel quattuor parochiani.[2] Hoc autem loco non est quaestio iuris canonici, sed pastoralis, qualis scilicet numerus admittendus sit infimus et qualis supremus, ut pastor fideles valeat cognoscere. Optimum esset, ut quaelibet parochia nec plus aequo amplum nec nimis contractum numerum plebis recenseret.

Concilium provinciale Viennense parochias iusto minores non admittit: »Multa sunt, quae dissuadent, ne sacerdotes singuli exiguae plebi praepositi distribuantur,

[1] Pii X. encycl. *Haerent animo* de die 4. Augusti 1908. — [2] Conc. Trident. sess. XXI. cap. 4. de reform. — Acta S. Sedis. Tom. 13. pag. 77.

quin locorum conditio et animarum salus id exigat. *Vae soli, quia, quum ceciderit, non habet sublevantem se!* (Eccle. 4, 10). Ecclesia, quam Spiritus sapientiae regit, communem virorum ecclesiasticorum vitam omni tempore commendavit et propagavit«.[1] Concilium provinciale Pragense similiter constituit: »Episcopi in hac Synodo congregati cavebunt quidem, ne deficientibus canonicis causis *solitarii* pastores multiplicentur«.[2]

Quum ergo in urbibus desit magna familiarum distantia, quae ruri frequentius pro parvo numero exposcit parochum, infimus numerus duorum millium animarum assignandus est, quia iuxta communem aestimationem unus sacerdos mille fideles sufficienter providere potest et in urbibus saltem duo sunt in quavis parochia sacerdotes. Haec regula saepius Romae observabatur. Parochiae in urbibus et maioribus foris saltem duo millia incolarum numerent.

In parochiis numeroso populo refertis amplioribusque limitibus circumseptis essentiale postulatum curae animarum — cognitio ovium — adimpleri nequit, quando parochiani fiunt iusto frequentiores. »Quum ad impossibile nemo teneatur, nulla sane negligentiae culpa obstringuntur parochus et presbyteri adiutores, qui, etsi munus suum pro virili obeant, propter nimium tamen parochianorum numerum eorum necessitatibus plene providere nequeunt. Lugubris autem et miserrima res est, populum catholicum presbyteris, qui sufficiant, et ecclesiis, quibus capi possit, destitutum iacere sicut oves non habentes pastorem (Marc. 6, 34), et ad auxilia ferenda nihil non moliendum. *Nequaquam expedit, ut parochia quaedam etiam in maioribus civitatibus constituta ultra decem parochianorum millia contineat*«.[3]

Numero decem millium fidelium autem nequaquam indicatur exoptata parochiarum magnitudo, sed limes su-

[1] Acta et decreta Concilii provinciae Viennensis anno Domini 1858 celebrati. Vindobonae, 1859. Tit. II. cap. 7. pag. 75. — [2] Acta et decreta Conc. provinc. Pragensis anno 1860 celebrati. Pragae, 1863. Tit. VI. cap. 8. pag. 227. — [3] Acta et decreta Concilii provinciae Viennensis, loc. cit.

premus, in quo necessaria cura animarum fit impossibilis. Accuratius exoptabilis parochianorum numerus definitur in epistola Papae Pii VI. de die 10. Martii 1791 ad Parisiensem Cardinalem De la Rochefoucault. Ille reprehendit conventum nationalem, qui minorem *sex millibus* incolarum parochiam non admittit, scribens:

»»In maximam nos etiam adduxit admirationem innumerabilis earum (parochiarum) suppressio, cum iam nationalis decrevit conventus, ut in urbibus aut in oppidis, in quibus sex capitum millia tantummodo censeantur, nonnisi una constitueretur paroecia. Et *quo umquam modo unus parochus sufficere tanto curando populo poterit?* Quam ad rem opportunum hic videtur referre Cardinalem Conradum, a Gregorio IX. ad praesidem Coloniensi Synodo delegatum, hisce verbis interrogasse quemdam, qui aderat parochum quique vehementer contendebat, ne illuc fratres ordinis Praedicatorum inducerentur: »Quis est numerus hominum in paroecia tibi subditorum?« Quum ille esse *novem* millia respondisset, illum Cardinalis admiratione iraque commotus: »Quis es, inquit, tu miserrime, qui tot millibus sufficis *debitam gubernationis curam impendere,* nescis, hominum perditissime, quia in illo debes tremendo iudicio, ante tribunal Christi, de his omnibus respondere? Et tu, si tales habes vicarios (fratres Praedicatores), quaerularis, qui onus tuum gratis relevent, sub cuius pondere, nescis, conquassaris: qua igitur ex hac querela indignum te cura omnimode iudicasti, ideo privo te beneficio pastorali.« Et quamvis illic de *novem* hominum millibus agebatur, hic vero, nimirum a conventus decreto, *sex* tantum millia unius parochi curae tribuantur, nihilo tamen minus *quis non fateatur, talem etiam numerum longe longeque unius parochi vires excedere ac consequi propterea debere, ut multi ex parochianis necessario priventur spiritualibus subsidiis,* pro quibus ad regulares, qui iam suppressi sunt, confugere non valebunt?««[1]

[1] Collectio brevium atque instructionum S. Sed. Ap. Romae, 1799. Tom. I. pag. 145.

Praeter rationes, novas parochias erigendi, a Concilio Tridentino allatas, secundum citata verba summi Pontificis Pii VI. in nimia populi numerositate aequivalentem rationem agnoscit Papa Leo XII., qui anno 1824 Romae novam parochiarum dismembrationem ordinavit.[1] Maximae parochiae tunc erant St. Lorenzo in Lucina cum 10.800, St. Francesco de Paola 7356, St. Lorenzo in Damaso 4768, St. Maria del popolo cum 4388 parochianis. Hac divisione efficiebatur, ut singulae parochiae plus minusve tria millia animarum numerarent. Multo magis Romae, quam in aliis urbibus hodiernis, iterata divisione priorum parochiarum praesertim per Papam Pium X. animarum saluti provisum est, ita ut instante periculo mortis sacerdotes vocentur et morientibus praesto sint.

Ex his omnibus patet, correspondentem parochianorum numerositatem in qualibet parochia positam esse inter *duo* et *sex* millia animarum. Posteriorem numerum enim Pius VI. iam reiecit. Ultra sex usque decem millia parochianorum est numerus, qui tunc solummodo potest admitti ex inevitabili necessitate, quando conveniens numerus clericorum summa industria ac intensitate munere fungantur et a regularibus in sacramentorum administratione adiuventur.

Quum in dioecesi Lavantina anno 1911 parochiae ecclesiae cathedralis s. Ioannis Baptistae essent 11.000, basilicae s. Mariae 10.500, s. Magdalenae Marburgi 16.122, Celeiae 13.800, Trbovlje 12.920, ss. Petri et Pauli Petovii 7104, Ljutomer 7179 parochianorum,[2] eo adlaborandum est, ut omnes, quorum interest, consideratis peculiaribus circumstantiis, convenientem dismembrationem promoveant. Plures ex commemoratis parochiis defectum sufficientis curae animarum eo maxime illustrant, quod numerus Ecclesiae hostium (socialistarum) in electione deputatorum (anno 1911) in comitia valde augebatur, v. gr. in Trbovlje 1919 suffragia liberalia ac socialistica et 278 catholica numerata sunt. Salus enim ani-

[1] Leonis XII. constitutio *Super universam* de die 1. Novembr. 1824. — [2] Personalstand des Fürstbistums Lavant in Steiermark für das Jahr 1912. Marburg, 1912.

marum est suprema lex, non autem antiqua historica dismembratio parochiarum. Parochiae enim eriguntur propter prosperitatem ac salutem animarum.

b) Assecuto congruo numero parochianorum altera quoque conditio adimplenda est, scilicet rectus pastorum *spiritus*, qui non multa nova inducere, sed bene *ordinato systematico labore* omnia in animarum salutem dirigere possit. Ob superius commemorata obstacula curae animarum in urbibus multo maiore intensitate ac sapientia animarum saluti est providendum.

Fides, humanae salutis initium et fundamentum bonae vitae, sine qua impossibile est Deo placere, inviolate custodienda est. Quia circa fidem errores multi sparguntur in scholis, libris, ephemeridibus, in theatris et conventibus, his opponendum est efficacissimum remedium, solida fidelium institutio in tota religione catholica. Speciatim autem ea fidei capita sunt exponenda, quae obviantibus erroribus obstant, imprimis: Dei exsistentia, quae veritas omnis religionis radix est, animae immortalitas, divinae fidei necessitas, finis hominis supernaturalis, peccatum originale, de Christo Redemptore, de gratia ad salutem necessaria, una vera Christi Ecclesia, summi Pontificis Romani primatus et infallibile magisterium. Quum non sufficiat doctrinas fidei et morum sine ordine et connexione pro lubitu singulorum concionatorum fidelibus exponere, praecipimus, ut singula concionum themata iam ab initio ita ordinate eligantur et praedeterminentur, ut decurrente quovis quadriennio omnes veritates fidei et morum scitu necessariae praedicationibus exponantur.

Soli Ecclesiae ex lege naturali-divina ius et facultas competit, religiosam catholicae iuventutis institutionem et educationem procurandi et dirigendi. Religiosa institutio retinenda est in scholis dominicalibus, industrialibus, mediis; universitates catholicae promovendae sunt.

Moneantur praesertim bibliopolae, in quantum salubris effectus sperari potest, quam severam rationem iudici aeterno reddituri sint, qui libros pravos vel etiam

imagines lascivas publice exponere et venales habere audeant.

Omnibus animarum curatoribus, specialiter ergo parochis, praecipimus, ut omni studio pervigilent, ne pravae ephemerides in parochia habeantur et legantur. Hac in re speciali vigilantia opus est quoad caupones, qui saepe folia nociva tenent; edoceantur etiam privato colloquio de periculo et peccato; quodsi non moveri possunt, ut tales ephemerides omnino removeant, impellantur, etiam absolutionis denegatione, iuxta regulas a probatis auctoribus traditas, ut saltem huiusmodi folia nec ipsi legant neque omnibus obvia exponant, sed recludant et ad summum hospitibus directe ea poscentibus in loco separato legenda praebeant. — Non solum negative pravis libris et ephemeridibus obluctandum est, verum etiam positive: divulgatione bonorum librorum et ephemeridum, ut lectura salubris occupet locum pravae. Tum sacerdotes tum laici hoc in opere salubri sese consocient. Ubi duae vel plures nationes habitant, animarum curatores officio obstringuntur curam gerendi circa catholicas ephemerides non solum suae, sed etiam alterius nationis, ut omnibus omnia fiant.

Strenue prohibemus omnibus, ne protestantium caeterorumque haereticorum conventus quocumque praetextu neve etiam simplicis curiositatis causa adeant. Moneantur parentes, ne patiantur filios filiasque stabiliter famulari in domibus eorum, qui fidei vel Ecclesiae catholicae sunt infensi. Inter subsidia fidei conservandae commendantur societas s. Bonifatii et societates pro divulgandis bonis libris et ephemeridibus v. gr. s. Hermagorae et s. Ioseph.

Ad cultum externum publicum, qui sit splendor internae pietatis, fovendum ordo eiusdem promulgetur in valvis ecclesiae, in ephemeridibus, in maioribus domibus, ubi apparent multi advenae (Hôtels). Cultus pomeridianus cum catechesi statuatur horis vespertinis propter excursus populi recreandi causa.

Parochi ne sint solum repraesentantes parochiae, sed veri pastores, quorum vita officiis et laboribus pro fidelibus expendatur praestando omnia, quae salutem animarum promovent; annuncient evangelium, examinent nupturientes, visitent aegrotos, apostatas a fide catholica et concubinarios ad fidei et virtutis viam convertendos. Ne negligant morem hunc tam salutarem singulas paroeciae suae familias visitandi, attamen visitatio fiat cum gravitate, modestia et singulari caritate.

Sacerdos non esse debet indifferens circa res politicas, si tangant religionem. Rebus mere politicis et communalibus ne se immisceat. Vigilet, ne se tradat immoderato nationalismo, quo foret scandalo adversariis. In omnibus teneat modum, ne videatur magis humana quam coelestia curare et laedat decus clericale. Omnes viri, sive laici sive clerici, qui actionem catholicam promovent, semper contactum vivum cum Episcopo habere debent.

Quum ad gregis renovationem spiritualem media ordinariae curae non sufficiant, ingravescentibus malis conferentiae religiosae vel sacrae missiones adhibeantur. Pro viris saepius speciales conciones instituantur. Congregationes, fraternitates, associationes omnes non tam proprio fini serviant, sed considerentur et tractentur subsidia, curae animarum parochiali succurrentia. Pertineant ergo ad organisationem parochialem. Animarum curatores potius quam alii sacerdotes regimine suo adiuvent coetus suae parochiae conserventque in iis vivo contactu cum laicis moderatoribus spiritum Ecclesiae.

Ad contactum cum singulis familiis conservandum animarum pastores procurent in propriis parochiis sorores alicuius sodalitatis aut personas bonae famae in auxilium aegrotorum. Laudandae sunt multiformes illae feminarum societates, quae pauperibus et infirmis omni modo auxilio sunt, solum in amore Christi mercedem suam quaerentes.

Ne advenae, iuvenes et puellae, transeuntes sive ad instructionem sive in servitium, pravis consortiis per-

dantur, mandamus, ut omnes extraurbani animarum curatores parochum urbis de persona adveniente certiores faciant, ut suscipiatur in aliquam societatem catholicam.

Quia maior urbicolarum pars pertinet ad mercatores et opifices, cohortamur animarum pastores, ut propter magna pericula, omnino se tradendi rebus mundanis et materialibus, quam primum in quavis urbe et quovis foro maiore introducatur opportuna organisatio catholica pro his hucusque omnino neglectis statibus. Commendantur societates iuvenum mercaturae servientium sacerdote moderatore, pro adultis autem erigatur congregatio Mariana vel alia societas catholica.

Commendantur institutiones parochiales, ad quas diebus Dominicis et festivis iuvenes conveniunt, quae vulgo oratoria christiana nuncupantur, item sic dicta »Jugendheime, Lehrlingsheime, Jünglingsbünde« et huiusmodi. Ibi iuvenes invigilantur, ad sacra in ecclesiam ducuntur, ad bonas artes et mores probos instituuntur.[1]

Quod ad munus pastorale sensu proprio vel ad regimen spectat, exerceatur per parochum; coadiutores et sacerdotes alieni assumantur solummodo ad sacramenta dispensanda et cultum peragendum, in quantum per parochum huiusmodi functiones suscipi nequeunt. In cancellaria parochiali propter necessarium contactum cum parochianis saltem determinatis horis adsit parochus, cooperatores solummodo adiuvandi causa, non autem ordinarie, praesto sint. Laici, in quantum sint necessarii, ne adhibeantur nisi ad faciendas descriptiones mechanicas. Ad suscipienda vota et mandata parochianorum vel Missarum stipendia non sunt admittendi.

»Ex his facile intelligetis, venerabiles fratres, quanta unumquemque nostrum urgeat necessitas, animi vi qua possumus maxima quibusque pollemus opibus, huiusmodi supernaturalem vitam in omni ordine humanae societatis excitandi, ab infimae sortis opifice, cui panis ap-

[1] Acta et constitutiones Concilii provinc. Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pagg. 59 sqq.

ponitur diuturno sudore comparatus, ad arbitros terrarum potentes«.[1]

Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. (Eph. 5, 15. 16). *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sanguine testamenti aeterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem!* (Hebr. 13, 20. 21).

Caput CLXXVIII.

De cura pastorali iuvenum e schola dimissorum.

Ecclesia catholica, quia rectrix est fidelium in ordine ad vitam aeternam, uniuscuiusque hominum aetatis peculiarem curam gerere debet. Nisi enim corporalis et intellectualis cultura, singulares inclinationes et propria certae aetatis indoles attendantur, munus pastorale cum fructu exerceri vix potest.

Inter hominum vero aetates tempus iuventutis, quia transitum ab aetate puerorum ad virorum aetatem constituit, gravissimi ponderis est. Hinc cura de iuvenibus e schola dimissis semper maxime necessaria habebatur, nostris vero temporibus imprimis urgens apparet. Ob mutatas enim res oeconomicas iuvenum religioni nova impedimenta et pericula, quae prius non imminebant, orta sunt. Ex iisdem rationibus etiam influxus educationis ex parte parentum, ex parte Ecclesiae et ex parte societatis humanae imminutus est.

Nostra tempora insuper maiorem operationem religiosam non in hominibus generatim tantum, verum etiam in iuvenibus speciatim quam maxime postulant. Si enim homines in rebus mundanis magis excoluntur, et progressus nostri temporis iunioribus quoque hominibus communicantur, maior quoque cura esse debet de reli-

[1] Pii X. encycl. *Iucunda sane* de die 12. Martii 1912.

gione rite explicanda et mentibus et cordibus alte imprimenda.

»Adolescentes vel a pueritia ad christianos mores christianamque sapientiam informari non modo Ecclesiae, sed etiam reipublicae tanti interest, ut pluris interesse non possit. Id iam plane intelligunt, quicumque recte sapiant: proptereaque catholicos homines multis locis magno numero videmus de fingendis probe pueris vehementer sollicitos, in eaque re praecipuam et constantem operam nec sumptuum nec laborum magnitudine deterritos collocare«.[1]

Ideo in Nostra quoque dioecesi cura de iuvenibus e schola dimissis saepius iam commendata est.[2] Sed pro eius gravitate in hac Synodo eam accuratius determinare opportunum videtur.

Cura haec, ut firma sit et efficax, spectare debet iuvenem adaequate consideratum, constantem ex anima et corpore, praeditum facultatibus spiritualibus et corporalibus, quae hac in vita ab invicem separari non possunt, ita tamen, ut anima partem principalem curae constituat, et temporalia spiritu religionis compenetrentur ac modo conveniente fini supernaturali inserviant.

1. Cura de iuvenibus, ut rite exerceatur, ad indolem et notas characteristicas aetatis iuvenilis respectum habere debet.

Aetatem vero iuvenum ut *transitum a puero ad virum* considerari oportet. Finis enim huius aetatis est vir, quem christianum putamus, obfirmatum in deliberata et inconcussa catholice sentiendi et agendi ratione, imbutum voluntate constanti et victrice, quae non agit, nisi quae moraliter bona sunt. Non caret quidem passionibus, forsan vehementibus; voluntate tamen sua eas in servitutem redigit eisque utitur ut mediis. Oratio, susceptio

[1] Litterae encyclicae Leonis XIII. *Quod multum* de die 22. Augusti 1886. — [2] Acta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1883 celebratae. Marburgi, 1883. Pag. 83 et 84. — Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1903. Nr. IV. art. 31. pagg. 51—64. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pag. 231. — Folium officiale dioecesis Lavantinae 1911. Nr. IV. art. 25. pagg. 83—92.

sacramentorum, intima coniunctio cum sancta matre Ecclesia viro maxime cordi sunt, quia persuasum habet, eas in hac vita contra mundi vanitates necessarias esse. Labores terrenos gaudenter perficit, memor, eos officia sua esse; sed cor eius meliorem patriam et felicitatem perfectiorem desiderat et inquirit. Hic finis viro praefixus est.

Aetas puerorum et aetas iuvenum viae sunt ad hunc finem, sed modo diverso.

Puer crescit corpore et animo, sed passive et recipiendo. Recipit ea, quae vel coram ipso in domo paterna et in schola vel in ipso intra ambitum cognitionum suarum aguntur. Voluntas eius quasi gressus primos et prima tentamina peragit, sed sub ductu. Puer appetit ea, quae movent et delectant; orat libenter et ex intimo corde. Haec in natura eius posita sunt.

Alia de iuvene sunt dicenda. Vires eius et facultates tumescunt. Crescere et explicari vult; sed in facultatibus explicandis et ipse cooperari desiderat.

Intellectu iam diiudicat, distinguit, *critice* agit. Incipit quaerere, deliberare, comparare, coniungere, aedificare. In rerum causas inquirit.

Voluntate eligere exorditur. In hanc vel in aliam partem se inclinat. Diligit et odit, tentat et scrutatur. Liber esse desiderat et ducem aversatur. Pressioni immiti omnibus viribus refragatur.

Quaecumque incipit, quaecumque cogitat, quaecumque diligit, omnia agit *fortiter* et *alacriter*. In cunctis operibus magnam energiam et vim vitalem manifestat. Operatur sicut prodigus.

Nihilominus quasi in continuis *contrarietatibus* versatur et a die in diem mutatur. In ipso omnia moventur, vehementer operantur et colluctantur. Dimicant in eo intellectus et phantasia, voluntas et passio sibi invicem adversantur, inter corpus et spiritum magnum certamen est.

Aetas puerilis et aetas iuvenilis ipsi contrariae apparent, et quasi invitus quaerit, quid verum, quid bonum sit, quam in partem se inclinet.

Opinio de parentibus fluctuat ante oculos eius. Quum puer esset, eos optimos homines existimavit. Peccatum et error in parentibus impossibilia videbantur. Paulatim ipsos conspicit in numero hominum errantium et peccatorum.

Ecclesia in schola idealiter pulchra descripta est; erat ipsi una, sancta, catholica et apostolica, mirum opus divinae sapientiae. Nunc autem etiam in ipsa multos defectus esse cognoscit. Sacerdotes malos videt, manifestam inter pietatem et vitam discrepantiam ac divergentiam animadvertit. Et hoc modo ipsa sublimis sanctae Ecclesiae pulchritudo tenebris obscurari potest.

Veritas, quam parentes et magistri docuerunt, firma ei visa est. Modo vero multa dubia contra ipsam proferri et videt et audit et legit. Inter varia dubia veritas vacillare incipit.

Hucusque omnibus hominibus credidit et in ipsis confisus est; sed quam alii homines nunc ipsi in vita quotidiana apparent!

Voluntas eius quam cito mutatur! Superbia et inimicitia, amor, voluptas et libido naturae convenientes videntur, etiamsi adversentur eis, quae usquemodo bona ipsi visa sunt.

Ortum est in iuvene certamen inopinatum, vivit in contrarietatibus quasi assiduis.

Illud vero iuveni hac in pugna interna maxime proprium est, ut *omnem ductum aversetur, etiamsi ipso tantopere indigeat.*

Intellectus ipsius cognoscere, diiudicare, inquirere vult, sed in his rebus imperitus est. Voluntas eius diligere studet et, quod bonum est, ei associari desiderat, sed debilis est et nondum purgata. Species et veritas in eius anima colluctantur, et multoties victoriam reportat species, quia ipsi clarior apparet eique magis blanditur. Rerum essentiam perscrutari nondum valet et saepius in hanc vel in aliam partem inclinatur. Ubique educator, instructor, consiliarius, dux, consolator ipsi necessarius est.

Sensim iuvenis *supra personam propriam elevatur* et oculos in homines, quos diligat, convertere incipit. Vir in ipso exsurgit, sed in forma iuvenili, et sensus communitatis excitatur. Iuvenis in hominum societate laborare exorditur, sive ut dux sive ut membrum simplex, prout facultates permittunt.

Talis iuvenum indoles est et semper fuit. *Ad eam pastor animarum iugiter respicere* debet, ut iuvenes probe cognoscat et intelligat. Quod absque difficultate obtinere nequit. Est enim iam adultus et vir, qui putat, se talem semper fuisse. Insuper sacerdos impeditur munere suo, cum quo auctoritas et reverentia coniunctae sunt. Coram ipso iuvenis non homo, sed subditus existimatur. Quando ergo sacerdos comparet, iuvenes silent et ipsi cogitationes et relationes suas abscondunt.

Nihilominus curatorem animarum omnibus mediis adlaborare oportet, ut impedimentis istis non obstantibus, indolem iuvenum in genere et uniuscuiusque in specie cognoscat. Quem in finem ipsis associari debet, ut recto amore et sincera amicitia corda eorum aperiat.

Supposita hac cognitione cura de iuvenibus culturam cum intellectus tum voluntatis comprehendere et media tam supernaturalia quam naturalia adhibere debet.

2. Imprimis cultura *intellectus* necessaria est. Cognitio veritatum religiosarum ita dilatari, illustrari et mentibus imprimi debet, ut iuvenes, omni sciendi desiderio placato, catholice sentire assuescant et a doctrinis religionis numquam recedant.

Omnis autem instructio religiosa ab intus fiat, etiam in puero. Nil alieni, nil inconvenientis ipsi praeberi licet. Quod de iuvenibus magis valet.

Iuvenes enim sola veritatis propositione et explicatione contenti non sunt, sed rerum principia et causas inquirunt. Propterea, ut eorum sciendi desiderio satisfiat, ad ultimas veritatum rationes descendi oportet.

a) Si ergo iuvenibus persuadendum est, *Ecclesiam infallibilem* esse, non sufficit dicere tantum, hanc veritatem revelatam esse et ab Ecclesia definitam. Intelle-

ctus namque iuvenis profundiorem demonstrationem exposcit, ut assentiat. Monstrandum ergo ipsi est ex historia et experientia, quam debilis sit humanus intellectus et ad errores proclivis. Persuasibilibus verbis spiritualia hominum certamina exponenda sunt et explanandum, quomodo veritatem inter et errorem vacillaverint, donec defatigati de cognoscenda veritate desperaverunt.

Ita revelatio divina necessaria facta est. Sed data etiam hac revelatione lites, errores et incertitudines oriuntur. Pura, revelata veritas dividitur, dilaceratur, false intelligitur, detorquetur. Homines incerti et ancipites haerent sicut prius. Dari ergo debet visibile, infallibile magisterium, quod claritatem, certitudinem, possessionem veritatis nobis praebeat. Ita intellectus iuvenis ab intus cogitur, ut veritati amplius resistere non valeat.

b) Hic procedendi modus maioris momenti est, si de *praeceptis* agitur. Praeprimis iuvenibus demonstrari debet, quomodo Deus homines socialiter vivere fecerit, ut libere ad aeternam destinationem adspirarent. Ex duobus hominibus Deus omnes homines procreari voluit, ut super hanc terram in labore, in pace, in cultura viverent. Quam longa via ab Adamo ad diem hodiernum usque! Et quale tempus erit post millia annorum! Qua ratione faciliter advertentia et intelligentia iuvenum excitantur. Et nunc alia ipsis imago proponitur. In hac via hominum innumerae difficultates oriuntur. Homines ipsi debilitate ingenii et irrefrenata licentia se invicem perturbant. Et propterea Deus ipse praecepta dedit, paucis verbis expressa, ut in lubrica via vitae signa publica essent.

c) Valde utilis est etiam conveniens instructio *de necessitate confessionis.* Idcirco explicetur iuvenibus, Deum sacerdotibus dedisse potestatem peccata remittendi et retinendi. Exemplis deinde practicis demonstretur, sacerdotes hac potestate uti non posse, nisi ipsis constet, confitentem absolutione dignum vel indignum esse. De dignitate vel indignitate confitentis vero iudicari non potest, nisi peccator ipse sponte conscientiam suam detegat et peccata sua confiteatur.

Simili ratione etiam aliae veritates religionis illustrandae sunt, ut iuvenibus perfecte persuadeatur et omnis tergiversatio excludatur. Nam ipsa cognitio, quid verum, quid bonum sit, adolescentibus iam *firmam directionem* ad finem tribuit.

Impugnationes fidei, nostris temporibus adeo frequentes, expostulant insuper, ut fides *apologetice* quoque fulciatur. Nam depositum revelationis divinae peculiari cura in mentibus iuvenum contra omnia pericula firmari debet.

Sed hac in re ille procedendi modus commendari non potest, ut veritas et opiniones contrariae allegentur et deinde demonstrentur, respective refutentur. Etsi enim haec indoli iuvenum accommodatissime exponantur, contingere tamen potest, ut hic vel ille ex auditoribus argumenta non satis intelligat indeque in dubiis etiam posthac anceps haereat.

Praeferenda certe est illa ratio docendi, qua veritas ipsa quoad omnes partes et sub omni respectu dilucidatur et probatur, atque exinde paucis verbis conclusiones apologeticae deducuntur. Ita ad mirum ordinem in coelo et in terra provocari potest, ut ex his concludatur, Deum necessario exsistere.

3. Cura de iuvenibus ultra exposcit *culturam voluntatis*. Adolescentibus praeberi debent firma et practica motiva agendi.

a) Intellectui tantum persuadere, hoc esse bonum, illud malum, non sufficit; sed voluntas quoque induci debet, ut bonum faciat, malum vero devitet, impedimenta obstantia superet, et quidem non solum una vel altera vice, sed constanter et perseveranter.

Voluntas ergo iuvenum prona reddi debet, ut nonnisi quae bona sunt appetat et ad ea facienda dirigatur.

In puero ad voluntatem determinandam auctoritas, expressa prohibitio et poena sufficiunt. Iuveni vero verbum et praeceptum haud raro non est nisi vox inanis, auctoritas valorem amittit, timor et poena contemnuntur; immo ipsa prohibitio nonnumquam ad contraria allicit.

Voluntas ergo iuvenis alia ratione dirigenda est. Prohibitiones immutandae sunt in praecepta. Respici oportet ad bonas inclinationes et adspirationes easque excitare et ad operationem inducere. Officium ipsi ut opus bonum, pulchrum, utile, nobile proponendum est et praefigendum ut finis, quem omnibus viribus, magno animo et gaudio assequi contendat. Omni enim re, quae magna, nobilis et difficilis est, iuvenis incitatur. Dimicare enim et contendere et obloqui ipsi in acceptis est.

b) Caput praecipuum curae de iuvenibus est, eos assuefacere internae ascesi et animare, ut se vincant et abnegent. Iuvenis, in his rebus exercitatus, viribus et passionibus ut instrumentis ad finem bonum utitur.

Ne vero prohibitio ipsi amara duraque videatur, in forma magnae, sublimis et pulchrae rei, quae potentius operatur quam inclinatio ad malum, proponi debet. Possidet enim iuvenis vires bonas et malas, fere aequaliter divisas. Unde luctamen in ipso oritur, in quo alius quidem vincitur, alius autem vincit. Iuvenis vero curet, ut semper in numero victorum inveniatur.

c) Quoad sextum decalogi praeceptum minus prudenter proceditur, si ex parte prohibente tantum proponitur. Melius est, si etiam hac in re imprimis reale fundamen ponitur ac dein prohibitiones quasi consequentiae necessariae inde deducuntur.

Hic de quaestione non agitur, utrum finis sexualis hominis iuventuti exponendus sit. Qua de re hodie fere communis sententia est, methodum priorem, hanc rem celare et molestas quaestiones evitare vel repellere, amplius sustineri non posse, sed parentum esse, si hanc quaestionem declinare non valent, sensim et provide liberos instruere de naturali destinatione hominis. Supponitur hic, in domo domestica hoc factum esse.

His praemissis, paucis verbis innuendum est, qua ratione curator animarum et parentes *influere* debent in voluntatem iuvenum, ut sextum praeceptum *adimpleant*. Patet, opus hoc gravius esse quam instructionem hac

de re. Instructio enim sine educatione valorem minimum vel nullum habet.

Ut scopus ita propositus obtineatur, utile esse videtur exponere, Deum homini magnas, varias et occultas vires dedisse, quae in corpore et anima absconduntur. Quaecumque ergo hominis vis a Deo est; et si quis ea recte utitur, peccaminosa esse non potest.

Istae vires paulatim evolvuntur, optimae tardissime et perfectissime. Supra omnibus quasi quoddam mysterium est. Homo vires habet, quas vix opinatur. Sed vires istas curiositate ne turbet, ante tempus ipsis ne utatur, secus corrumpuntur.

Ante peccatum primum tale periculum non fuit. Nunc autem malae inclinationes ad hoc proclives nos reddunt. Propterea Deus absconditam rem istam vestimentis cooperuit, ut nonnisi cum timore et verecundia de ea cogitemus.

Evolutio istarum virium magna pericula parat. Multi naufragium patiuntur, quia tempus pro usu harum virium exspectare non satagunt.

Nihilominus Deus confidit in hominibus et iterum iterumque eos conari sinit, ut absque damno ad finem suum perveniant. Quod ut facilius redderet, hanc vim variis praeservativis institutionibus, legibus et praescriptis circumdedit, ut eam modo optimo communiret. Tali ratione ortae sunt leges de castitate, de matrimonio.

Ita iuvenibus demonstratur, quam magnae, pulchrae, rationabiles, sed etiam difficiles res sint matrimonium et castitas, quae ipsis ut finis, quem assequantur, ante oculos ponuntur.

d) Quando iuvenis adolescit, ipsi etiam magna immutatio, quae inducitur, si fit maritus vel pater, ostendenda est. Exponi ergo ei debet, liberos in patrem oculos suos convertere, qui secundum eorum sententiam neque errare neque mentiri potest, qui semper, quod bonum est, agit et nullo defectu laborat, sed summum virtutum exemplum est. Ideo iuvenis ita vivat, ut aliquando tali reputatione dignus sit.

Hic respectus ad statum matrimonialem valde utilis est, quia hic status, ad quem praeparantur, vires et virtutes magnas et extraordinarias exposcit.

e) Si de praeceptis sermo est, iuvenes instruantur, qua ratione ea practice adimpleant et quomodo in variis casibus vitae se gerant, utpote in coetibus, cum amicis, in legendis libris et ephemeridibus, in statu militari. Multi a recta via deviarunt, quia huiusmodi instructionibus carebant.

Quodlibet praeceptum suas difficultates habet. Si, ut exemplum afferamus, de quarto decalogi praecepto agitur, nostris temporibus certe iuveni facile non est adimplere hoc praeceptum, sicut et curatori animarum quibusdam in casibus difficile est de eo loqui, scilicet si parentes cum iuvene rationabiliter non agunt, si parentes patiuntur defectus, qui eos auctoritate, respectu privant.

Difficultates istas declinare non licet, sed cogitare debemus, nos ipsos esse in statu iuvenis. Certo quodam sensu partes iuvenis arripere cogimur, ita tamen ut ipsum nihilominus ad obedientiam inducamus.

Multum etiam interest, ut pro iuvenibus peculiares praedicationes habeantur, in quibus de eorum indigentiis in specie tractatur.

f) In hac operatione maximi momenti est, ut *iuvenum fiduciam et amorem acquiramus.* Sicut amici ipsis assistere debemus, eis ductum praebere, quin hoc sentiant, et tali ratione eorum spontaneam cooperationem excitare.

Sane, reverentia et admiratio, quae scientia et charactere comparantur, in iuvenibus dirigendis magnum adiutorium sunt. Sed amor et amica conversatio, quibus corda iuvenum aperiuntur, magis iuvant.

Iuvenis non obedit libenter et puer amplius esse non vult; propterea non permittit, ut quis ipsi praecipiat et ductum praebeat.

Ductus tamen ipsi pernecessarius est. Exemplum sublime sacerdoti in his circumstantiis divinus Salvator

in sanctissimo Sacramento sit. Illo tempore, quo scholae et parentibus quoad iuventutem frena e manibus dilabuntur, quo iuvenis ut coecus, pertinax et in se confidens in mundum irrumpere vult, divinus Salvator absque strepitu, amanter et amiciter in cor iuvenis venit, ut fortiter et suaviter, mansuete ac leniter, more amici et consiliarii, frena regiminis manibus suis arripiat. Ita putamus, et sacerdos faciat, qui est minister Domini.

g) Nostra agendi ratio etiam relate ad iuventutem talis esse debet, ut in nos et munus nostrum et nostram aetatem reverentia magna conspiciat. Attamen illud, quod praesenti tempore passim observari potest, negligendum non est, videlicet status et aetates vitae humanae in dies propinquiores reddi. Status profani statui sacerdotali coordinati esse censentur, et iuventus paritatem aliquam, prius ignotam, expostulat.

Ad haec habendus est respectus, ut sacerdos cum successu operationem suam exerceat. Iuvenes ut homines cogitantes et iura sua habentes tractari oportet. Saepe opiniones suas aperte manifestant, interdum regimen sibi arrogare attentant. Dexteritas curionis animarum tunc in eo maxime sit, ut ipsos rationibus, quieta agendi ratione et amicabili conversatione sub potestate retineat eorumque ductor maneat, quin hoc persentiant. Ut paucis verbis dicamus, *auctoritas et amicitia ita coniungendae sunt,* ut praerogativae auctoritatis non amittantur, vis autem amicitiae attrahens omnem effectum exserat. Haec quidem obtinere difficile est, sed non impossibile.

h) Ut principia praemissa facilius finem suum obtineant, *pro practico usu hae regulae valeant:*

α) Sacerdos *nexum habeat cum parentibus iuvenis,* quia in relationibus vitae domesticae iuvenem rite cognoscit et plane intelligit. Domus domestica eum in cura iuvenis adiuvet. Prudenter autem hac in re agat; saepe enim melius est, ut non parentes, sed ipse iuvenem moneat.

β) Curator animarum relate ad iuvenem *denunciatione* numquam utatur. Iuventus enim denunciationem maxim-

opere abhorret. Denunciatio ei peior omni et maximo peccato esse videtur.

γ) Si *transgressiones* contingant, misericors et patiens sit. Ne ira prima vincatur, neve iuvenes ut viros adultos diiudicet. Saepe inveniet, causam transgressionis esse defectum deliberationis aliasque circumstantias externas, rarius malitiam et malam intentionem. Sicut Deus nobiscum agit, qui infinite misericors est, ita et nos cum hominibus, praecipue cum iuvenibus, agere debemus.

Modo conveniente deinde iuvenis inducendus est, ut peccatum suum agnoscat eoque doleat. Severe ipsum monere, conviciis eum afficere, coram aliis humiliare media idonea non sunt. Mite autem verbum, in quo et magna aestimatio iuvenis exprimitur, vix sine effectu manebit.

δ) Si omnino necessarium est, ut iuvenis *puniatur* v. gr. e societate iuvenum excludatur, hoc non sine amore fiat. Itaque melius est, ut ipsi hoc ore, non scripto annuncietur. Sed etiam posthac sacerdos cum eo ut cum amico conversetur. Si iuvenis corrigatur, omnia ipsi dimittantur, et is iterum in societatem recipi potest.

ε) Summopere commendatur, *ut iuvenes sacerdoti adiutores sint.* Tali ratione multa edocentur et in bonis laboribus obfirmantur. Haec tamen inter iustos limites fiant.

ζ) In societatibus iuvenum necessaria est *inspectio*, velut in communionibus sacris, congressibus societatum. Sed inspectio, ut prosit et nullum damnum afferat, ne evadat molesta; sacerdos bene perpendat, quousque extendi possit.

η) Medium valde utile, ut iuvenis in bona via ambulet et in ea perseveret, sunt *boni socii et amici.* Socii et amici in vita hominum, praesertim iuvenum, magnum influxum habent. Instructio de bonis sociis et amicis atque monitio, ut pravos devitent, curae de iuvenibus gravis pars est. Si sacerdos hac in re sapienter operatur, tota societas iuvenum unio amicorum est, quae bonos effectus pro tota vita habet.

9) Impense etiam commendatur, ut *viri ex variis statibus* in consociationibus cum iuvenibus conversentur. Boni enim fructus numquam deerunt, si iuvenes ex ore adultorum, praesertim si ad status altiores pertinent, eadem audiunt, quae a sacerdote edocti sunt.

4. Pars peculiaris curae de iuvenibus ex *indole supernaturali fidei* nostrae descendit. Media praecipua, quibus fructus redemptionis supernaturales pro vita religiosa et morali communicantur, *oratio, sacramenta et sacrificium Missae* sunt. Rectus usus horum mediorum ad essentialem finem curae de iuvenibus pertinet.

Haec operatio pro vita religiosa et ecclesiastica iuvenum in sensu strictiore speciales difficultates parat et singularia officia iniungit.

Non exsistit tempus in vita hominis, quo tam parum de oratione vel de fidei necessitate cogitatur, quam in aetate iuvenili contingit. Puer orationem in acceptis habet. Vir difficultatibus vitae et cura pro familia sua orare et a Deo auxilium efflagitare docetur. Iuvenis autem sanus est, robustus, multa negotia habet; genua flectere ipsi non placet, sed magis virile videtur, minus pium esse. Exinde non orat, neque mane neque vespere, vel orat brevissime tantum et sine advertentia.

Diebus Dominicis Missae sacrificio dimidia advertentia assistit, ad valvas ecclesiae stans sine libro precum. Susceptio sacramentorum poenitentiae et altaris brevi tempore, postquam ex schola dimissus est, in desuetudinem abiit.

Contra istas difficultates omnibus viribus adlaborandum est, ut iuvenes orationem et susceptionem sacramentorum denuo adament.

Pro hac operatione omnino necessarium est, ut iuvenes *internam orationem* doceantur, Missae sacrificio assistere instruantur et informentur, quanta bona ex iis redundent. Si haec in schola edocti non sunt, in praesenti edoceri debent.

Deinde iuvenibus ostendendum est, qualem relationem oratio ad eorum vitam habeat. In medio certamine,

in mediis periculis, quae ipsis undequaque imminent, propria vis non sufficit, sed indigent auxilio desuper. Propterea orent, die Dominica utantur, ut in Missae sacrificio seipsos Deo offerant, in sacramento poenitentiae auxilium quaerant et in sanctissimo Sacramento robur recipiant.

In *praedicationibus* sacerdos ad iuvenes salutarem habeat respectum. De rebus, de cogitationibus, quibus iuvenes occupantur, disserat. Obiectionum et difficultatum, quae iuvenibus occurrunt, orator mentionem faciat easque solvat. Quomodo ex parvis initiis in virtute et in peccato magna evolvantur, ipsis explicet. Haec eorum advertentiam excitant.

Confessionem sacerdos iuvenibus, in quantum fieri potest, facilem reddat. In interrogationibus providus sit, ne confessio ipsis molesta fiat; sed cum ipsis sicut cum adultis agat. Demonstret ipsis, in virtute quidquid sit, rationabile esse, in peccato vero omnia esse damnosa. Causas peccati invenire studeat; tunc enim ipsos verbis paucis in viam rectam revocabit.

Iuvenes vero etiam edocendi sunt, ut *ipsi* statum suum et certamina sua manifestent. Nullo autem modo opprobriis afficiantur, sed potius inducantur, ut cognoscant, quid in causa verum et bonum sit. In genere confessio iuvenibus, ne quid alieni fiat, ne sit onus et coactio, sed institutum divinum, in quo a peccatis mundentur et a relapsu praeserventur.

Communiones *communes* propter bonum exemplum valde commendandae sunt. Si autem iuvenis sponte sacramenta recipiat, ad communionem generalem ne compellatur.

Instruantur quoque iuvenes, ut cum Ecclesia vivant. Hoc nostris temporibus eo magis requiritur, quia infallibilitas Ecclesiae in rebus fidei et morum haud raro impugnatur.

Adolescentibus insuper valde commendari debent oratio sacratissimi rosarii, devotio in honorem sacratis-

simi cordis Iesu et purissimi cordis Mariae virginis, veneratio angeli custodis, patroni et s. Aloysii.[1]

Moneantur etiam iuvenes, ut nomen dent confraternitatibus et piis associationibus nec non congregationibus Marianis.[2]

5. Considerata nostri temporis conditione, *illa media educationis naturalia* silentio praeteriri nequeunt, quae impraesentiarum maxime actualia sunt. Ad haec media pertinent:

a) Virtutes, quae relationes hominum ad invicem ordinant.

In iuvene, ut iam animadvertimus, praeparatur et evolvitur vir futurus, qui amorem et vires ad alias etiam personas extendat. Proprietates istae in iuvene nutriri et promoveri debent.

Iuvenis necessitatem amicitiae sentit. Dantur autem amicitiae bonae et malae. Iuvenis ergo edoceatur, ut inter homines distinguat. In quocumque homine ne confidat, sed in illo tantum, quem probavit. Limites amicitiae ita servet, ut amicitia non obstante malum semper evitet et bonum faciat.

Iuvenibus in aetate provectiore constitutis saepe prohiberi non potest, ut sponsas quaerant; attamen moneri debent, ut erga ipsas honeste et continenter se gerant.

Adolescentes enim ad statum matrimonialem praeparari oportet. In matrimonio autem christiano lex tantum amorem et tantam patientiam exigit, ut nonnisi a iuvene, qui in his virtutibus iam confirmatus est, exspectari possint.

Iuvenes ad *operationem in communitate, in imperio, in Ecclesia, in vita caritativa et sociali praeparari debent.* Ideo instruendi sunt, hunc laborem officium morale esse. Assuescant servare ordinem, addiscant obedientiam curamque pro salute communi. Persuadeatur ipsis, opus

[1] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pag. 231. — [2] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pagg. 306—321. — Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1903. Nr. IV. art. 31. pag. 62 et 63. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pagg. 532—549.

sublime esse visitare etiam homines, qui boni non sunt quique nostrum auxilium spernunt. Inducantur, ut in domo domestica erga parentes reverenter se gerant et pro ipsis libenter laborent. Si haec rite in exitum deducuntur, schola magna pro educandis iuvenibus erunt.

Socialis cogitandi et operandi ratio iuvenibus ut ius et officium ostendatur. Uniri cum aliis sociis, ut servent et exigant iura sua, sed intra terminos iustitiae tantum, ut licitum exponatur. Pax autem cum hominibus finis principalis semper maneat.

Quanto altius in iuvenibus ponitur fundamentum amoris, benevolentiae et laboris pro aliis hominibus, eo magis in eis refrenantur egoismus et desiderium vivendi secundum libidines suas, quae omnium peccatorum fontes esse constat.

b) Ne *iuvenes posito bono initio paulatim a via bonae, sanae evolutionis devient,* distinguantur in eorum operibus pravis *causa* et *effectus.* Contra effectus saepius impugnatur, dum causae non tanguntur.

Si iuvenis, scientiae cupidus, quia ducem non habet, omnia legit, et si exinde desideria impudica oriuntur, curatori animarum non tantum contra impuros iuvenis affectus agendum est, sed potius contra causam, id est contra lectionem librorum pravorum. Hinc iuveni boni libri suppeditari debent.

Vel si in iuvene, e schola dimisso, magnum *desiderium libertatis* oritur, ita ut praeceptis parentum amplius non obediat et tandem vel e domo paterna discedat vel in ipsa ut tyrannus vivat; non inobedientia, non defectus amoris erga parentes causae sunt, quas tolli oportet, sed desiderium libertatis, quod inter limites iustos redigendum est.

Diebus Dominicis et festivis iuvenes delectationibus haud honestis et rationabilibus implicari videmus, praesertim occasione concursuum ecclesiasticorum. Quia videlicet vires et alacritas iuventutis occupationem convenientem tempore libero non inveniunt neque in domo domestica

neque in societatibus catholicis, cupido delectationum haud honestarum in ipsis excitatur.

Quae qui sanare intendit, non adversus voluptates tantum sermocinari debet, sed etiam remedium opportunum ipsis opponere, id est adolescentibus occasio occupationum convenientium et delectationum honestarum danda est. Vires multas crebrius in emendandam iuventutem sine fructu impendimus, quia peccatorum causas non cognoscimus. Si causa invenitur, facilius succurri potest.

c) Cum praedictis alia regula intime cohaeret, scilicet *virtutes naturales* vel *terrenas* fovendas esse, et ad adiuncta exsistentia respici debere; quia istae virtutes et circumstantiae fundamentum sunt vitae moralis iuvenum et incitamenta ad laborem.

Sic *parsimonia* et *bonus usus pecuniae* haud satis commendari possunt. Tam arctus est enim nexus parsimoniae cum vita morali, ut teste experientia, si parsimonia deficiat, causa ordinarie in intemperantia inque coniunctionibus peccaminosis quaerenda sit.

Qui parsimoniae studet, alius homo est, quam is, qui in oeconomia rerum suarum ordinem non servat. Si parsimonia exercetur, longa series peccatorum exclusa est. Qui parsimoniam promovet, educationi adminiculum suppeditat efficacissimum.

Sed maioris adhuc momenti esse videtur, ut iuvenes inducantur, proventus et expensas quotannis annotare in fineque anni rationem concludere atque respectu habito ad rationem salutifera proposita facere.

Huc spectat etiam usus *alcoholi*. Quantam miseriam, sed et quantam corruptionem hic societatis humanae inimicus producit! Quae virtus in ebrio evolvi potest? Pugna contra nimium usum alcoholi pugna pro vita christiana est. Antequam cupido bibendi oriatur et occasio adsit, iuvenes de alcoholi oeconomicis, sanitatem spectantibus et socialibus consequentiis instrui debent, ipsisque tale taedium eius imprimendum est, ut iam a principio ab ipso abstineant.[1]

[1] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pagg. 263—273.

Tempus, periculis plenum, pro iuvene incipit, *quando e domo paterna peregre proficiscitur.* Si nil mali opinans in quocumque homine, in quacumque domo et in quacumque delectatione confidit ibique tentationibus et occasionibus obruitur, quibus eius anima, inexperta et hucusque bona et voluntas inconstans resistere nequeunt, pro iuvene hora tristis corruptionis saepe venit. Idcirco curatoris animarum est, providere, ut iuvenes in societates catholicas introducantur, quae in quaerendo habitaculo convenienti eisdem adiutorio sint. In istis societatibus catholicis iuvenes operariis associentur et mediante societate coniunctionem cum sacerdote ineant.

Haud minora pericula iuveni *tempore militiae* imminent. Status militaris procul dubio magnam utilitatem pro sanitate et educatione afferre potest. Sed quantum damnum ex ipso exercitia pia capiunt, et quot tentationes in eo contra vitam moralem oriuntur! Hinc adolescentuli praemuniri debent instructione praevia, eorumque voluntas obfirmanda est.[1]

De matrimonio iam plura protulimus, sed tamen hoc quoque loco eius mentionem facere oportet. Si matrimonium contrahitur, determinatae et immutabiles relationes introducuntur, quae in vitam moralem et religiosam essentialiter influunt. Si desunt facultates, scientia rei domesticae, sanitas, conveniens aetas, immo aequalitas religionis, vita hominis hucusque probi in matrimonio quam perniciosa fieri debet! Ideo cura animarum etiam ad naturale, terrenum fundamentum status matrimonialis extendi debet. Institutio iuventutis, sponsi et sponsae, in rebus praedictis moribus et religioni coniugum valde prodest. Si matrimonia rationabilia, sana procurantur, matrimonio iuncti faciliter probi et boni manebunt.

Alte ergo mentibus nostris fixum sit, pro vera moralitate naturale fundamentum, naturales virtutes et respectum ad actuales relationes, quas ignorare curioni animarum non licet, requiri.

[1] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pagg. 233—253.

Cura iuvenum, fratres mei dilectissimi, nobis maxime cordi esse debet. Iuventus spes est laetioris temporis futuri. »Quid maius, quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario caeterisque huiusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuvenum animos fingere non ignoret«.[1]

Si iuvenes contra temporis nostri pericula praemunimus, pro eorum corporali et spirituali salute laboramus, exemplum divini Salvatoris imitamur (Marc. 10, 14), qui et conatibus nostris benedicet et praemium permagnum nobis elargietur.

Hac ratione monito summi Pastoris in Ecclesia satisfiet, praecipientis: »Maxime vero, venerabiles fratres, studia vestra in puerorum atque adolescentium institutione fixa et locata esse volumus.«[2] Nam *adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* (Prov. 22, 6).

Caput CLXXIX.

De examinibus generalibus e disciplinis theologicis.

Maxima catholicae Ecclesiae sollicitudo ab ipsis eius exordiis eo semper tendit, ut ministros verbi et sacramentorum nonnisi eos instituat, *qui idonei erunt et alios docere, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.* (II. Tim. 2, 2; Tit. 2, 10). Unde, quos sacra doctrina ac morum integritate eminere experitur, eos sacerdotii dignitate auget, eos autem, qui necessaria scientia carent vel morum honestate destituuntur, utpote irregulares et inhabiles a sacro munere arcet.

Id ss. Patrum scripta, constitutiones romanorum Pontificum, Conciliorum decreta luculenter contestantur.[3]

[1] S. Ioannis Chrysostomi homil. 60. in Matthaei cap. 18. (Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Pag. 237). — [2] Epistola encyclica Leonis XIII. *Constanti Hungarorum* de die 2. Septembris 1893. — [3] Francisc. Xav. Wernz, Ius decretalium ad usum praelectionum in scholis. Romae, 1901. Tom. III. pars I. sectio I. tit. III. § 5. pagg. 88—100.

Media tamen, quibus candidati sacerdotii necessariam scientiam sibi acquirerent et mores suos expolirent atque bonos conservarent, pro temporum ac locorum diversitate diversa erant et diversa etiam modo esse possunt.

Qua in re dioecesis Lavantina sortes dioecesium provinciae Salisburgensis, maxime dioecesis Gurcensis et ex parte etiam Seccoviensis ad recentiora usque tempora participaverat. Neque enim separatum seminarium clericale habuerat, sed eius clerici inde ab anno 1811 Klagenfurti in seminario, utriusque dioecesis quasi communi, numero terminati studiorum tempore versabantur et una cum clericis dioecesis Gurcensis institutum theologicum frequentabant.

Anno 1850 quartus cursus theologicus e seminario Gurcensi ad sedem episcopalem Lavantinam in oppido s. Andreae exsistentem translatus est, partim ut Episcopus tali modo occasionem haberet melius cognoscendi futuros animarum pastores, partim ut alumni quarti anni assisterent in functionibus episcopalibus, potissimum vero, ut pro indigentiis propriae dioecesis practice ad curam animarum informarentur. Denique auctoritate legitima finibus dioecesium Seccoviensis, Gurcensis atque Lavantinae circumscriptis posterioris sedes episcopalis e valle Lavantina in Carinthia Marburgum in Styria inferiore translata est.

Priusquam vero haec perficerentur, impedimenta multa et magna superanda erant, omnia tamen Numine divino auxiliante et potestate ecclesiastica et civili cooperante postremo remota sunt. Decreto namque Sanctae Sedis apostolicae de die 20. Maii 1857 ecclesia cathedralis, in oppido s. Andreae in valle Lavantina exstans, suppressa est, et iura ac privilegia ecclesiae cathedralis in ecclesiam s. Ioannis Baptistae, in urbe Marburgensi iuxta Dravum fluvium exsistentem, translata sunt. Conventione Salisburgensi de die 22. Novembris 1858 demum fines dioecesium Gurcensis, Seccoviensis atque Lavantinae circumscripti sunt. Anno denique 1859 vertente sedes episcopalis Marburgi, in nova urbe Episcoporum Lavantinorum abhinc

residentiali, fixa est. Die 19. Augusti 1859 reverendissimus tunc Ordinarius dioecesis Lavantinae, piae recordationis Antonius Martinus, eo profectus, die 4. Septembris 1859, in festo ss. Angelorum Custodum, ecclesia s. Ioannis B., Antistitum Lavantinorum abhinc ecclesia cathedrali, sollemnissime potitus est.[1]

Caeterum de his in Synodo anno 1900 iam fusius egimus[2] ideoque hic ea utpote vobis, dilectissimi filii et fratres, notissima supponimus et merito ad ea, quae speciatim institutum theologicum, dioecesis Lavantinae proprium, tangunt, exponenda transimus. Etenim seminarium clericale prope ecclesiam cathedralem collocandum erat neque ab eo, quocum sua natura connectitur, institutum theologicum longe distare poterat. Quare piae memoriae Praesul iam litteris, die 13. Februarii 1859 ad c. r. Ministerium pro cultu et institutione missis, petiit, ut seminario habitacula et simul instituto theologico loca praelectionum assignarentur, quatenus studia theologica anno scholastico 1859—1860 inchoari possent.

C. r. Ministerium die 11. Martii 1859 rescripsit, omnibus iam provisum esse et tractum orientalem aedificii societatis Iesu quondam, nunc vero proprii fundi studiorum, a fundo religionis annuis 260 florenis conductum, institutis dioecesanis, de quibus ageretur, usui traditum iri.

Ita quoque factum est. Licet enim de numero alumnorum eorumque dotatione inter c. r. Ministerium et Ordinarium loci adhuc disceptaretur, hic tamen studium theologicum alumnis suis — numero tunc quadraginta — triduanis exercitiis absolutis, in tempore incipiendum esse censuit atque aedes, seminario et instituto theologico destinatas, die 10. Octobris 1859 modo sollemni dedicavit.

Porro sacrorum Antistes statuta disciplinaria, sapientiae et moderationis plena atque pietati in alum-

---

[1] Litterae pastorales de die 24. Ianuarii 1909. (Dr. Michael Napotnik, Send- und Lehrschreiben. Marburg, 1911. Pagg. 1012 sqq). — [2] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 peractae. Marburgi, 1901. Tit. IV. cap. XLIV. pagg. 394—408.

norum animis excitandae et fovendae perapta, seminario clericorum providit ad eaque fideliter observanda alumnos paternis verbis cohortatus est. Haec statuta, ab eius successore fel. mem. Iacobo Maximiliano die 17. Iulii 1863 approbata, Nos pro temporum circumstantiis modificata et aucta in Synodo anni 1900 approbavimus et mandavimus, ut sub initio cuiusvis anni scholastici alumnis praelegerentur et strenuae observantiae commendarentur.[1]

Quod ad institutum theologicum attinet, studium sacrae theologiae in eo iuxta normam, ab Episcopis anno 1856 Vindobonae congregatis praescriptam[2], per quattuor annos sive cursus distributum est. Itaque tradenda erant *in cursu primo* dogmatica generalis sive theologia fundamentalis, introductio in sacros libros, interpretatio sacrae scripturae V. T. secundum Vulgatam et lingua hebraica; *in cursu secundo* dogmatica specialis, exegesis sacrae scripturae N. T. secundum Vulgatam et secundum textum originalem; *in cursu tertio* historia ecclesiastica, praecipue dogmatum et constitutionis ratione habita, theologia moralis cum speciali respectu ad confessarii indigentias; *in cursu quarto* theologia pastoralis, liturgica, rhetorica, catechetica, paedagogica, ius ecclesiasticum. Praeterea in hoc instituto theologico docebatur in cursu primo archaeologia biblica, in secundo hermeneutica, in tertio theoria rhetorices, in quarto methodica et stylus curialis, ad libitum lingua arabica, chaldaica ac dialectus syriaca alumnis sponte inscriptis tradi poterant.

Deinde ab anno 1883 alumnis primi anni philosophia christiana praelegebatur, et anno 1896 Nostra cura factum est, ut pro eadem disciplina cum theologia fundamentali coniuncta propria cathedra c. r. Ministerii pro cultu et institutione rescripto in perpetuum erigeretur.[3]

Tum seminarium quod vocatur scientiarum, anno 1899 in instituto isto inceptum, litteris die 8. Februarii

[1] Op. cit. pagg. 408—433. — [2] Haec norma a c. r. Ministerio pro cultu et institutione die 29. Martii 1858 pro universo imperio austro-hungarico promulgata est. (R.-G.-Bl. 1858 Num. 50). — [3] Die 17. Iulii 1896 Num. 11.187. (Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Cap. XIV. num. 2. nota 1. pag. 347 sq).

1900 Num. 518 datis gaudentes approbavimus eiusque statuta in Synodo anni 1900 promulgavimus.[1]

In hoc seminario praeter themata stricte theologica etiam sociologia et architectonica tractari solent.

Episcopi demum ditionis austriacae in conventu generali, Vindobonae die 13. Novembris 1901 habito, c. r. Ministerio pro cultu et institutione annunciaverunt, sibi esse in votis, ut facultates theologicae loco examinum semestralium vel annualium e disciplinis theologicis, quae rescripto eiusdem c. r. Ministerii de die 16. Septembris 1851 § 5 praescriberentur,[2] examina generalia pro futuro introducerent.

De propositione hac exinde multae et variae consultationes et deliberationes inter c. r. Ministerium et inter Episcopos ortae et peractae sunt, antequam illud cum consensu Episcoporum promulgare posset edictum, quale notatur sub margine.[3]

Quamvis hoc edictum directe facultates theologicas cum aliqua c. r. universitate connexas vel extra talem exsistentes respiciat, instituta tamen theologica dioecesium non excludit ideoque Nos, dum ordinationem c. r. Ministerii scientiae theologicae emolumenta non minima afferre posse confidimus, auctoritate Nostra ordinaria declaramus, edicimus ac pronunciamus, examina generalia e disciplinis theologicis in Nostro instituto theologico ab anno scholastico 1911/1912 servanda esse, et circa ipsa examina haec ordinamus et decernimus.

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 peractae. Marburgi, 1901. Cap. XLV. pagg. 439—443. — [2] R.-G.-Bl. Num. 216. — [3] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1910. Num. III. alin. 15. pag. 42 et 43.

Verordnung des Ministers für Kultus und Unterricht vom 26. Dezember 1909,

womit provisorische grundsätzliche Bestimmungen für die Abhaltung von theologischen Fachprüfungen an den in und ausser dem Verbande einer Universität stehenden katholisch-theologischen Fakultäten getroffen werden.

Für die Abhaltung von theologischen Fachprüfungen an den in und ausser dem Verbande einer Universität stehenden katholisch-theologischen Fakultäten finde ich die folgenden provisorischen grundsätzlichen Bestimmungen zu treffen:

§ 1. Zum Zwecke des Nachweises der wissenschaftlichen Befähigung der Studierenden der Theologie werden an den in und ausser dem Verbande einer

§ 1. Ut alumni seminarii Nostri clericalis in disciplinis theologicis scientificam suam idoneitatem demonstrent, in princ.-episc. instituto theologico ex eisdem examina ut aiunt generalia abhinc inducentur.

Haec examina omnem materiam cuiusque disciplinae, quanta praescribitur norma ministeriali de die 29. Martii 1858 et in instituto theologico absoluta est, amplectuntur et habentur in fine eius semestris, quo praelectiones de respectiva disciplina conclusae sunt. (§ 3 et 4).

Ut autem materia disciplinae in anteriore semestri praelecta cum alumnis recolatur seu repetatur, examina semestralia, ordinatione caesarea de die 23. Aprilis 1850 praescripta,[1] cum suis feriis posthac servanda quidem non sunt, sed eorum loco per professores colloquia generalia de materiis tractatis habenda sunt.

§ 2. Ad examina generalia ii solum alumni admittuntur, qui de studiis in aliquo superiore gymnasio absolutis testimonium quod vocant maturitatis exhibere possunt et praelectiones de respectiva disciplina per semestres, studiorum ordine statutos, frequentaverunt.[2]

Universität stehenden katholisch-theologischen Fakultäten an Stelle der durch § 15 des Ministerialerlasses vom 16. September 1851, Z. 6165, R.-G.-Bl. Nr. 216, vorgeschriebenen Semestral- und Annualprüfungen theologische Fachprüfungen eingeführt.

Diese Prüfungen erstrecken sich über den gesamten Lehrstoff des betreffenden Faches (§ 3 und 4) und werden am Ende jenes Semesters abgehalten, in welchem die Vorlesungen über dieses Fach zum Abschluss gelangt sind. Die zum Studienbetriebe gehörigen Kolloquien werden hiedurch nicht berührt.

Es bleibt den Bischöfen unbenommen, im Sinne des § 4 der kaiserlichen Verordnung vom 23. April 1850, R.-G.-Bl. Nr. 157, auch weiterhin zur Wiederholung des Lehrstoffes Semestralprüfungen mit ihren die theologischen Fakultäten besuchenden Alumnen im bischöflichen Seminare vornehmen zu lassen.

§ 2. Zu den theologischen Fachprüfungen werden nur jene Studierenden der Theologie zugelassen, welche an einer hierländischen katholisch-theologischen Fakultät als ordentliche Hörer oder auf Grund des § 2 des Ministerialerlasses vom 16. September 1851, R.-G.-Bl. Nr. 216, als ausserordentliche Hörer eingeschrieben sind und die Vorträge über den betreffenden Lehrgegenstand durch die von der theologischen Studienordnung festgesetzte Anzahl von Semestern besucht haben.

Ausnahmen hievon können vom Ministerium für Kultus und Unterricht im Einvernehmen mit dem bischöflichen Ordinariate aus berücksichtigungswerten Gründen gewährt werden.

---

[1] R.-G.-Bl. Num. 157. — [2] Edictum ministeriale de die 16. Septembris 1851. (R.-G.-Bl. Num. 216).

Ad examina ista per exceptionem admittuntur alumni, qui sine huiusmodi testimonio in seminarium clericale pro temporum locorumque circumstantiis indigentiisque et sacerdotum penuria rite suscepti sunt, modo praelectiones studiorum ordine statutas ut oportet frequentaverint.

§ 3. Disciplinae theologicae, quae proprie obligatae aestimantur quaeque intra quattuor annos praelegendo absolvuntur atque ideo examinum generalium sunt, hae determinantur:

1. Philosophia christiana, 2. theologia fundamentalis sive apologetica, 3. studium biblicum V. T. cum lingua hebraica, 4. studium biblicum N. T. cum hermeneutica, 5. theologia dogmatica specialis, 6. theologia moralis, 7. historia ecclesiastiaca cum patrologia, 8. theologia pastoralis cum liturgica et rhetorica ecclesiastica, 9. catechetica et paedagogica cum methodica, 10. ius ecclesiasticum. Pro candidatis gradus academici 11. exegesis sublimior sacrae scripturae N. et V. Testamenti cum linguis orientalibus (syriaca, chaldaica et arabica).

§ 4. In quantum praelectiones de extraordinariis sive non obligatis disciplinis, cuiusmodi sunt christiana sociologia, ecclesiasticae artis historia, christiana archaeologia, encyclopaedia theologica, comparativa religionum scientia, philosophia moralis et sic porro, in instituto theologico dioecesano habentur, candidatis sacrae theologiae, qui tales praelectiones ut oportet frequentaverunt, si examen de eis generale subire volunt, id non negabitur.

§ 3. Als allgemein obligate Prüfungsgegenstände, über welche jeder Studierende der Theologie im Laufe der vorgeschriebenen vier Studienjahre sich der Fachprüfung zu unterziehen hat, haben folgende Hauptfächer zu gelten: 1. Christliche Philosophie, 2. Fundamentaltheologie (beziehungsweise Apologetik), 3. Bibelstudium des Alten Testamentes mit Hebräisch und Hermeneutik, 4. Bibelstudium des Neuen Testamentes, 5. Spezielle Dogmatik, 6. Allgemeine Kirchengeschichte (eventuell mit Dogmengeschichte), 7. Moraltheologie, 8. Pastoraltheologie mit Liturgik und geistlicher Beredsamkeit, 9. Katechetik und Pädagogik mit Methodik, 10. Kirchenrecht und für Kandidaten des theologischen Doktorgrades 11. Höhere Exegese des Alten und Neuen Testamentes und die orientalischen Sprachen (Syrisch, Chaldäisch und Arabisch).

§ 4. Soweit über ausserordentliche (nichtobligate) Lehrgegenstände, wie Christliche Gesellschaftslehre, Kirchliche Kunstgeschichte, Christliche Archäologie, Theologische Enzyklopädie, Vergleichende Religionswissenschaft, Moral-

§ 5. Commissio examinum tria membra habet, prodirectorem studiorum vel eius substitutum, commissarium Ordinarii atque professorem respectivae disciplinae. Commissarius Ordinarii e numero doctorum vel professorum s. Theologiae regulariter sumetur.

§ 6. Per unam et eamdem commissionem nonnisi quattuor candidati simul examini subiici poterunt.

§ 7. Examinator proprie professor relativae disciplinae est, sed praeses quoque et commissarius Ordinarii singulas quaestiones candidatis proponere possunt.

§ 8. Lingua, in qua communiter examina fieri debent, ea est, in qua disciplina traditur.

§ 9. Tempus examinis in regula dimidium unius horae pro singulis candidatis complectetur vel saltem non excedet.

§ 10. Exitus examinis iuxta propositionem professoris disciplinae (§ 5 et 6) per vota maiora commissionis, in qua etiam praeses ius suffragii habet, statuetur et nota »eminenter«, »bene«, »sufficienter« vel »insufficienter« signabitur.

philosophie u. a. an der Fakultät regelmässige Vorlesungen abgehalten werden, sind Studierende, welche diese Vorlesungen ordnungsmässig besucht haben, über ihr Verlangen auch Fachprüfungen aus diesen Lehrgegenständen zu unterziehen.

§ 5. Die Prüfungskommission besteht aus drei Mitgliedern, und zwar: aus dem Dekan oder dem nach § 13 des Gesetzes vom 27. April 1873, R.-G.-Bl. Nr. 63, berufenen Vertreter desselben als Vorsitzenden, dem Fachprofessor, beziehungsweise, wenn zwei oder mehrere Fachprofessoren vorhanden sind, aus einem derselben und dem bischöflichen Kommissär, der womöglich aus der Zahl der Doktoren oder Professoren der Theologie entnommen werden soll.

§ 6. Vor einer und derselben Prüfungskommission können gleichzeitig nicht mehr als vier Kandidaten der Prüfung unterzogen werden.

Wenn es die Zahl der Prüfungskandidaten erheischt, können auch zwei oder mehrere Prüfungskommissionen gebildet werden, wobei der Fachprofessor, soferne nicht zwei oder mehrere Fachprofessoren vorhanden sind, durch den Privatdozenten dieses Faches und in Ermanglung eines solchen durch den Professor des nächstverwandten Faches vertreten wird.

§ 7. Die Prüfung wird von dem Fachprofessor (§ 5 und 6) vorgenommen, doch steht sowohl dem Vorsitzenden als dem bischöflichen Kommissär das Recht zu, einzelne Fragen an den Kandidaten zu stellen.

§ 8. Die Prüfungssprache richtet sich stets nach der Vortragssprache des betreffenden Faches.

§ 9. Die Prüfungsdauer soll in der Regel für je einen Kandidaten eine halbe Stunde nicht überschreiten.

§ 10. Der Erfolg der Prüfung ist über Vorschlag des Fachprofessors (§ 5 und 6) durch Majoritätsbeschluss der Prüfungskommission, in welcher

De examinibus generalibus testimonia conficientur eaque a commissione subscribentur.

Haec testimonia vigenti signo reipublicae subduntur.

§ 11. Si candidatus in examine nota »insufficienter« signatus fuerit, commissio ei simul terminum indicet, quo ille examen renovare poterit.

Pro hoc examine regula est, ut per eum fieri debeat, qui in primo examine munus examinatoris obierat.

Si candidatus etiam in hoc altero examine reprobetur, priusquam ad novum examen admittatur, ei praescribi poterit, ut per unum vel duos semestres praelectiones respectivae disciplinae audiat. Ulterius examen de eadem disciplina cum ipso excluditur.

§ 12. Examinum generalium protocolla conficientur in eisque nomina examinatorum, examinandorum et horum locus natalis atque disciplina theologica et institutum theologicum consignentur et exitus suffragiorum notetur.

§ 13. Testimonia de examinibus generalibus in posterum locum habebunt testimoniorum annualium.

§ 14. Haec ordinatio ab anno scholastico 1911/1912 et deinceps vim ac vigorem obligationis habet.

---

auch dem Vorsitzenden eine Stimme zukommt, mit dem Kalküle: „eminenter", „bene", „sufficienter" oder „insufficienter" zu bezeichnen und in dem Meldungsbuche (Index), beziehungsweise Meldungsbogen in die Rubrik „Anmerkung" vom Fachprofessor einzutragen und von ihm sowie vom Vorsitzenden zu unterschreiben.

Auf Verlangen kann auch ein eigenes Zeugnis über die Prüfung ausgefertigt werden, das von der Prüfungskommission unterschrieben wird.

Dieses Zeugnis unterliegt den geltenden Stempelvorschriften.

§ 11. Erhält ein Kandidat bei der Prüfung den Kalkül „insufficienter", so hat die Prüfungskommission gleichzeitig zu bestimmen, zu welchem Termine die Wiederholungsprüfung aus dem betreffenden Gegenstande abzulegen ist.

Diese Prüfung ist in der Regel von jenem Examinator vorzunehmen, welcher bei der ersten Prüfung als solcher fungierte.

Wird der Kandidat auch bei der Wiederholungsprüfung reprobiert, so kann er vor Zulassung zu der zweiten Wiederholungsprüfung zum neuerlichen Besuche der Vorlesungen über den betreffenden Lehrgegenstand durch ein oder zwei Semester verhalten werden.

Eine weitere Wiederholungsprüfung ist ausgeschlossen.

§ 12. Über die vorgenommenen Fachprüfungen sind Protokolle zu führen, in welche die Namen der Prüfungskommissäre und der zu prüfenden Kandidaten, die in das Meldungsbuch, beziehungsweise den Meldungsbogen eingetragenen Daten und das Resultat der Abstimmung aufzunehmen sind.

Examina haec generalia onera quidem paulo graviora alumnis iniungunt ab eisque prolixiora studia exigunt, eis tamen profectus in scientiis theologicis, inde affulgentes, incitamento erunt, quo disciplinas theologicas in dies magis adament et incommoda, studiis forte iuncta, virili pectore vincant. *In novissimis enim,* ut sacrum eloquium de sapientia asserit, *invenies requiem in ea, et convertetur tibi in oblectationem.* (Eccli. 6, 29).

Haec vero sapientia, in disciplinis theologicis sita, in instituto theologico vix gustari, nedum exhauriri potest, et ideo vos, dilecti alumni, paterna voce vehementer hortamur, ne a sacris studiis umquam desistatis, sed in sacro etiam munere positi eis sollertes vacetis. Ita enim illam divi Pauli laudem merebimini: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* (I. Tim. 5, 17).

Caput CLXXX.

De praestantia ac dignitate cantorum ecclesiasticorum.

In Synodis annis 1896, 1903 et 1906 congregatis complura de musica sacra praescripta ac disposita sunt.[1] Quum concentus sacri partem efficiant sollemnis cultus divini simulque multum conferant ad devotionem et aedificationem fidelium augendam, necessarium esse duximus, ut ea, quae ad promovendam sacram musicam in Nostra dioecesi visa sunt utilia, in

§ 13. Die Bestimmung des § 20 des Ministerialerlasses vom 16. September 1851, R.-G.-Bl. Nr. 216, betreffend die Ausfolgung der Absolutorien an die Studierenden der Theologie, bleibt mit der Modifikation aufrecht, dass an Stelle der Klassifikation über die Semestral- und Annualprüfungen nunmehr jene über die Fachprüfungen zu treten hat.

§ 14. Diese Verordnung tritt sofort in Wirksamkeit.

Stürgkh m. p. —

[1] Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Pagg. 291—299. — Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pagg. 573—600. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pagg. 427—448.

Synodis promulgarentur. Etiam de dignitate et praestantia cantorum officii constitutionem synodalem evulgare placet. Rogamus vos, venerabiles cooperatores in vinea Domini, ut aptas occasiones arripientes exhortatoria dirigatis ad cantores verba, ostendentes eis excellentiam officii simul ac laboris meritum, quum »vere dignum et iustum, aequum et salutare« sit, Deo laudes decantare.

E tribus capitibus elucet, quanta praestantia emineat officium eorum, qui in ecclesia cantant: insignem nempe *locum* occupat cantus sacer in cultu divino publico; *verba*, quae decantantur, sublimis sunt dignitatis, partim desumpta ex divinis scripturis, partim composita a viris eximiae sanctitatis et pietatis, eamque, quae christianos sacris assistentes decet, redolentia devotionem; *Ecclesia* denique nullo tempore non promovebat cantum sacrum semperque laudibus exornabat eos, qui cantus liturgicos et pios exsequuntur.

1. Centrum cultus divini Missae sacrificium est. Pars quidem essentialis in consecratione reperitur, cui iuxta Domini institutionem communio ut pars integralis accedit. Ecclesia actionem sacram, qua salvificum Christi sacrificium repraesentatur, piis exornavit caeremoniis ac precibus, praeponendo praeparationem, adiungendo gratiarum pro tanto mysterio actionem. Utraque autem orationibus, lectionibus, sacris cantibus contexitur, ita quidem, ut sacerdos et cantores, qui populi gerunt vices, alternantibus vocibus Deum glorificent.

Iam ab Ecclesiae primordiis christiani convenire solebant, ut Deum precibus et hymnis laudarent. Exemplum secuti sunt Christi Domini, qui post coenam paschalem et institutum sanctissimae Eucharistiae sacramentum hymnum cum discipulis suis dixit. Divus Paulus in epistolis suis repetitis vicibus fideles commonet, ut cantent Deo laudes: *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino!* (Ephes. 5, 18. 19). Ad haec verba optime notat Nicetas, Episcopus urbis Remesianae in Moesia exstantis: »Scio non-

nullos non solum in nostris, sed etiam in orientalibus esse partibus, qui superfluam nec minus congruentem divinae religioni aestiment psalmorum et hymnorum decantationem. Sufficere enim putant, quod corde dicitur, lascivum esse, si hoc lingua proferatur. Et aptant huic opinioni capitulum de apostolo, qui scribit ad Ephesios: *Implemini Spiritu loquentes vobis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes et psallentes Deo in cordibus vestris.*

Ecce, ita ulterius sermocinatur vir Dei, in cordibus psallendum esse apostolus definivit, non more tragoediae vocis modulamine garriendum, quia sufficit Deo, qui corda scrutatur, si in cordis secreto canatur. At ego sicut non reprehendo psallentes in corde — semper enim utile est, quae Dei sunt, in corde meditari — ita collaudo eos, qui etiam cum sono vocis glorificant Deum. Et priusquam de multis scripturis instrumenti testimonia proferam, de ipso apostoli capitulo, quod multi cantores obiciunt, praescriptionis vocem eorum stultiloquiis repercutiam. Ait enim certe apostolus: *Implemini Spiritu Sancto loquentes vobis in psalmis!* Puto enim ora nostra laxavit et linguas solvit et labia prorsus aperuit. Loqui enim sine istis organis hominem impossibile est. Et sicut aestus a frigore discretus est, sic tacens a loquente diversus est. Cum vero dicit: loquentes in psalmis, hymnis et canticis, non fecisset etiam canticorum mentionem, si psallentem omnino tacere voluisset, cantare enim prorsus tacendo potest nemo. In cordibus autem quod dicit, admonuit, ne sola voce sine cordis intentione cantetur. Sicut alio loco ait: Psallam spiritu, psallam et mente, et voce et cogitatione.«[1]

Christianos in conventibus sacris semper orationes cum canticis miscuisse, epistola contestatur, quam C. Plinius ad Traianum imperatorem scripsit. Haec in ea leguntur: »Affirmabant (christiani quidam a fide deficientes) hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris,

[1] De psalmodiae bono n. 2. (Niceta of Remesiana. His life and works. By A. E. Burn. Cambridge, 1905. Pag. 68 et 69).

quod essent soliti, stato die ante lucem convenire *carmenque Christo quasi deo dicere secum invicem.*«[1]

Ecclesia postea nonnisi normas legesque dedit, quibus cantus liturgicus ordinatur.

Illi ergo, qui sacros concentus exsequuntur, insigni modo partes habent in peragendo sacro. Sicut angeli invisibiliter Christum eucharisticum circumdant adorantes, ita cantores visibiliter eum circumdant sacras laudes personantes.

Sed et in devotionibus privatis piisque exercitiis, quae Ecclesia semper promovebat et regebat, eminentem occupat cantus locum. Unde venit, ut decursu saeculorum Ecclesia patrona innumeri fere compositi sint concentus sacri omnibus idiomatibus, quum omnes linguae factae sint ad laudem et gloriam Dei.

2. Nec minor apparet cantorum dignitas, si verba, quae cantu exornantur, consideras. Ordinarium Missae, quod vocatur, tum vetustate tum sensu excellit. *Kyrie eleison* supplex oratio est, publicam peccatorum confessionem subsequens, qua sacerdos et chorus divinam misericordiam implorant. In angelico hymno *Gloria* miram cernis varietatem laudum et precum, quae ad Deum unum et trinum diriguntur. *Symbolum* nicaeno-constantinopolitanum agger inexpugnabilis est, quem Ecclesiae magisterium in primo Concilio oecumenico communi consensu adversus incursantes erexit fidei hostes. Sequitur ut prooemium sacratissimae actionis angelicum *Trisagium*, quod Isaias propheta in visione audivit, et *Benedictus* cum *Hosanna*, quod pueri Hebraeorum Domino sanctam civitatem ingredienti acclamabant. Ad sacram synaxim immediate praeparant verba *Agnus Dei*, quibus s. Ioannes Baptista Salvatorem mundi adesse monstravit.

Aliae Missae partes, quae in sollemni celebratione cantari solent, *Introitus* scilicet, *Graduale*, *Offertorium* et *Communio*, omnes fere desumptae sunt ex divinis scripturis, quae caelesti abundant sapientia.

[1] P. Allard, Le christianisme et l'empire romain. Paris, 1898. Pag. 293.

Verum et si alias inspicias cantiones, quae in honorem Dei, beatae Mariae semper virginis atque sanctorum caelicolarum compositae sunt, sensum pietatis admiraberis. Quot viri sancti ac docti cordis pia sensa versibus expresserunt! Cantoris autem est, quam illi in corde fovebant devotionem, vocis modulatione interpretari. Et sane magnam habent vim pia cantica, pie decantata. Audias unum s. Augustinum, fatentem: »Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter! Voces illae influebant auribus meis et eliquabatur veritas in cor meum et exaestuabat inde affectus pietatis et currebant lacrimae et bene mihi erat cum eis.«[1]

3. Auctoritas ecclesiastica sacrum cantum historia teste omni aetate fovebat. Sed et speciali honore eos afficiebat, qui cantica sacra concinebant. In oriente aeque ac in occidente antiquitus inveniuntur psaltae, qui in congregationibus fidelium religiosis psalmos cantabant. Quum etiam pueri in psaltarum munus assumerentur, mox scholae instituebantur, quae scholae cantorum vocari consueverant. Cantores illi locum prope altare occupabant et propterea vestibus utebantur clericorum, talari nempe et superpelliceo. Necessitate compellente usus antiquus paululum immutatus est, dignitate cantorum integra manente.

Meminerint ergo cantores ecclesiastici, se fungi munere bellissimo, dum concentuum harmonia divinum sacrificium aliasque religiosas functiones comitantur! Praecellant aliis non modo vocis suavitate, sed etiam fidei firmitate, caritatis fervore, devotionis studio, et prout elato consistunt loco in ecclesia, ita ubique exemplaribus luceant moribus! Obediant ecclesiae rectori, obtemperent musices magistro! Conversatio eorum modesta sit! Levitas, garrulitas, intemperantia, zelotypia, discordiae absint ab eis, ut quorum voces glorificant Deum, eorum etiam mores ipsi sint accepti.

[1] Confessionum lib. IX. 6, 14. (Edit. P. Knöll, Vindobonae, 1896. Pag. 208).

»Quae quum ita sint, fratres, tam pleniore fiducia hymnorum ministerium fideliter impleamus, ingentem, magnam nos credentes a Deo gratiam consecutos, quibus concessum est cum tantis et talibus sanctis, prophetis dico atque martyribus, Dei aeterni cantare miracula. Huic cum David confitemur, quoniam bonus est. Cum Moyse Spiritum Sanctum Dominum magnis illis canticis personamus. Cum Anna, quae Ecclesiae typum gerit, olim sterilis, nunc fecunda, in Dei laude corda firmamus. Cum Isaia de nocte vigilamus. Cum Habacuc psallimus. Cum Iona, cum Hieremia sanctissimis patribus orando cantamus. Cum tribus etiam pueris quasi in fornace positi convocata omni creatura Creatori omnium benedicimus. Quid hac delectatione iucundius? Nam et psalmis delectamur et orationibus irrigamur et interpositis lectionibus pascimur. Et vere, sicut boni convivae ferculorum varietate delectantur, ita nostrae animae multiplici lectione et hymnorum exhibitione saginantur«.[1]

Ubique credimus divinam esse praesentiam et *oculos Domini* in omni loco *speculari bonos et malos;* maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum assistimus. Ideo semper memores simus, quod ait propheta: *Servite Domino in timore,* et iterum: *Psallite sapienter,* et: *In conspectu angelorum psallam tibi.* Ergo consideremus, qualiter oporteat in conspectu Divinitatis et angelorum eius esse; et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostrae.[2]

Caput CLXXXI.

De centrali directione congregationum Marianarum.

Congregationes seu sodalitates Marianas, quae eo tendunt, ut sodales beatissimam virginem Mariam non solum praecipua veneratione ac peculiari honore

[1] Nicetas Remes., De psalmodiae bono num. 11 et 12 (Ed. cit. pag. 78sq). — [2] S. Benedicti Regula monachorum cap. XIX. (Recensuit Eduardus Wölfflin. Lipsiae, 1895. Pag. 31).

prosequantur, verum etiam vitae morumque integritate virtutum eius praestantissimarum exempla imitari studeant,[1] in Synodo anno 1906 celebrata commendavimus, et quomodo in dioecesi Lavantina introductae sint, quomodo erigantur et fructuose dirigantur ostendimus, nec non elenchum indulgentiarum, quibus a Summis Pontificibus insignitae sunt, dedimus.[2] Anno 1906 in dioecesi Nostra 193 congregationes exsistebant. Lustri decursu numerus earum mira cum celeritate crevit, ita ut 269 congregationes modo numerentur. Superest, ut sodalitates Marianae inter se coniungantur arctius et unionem ineant, ita ut omnes unum sint corpus, multis quidem constans membris, uno tamen animatum spiritu. Quapropter in Domino statuenda censuimus, quae sequuntur:

1. Omnes congregationes Marianae in dioecesi Lavantina rite erectae unum formabunt corpus veluti aciem armatam, bene ordinatam. Vinculum unionis erunt moderatores eligendi pro singulis decanatibus et moderator dioecesanus.

2. Moderator congregationum in decanatu exsistentium ad triennium eligendus erit ab omnibus sodalitatum praesidibus atque a Nobis confirmandus.

3. Officia moderatoris decanalis haec erunt:

a) Habebit conspectum omnium congregationum in decanatu erectarum.

b) Singulis annis omnes decanatus praesides convocabit, ut consilia conferant de promovenda vita religiosa et activitate sodalitatum. Valde optandum est, ut omnes conveniant praesides. De deliberationibus habitis et consiliis propositis instrumentum authenticum erit conficiendum et ad princ.-episc. Ordinariatum mittendum.

c) Praesides singulis annis usque ad calendas Iunias relationes de statu congregationum dabunt moderatori decanali, qui eas in suo libro adnotabit ac dein princ.-episc. Ordinariatui mittendas curabit usque ad calendas Iulias.

[1] Fr. Beringer S. I., De congregationibus Marianis documenta et leges. Graetii et Viennae, 1909. Pag. 120. — [2] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pagg. 532—548.

d) Moderator decanalis congregationes in decanatu exsistentes visitabit. Qua occasione cum praeside de sodalitatis profectu conferet, cum membris magistratus quem dicunt colloquetur et, si sodalium numerus magnus congregatus fuerit, verba exhortatoria ad eos diriget.

4. Moderator dioecesanus a Nobis ad triennium designabitur.

5. Officia moderatoris dioecesani haec erunt:

a) Conspectum generalem, omnes dioeceseos congregationes complectentem, habebit et sedulo complebit.

b) Altero quoque anno omnes moderatores decanales convocabit cum eisque deliberabit, quid congregationibus utilitati esse possit.

c) Omnium praesidum coetum, si necessitas vel utilitas postulaverit, annuente Episcopo conciet.

Monemus moderatores tum dioecesanum tum decanales, ut officia sua exerceant spiritu caritatis et zeli animarum, honoris beatissimae virginis Mariae cupidi. Praesides autem cohortamur, ut congregationibus praesint easque dirigant omni cum fervore. Sunt etenim sodalitates medium praestantissimum ad vitam religiosam in parochia augendam et promovendam. Profectus autem congregationis a prudenti zelo praesidis dependet. Praesidibus praeter ea, quae dicta sunt in Synodo anno 1906 facta, commendamus libellum, qui inscribitur: *Vodnik Marijanski.* Navodilo za pravilno vodstvo Marijinih družb:[1] et publicationem periodicam: *Praesideskorrespondenz für Marianische Kongregationen.*[2]

Insuper repetimus, quae in Synodo anno 1906 celebrata iam ediximus: »Praeprimis desideramus, ut in seminariis Nostris tum puerorum tum clericorum, tales congregationes erigantur, nam pro ipsis originitus introductae sunt. De ipsis exspectamus omnino necessariam reformationem et renovationem spiritus et maiorem vocationem clericalem. Clerici seminarii maioris vero tali modo practice discunt congregationes Marianas nec non

[1] Labaci, 1910. — [2] Wien IX., Lustkandlgasse 41.

methodum eas erigendi et, quod maximi momenti est, fructuose dirigendi.«[1]

Ecce, ego dico vobis: Levate oculos vestros et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem! (Ioan. 4, 35).

Caput CLXXXII.

De pia ss. Cyrilli et Methodii unione in dioecesi Lavantina redintegranda.

Sanctus martyr Petrus, Episcopus Alexandriae, in persecutione Maximiani Galerii illam temporum acerbitatem ita pertulit, ut multi, admirabilem eius patientiam intuentes, plurimum in christiana virtute proficerent. Is primus Arium diaconum Alexandrinum propter schisma Meletianum, cui favebat, a fidelium communione seiunxit. Ad eum capitis ab eodem Maximiano damnatum in carcere quum Achillas et Alexander presbyteri deprecatores Arii venissent, respondit, noctu apparuisse sibi Iesum veste discissa causamque rei sciscitanti dixisse: *Arius vestem meam, quae est Ecclesia, dilaceravit.*[2]

Quod vero Arius, superbia elatus, Ecclesiae Dei contraxerat damnum saeculo quarto, idipsum insolens Photius iteravit nono et ad finem adduxit Michael Caerularius, vir ambitione non minus quam calliditate plenus, saeculo undecimo: pretiosam Iesu Christi vestem — Ecclesiam — dilaceraverunt in partes duas et magnas, efficiendo deplorabile schisma Ecclesiam occidentalem inter et orientalem. Quam rescissionem religionis miserrimam quis christifidelium, plus octingentis annis iam durantem, non defleat, recogitans, hoc ipsum discidium maxime muhammedanismo in tres orbis terrarum partes aperuisse portas, complura decies centena millia hominum apostatare fecisse, florentissimas civitates christianas deva-

[1] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pag. 539. — [2] Breviarium Romanum die 26. Novembris. Lectio IX. de s. Petro Ep. Mart.

stavisse nec non christianitatis cunabula in solitudinem transformasse!

Haec vero in Ecclesia scissio nulli genti maiora intulit vulnera quam slavicae, quae saeculo nono per beatos fratres apostolicos Cyrillum et Methodium christianae religioni acquisita et fidei catholicae unita infelicissima saeculi undecimi discessione dilaniata est nostrisque temporibus catholicos, schismaticos, lutheranos nec non muhammedanos sinu suo continet.

In schismatis abyssum Slavis etiam praeclarum civilisationis christianae sidus decidit, quod ipsis saeculo post Christum natum nono per litteras, quibus sermo ipsorum Slavorum signatus et expressus ac religione christiana sacratus est, clarissime emerserat; in quod violentum chaos aurora communis dictionis et litteraturae Slavorum miserrime deperiit. Cor populi, quod est religio, dilaceratum est; discidium inter partes seiunctas unoquoque saeculo subsequente maius fiebat, omnes reunionis conatus paucis exceptis sine effectu permanserunt. Itaque Christus etiam nunc vestem suam, Ecclesiam scilicet sanctam, magis quam olim scissam imprimis inter complures gentis slavicae, animo sagaci intellectuque excellentis, nationes ostendit, quae tam propinquae quidem ad invicem sunt, attamen inter se tam longe distant.

»»Ex quo, nono labente saeculo, orientis gentes ab unitate Ecclesiae catholicae coeperunt avelli, vix dici potest, sic de fatali hac calamitate Beatissimus Pater Pius X. lamentatur, quantum a viris sanctis adlaboratum sit, ut dissidentes fratres ad eius gremium revocarentur. Prae caeteris vero Summi Pontifices Decessores Nostri, pro eo quo fungebantur munere, fidem et unitatem ecclesiasticam tuendi, nil intentatum reliquerunt, ut qua paternis adhortationibus, qua publicis legationibus, qua sollemnibus Conciliis funestissimum dissidium tolleretur, quod occidenti quidem in moerorem cessit, orienti vero grave intulit damnum. Huius sollicitudinis testes sunt, ut paucos tantum recenseamus, Gregorius IX., Innocentius IV., Cle-

mens IV., Gregorius X., Eugenius IV., Gregorius XIII. et Benedictus XIV.[1]

Sed neminem latet, quanti animi sui studio nuperrimo tempore Decessor Noster felicis recordationis Leo XIII. orientis gentes invitaverit, ut Ecclesiae Romanae iterum consociarentur. »*Nos quidem certe*, inquit, *pervetusta orientis gloria et in omne genus hominum fama meritorum ipsa recordatione delectat. Ibi enim salutis humani generis incunabula et christianae sapientiae primordia; illinc omnium beneficiorum, quae una cum sacro evangelio accepimus, velut abundantissimus amnis in occidentem influxit . . . Atque haec Nobiscum in animo considerantes, nihil tam cupimus atque optamus, quam dare operam, ut oriente toto maiorum virtus et magnitudo reviviscat. Eoque magis, quod illic humanorum eventuum is volvitur cursus, ut indicia identidem appareant, quae spem portendant, orientis populos, ab Ecclesiae Romanae sinu tam diuturno tempore dissociatos, cum eadem aliquando in gratiam aspirante Deo redituros.*«[2]

Nec minori sane desiderio Nos ipsi, venerabiles fratres, quod probe nostis, tenemur, ut cito dies illucescat, tot anxiis sanctorum virorum votis exoptatus, quo penitus a fundamentis subvertatur murus ille, qui duos iamdiu dividit populos, atque his uno fidei et caritatis amplexu permixtis pax invocata tandem aliquando refloreat.««[3]

Ita Summus Pontifex Pius PP. X., gloriosus Christi Iesu Vicarius in terris felixque s. Petri navis gubernator, cui non minimae curae est, ne aberret neve in aeternum pereat vel una tantum ovis totius pascendi gregis Dominici. Eiusque Decessor praeclarus, Leo PP. XIII., iam die 20. Iunii 1894 auctore suo dignam edidit epistolam encyclicam *Praeclara gratulationis* ad veterem tollendam inter schismaticos discordiam.[4]

[1] Hic Pontifex constitutione *Nuper ad nos* de die 16. Martii 1743 aliam fidei professionem Orientalibus praescripsit. — [2] Allocutio *Si fuit in re* de die 13. Decembris 1880 ad S. R. E. Cardinales in Aedibus Vaticanis. (Acta S. Sedis. Volum. II. pag. 179). — [3] Epistola Pii PP. X. *Ex quo* de die 26. Decembris 1910. (Folium officiale dioecesis Lavantinae 1911. Num. II. alin. 6. pag. 26). — [4] Acta Sanctae Sedis. Volum. XIV. pag. 195.

Cuius laudabilia studia veteris schismatis tollendi in Russia a nonnullis male intellecta atque parvi aestimata sunt, sicut elucet e libro ab Alexandro Běljàev, professore Academiae ecclesiasticae moscoviensis, exarato et anno 1897 edito contra has Leonis XIII. litteras encyclicas. Quod heterodoxi professoris opus in folio periodico »Acta Academiae Velehradensis«[1] a Dr. Leonini clare expositum plus satis perspicere sinit, quantae Romanis Pontificibus superandae sint difficultates qualesque vincendi adversarii, donec sublata vetere discordia diu iam optata veniat unio Ecclesiam catholicam inter et sic nominatam orthodoxam.

Perpensis his omnibus, ardentiore afficimur desiderio, ut quam primum adimpleatur tum in nobis, perdilecti animarum curatores, tum in cunctis slavicae gentis nationibus Salvatoris Domini nostri Iesu Christi sermo, quem abiturus ad Patrem maximo animi ardore proferebat, orans, ut omnes uniamur vinculo veritatis et amoris, quum in hoc tantummodo cognoscat mundus, nos eius esse discipulos. Quibus permoti vobis in memoriam revocamus peramatam utilissimamque piam *unionem* a praedecessore Nostro Antonio Martino, die 12. Maii 1852 clementer annuente Pio PP. IX., canonice erectam sub invocatione Deiparae Mariae et Slavorum apostolorum ss. Cyrilli et Methodii ad uniendos Ecclesiae catholicae tum Graecos non unitos tum Slavos schismaticos, cum hac obligatione: Singuli sodales quotidie orant *Pater noster* et *Ave Maria* cum additamento: *Sancti fratres, Cyrille et Methodi, orate pro nobis!*[2] In festo Patrocinii piae unionis (nunc 5. Iulii) singuli sacerdotes Sacrum offerunt, laici vero vel in ipso die festo vel infra octavam rite confessione abluti sacram recipiunt communionem ad eandem sodalitatis mentem. Insuper singuli novos sodales, quot Deo dante possunt, acquirunt.

[1] Pragae, 1911. An. VII. num. 1—2. pagg. 15 sqq. — [2] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Cap. XI. pag. 313. lit. f.

Huic piae unioni laetissimis cum animis exceptae non tantum plurimi Nostrae dioecesis Lavantinae christifideles passim adiungebantur, verum etiam in finitimis regionibus Hungariae, Moraviae et Galiciae gaudenter acclamaverunt ut pii sodales. Quorum nomina inscripta continentur codicibus confraternitatis, in domo Missionis ad s. Ioseph prope a Celeia atque in seminario clericorum Marburgi erectae anno 1852. In hoc inveniuntur ab initio usque ad praesentem Synodum 157.304 sodalium nomina, quorum primus ipse Princeps-Episcopus Lavantinus Antonius Martinus Slomšek inscriptus est. In illo vero impraesentiarum 25.980 membra piae unionis numerantur, quorum primum locum tenet Abbas Celeiensis Matthias Vodušek, exceptus die 8. Iulii 1852.

Ita ergo nostris diebus circa 190.000 sacerdotum et laicorum manus et corda extollunt ad Patrem veritatis et amoris, ut *non sint schismata* in christifidelibus: *simus autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia* (I. Cor. 1, 10), sicut Pater in Filio, ut credat mundus, quia misit eum (Ioan. 17, 21), et modo *fiat unum ovile et unus pastor* (Ioan. 10, 16) sicut in coelo ita et in terra.

Profusis pro Russiae reversione et graecae latinaeque Ecclesiae readunatione non solum apud nos, sed etiam in magna parte Galliae piissimis precibus, Deus misericordiarum opus nostrum novissimis temporibus iucundissimo iam prosecutus effectu prosequetur adhuc perficietque. Sicut enim eodem ipso canonicae institutionis anno 1852 princeps-femina Naracki, consanguinea imperatoris Russiae, in sinum Ecclesiae reversa est, et in comitatu Crassoënsi duo pagi, non minus quam 6000 hominum continentes, una cum sacerdotibus suis relicto schismate Ecclesiae catholicae coadunati dulci spe afficiebant omnes cum Ecclesia sentientes fore, ut et alii hoc exemplum imitarentur — ita revera evenit sequenti unoquoque decennio tum quoad singulas personas tum quoad totas regiones. Data enim a Nicolao, Russiae imperatore, anno 1905, nunc autem iterum arctioribus li-

mitibus determinata religionis libertate, copiosa populi multitudo, numero plus 260.000 hominum, ad veram Christi Ecclesiam transierunt.

Ex urbe Cracovia etiam diebus persecutionis singuli sacerdotes, Spiritu Dei acti, plebi, panem supernaturalem esurienti, sacramenta occulte administrantes munere pastorali fungebantur et adhuc funguntur. Matrimonii ineundi causa inopes veram fidem et salutem aeternam inhiantes ad tales sacerdotes per longum molestumque iter vel ipsam Cracoviam proficiscuntur. Labente quoque anno salutis 1911 in urbe moscoviensi eiusque confiniis mille circiter Russi, inter quos plures veteres numerantur familiae nobiles, ex »orthodoxia« ad Ecclesiam catholicam conversi sunt. Quis itaque ignoret, piae huius unionis fructum uberrimum et fuisse et adhuc esse? Cuius ut assequeretur communis christifidelium Patris approbationem maternamque Ecclesiae deprecetur benedictionem, Praesul Lavantinorum tunc temporis litteras de ea conscriptas substravit Suae Sanctitati Pio PP. IX. filiali more exorans, ut sodalibus sacras indulgentias tribuere et tali modo sodalitati characterem verae confraternitatis catholicae imprimere dignaretur.

Quas preces humillimas Christi in terris Vicarius consueta sua dilectione paterna benignissime exaudivit atque duo haec exoptata Brevia edidit:

I. Sanctissimus Dominus noster Pius IX. omnibus sodalibus piae unionis sub titulo ss. Cyrilli et Methodii, in propria eius ante enunciatae dioecesis (Lavantinae) ecclesia seu publico oratorio canonice erecto, Indulgentias ut infra, fidelibus quoque defunctis applicabiles, benigne in perpetuum concessit: Plenariam nempe die prima eorum receptionis in eandem piam unionem, si vere poenitentes, confessi sacraque communione refecti eiusmodi ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint ibique per aliquod temporis spatium iuxta mentem Sanctitatis Suae oraverint; et similiter plenariam, in mortis articulo acquirendam, dummodo rite, ut supra, sint dispositi vel saltem sanctissimum Iesu nomen corde, si ore nequiverint, devote

invocent; et pariter plenariam die, quo in eadem ecclesia seu publico oratorio festum principale praelaudatae unionis de Ordinarii pro tempore licentia celebrabitur, vel in eius octiduo, incipiendam ab ipsius festi primis vesperis usque ad ultimi diei dicti octidui solis occasum, uno tantum uniuscuiusque arbitrio eligendo ex iis diebus acquirendam; et septem annorum totidemque quadragenarum Indulgentiam quattuor aliis infra annum festis diebus, per Episcopum Ordinarium pro unica dumtaxat vice designandis,[1] si, ut supra, rite dispositi fuerint, visitaverint et oraverint, ac tandem sexaginta dierum Indulgentiam pro quolibet pio opere, quod corde saltem contrito et devote peregerint.

Praeterea indulsit, ut ipsi sodales praefatas Indulgentias in casibus etiam physicae infirmitatis vel alterius legitimi impedimenti lucrari queant, dummodo rite, ut supra, sint dispositi, ac insuper in primo casu alia pia opera, a respectivo confessario iniungenda, fideliter peragant, et in secundo casu, loco dictae propriae ecclesiae seu publici oratorii respectivam eorum ecclesiam parochialem visitent ibique, ut supra, orent.

Praesentibus valituris, servatis tamen servandis, iuxta constitutionem sanctae memoriae Clementis PP. VIII. sub datum Romae apud s. Petrum die 7. Decembris 1604, quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica*, non obstantibus quibuscunque aliis in contrarium facientibus. — Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 12. Maii 1852.

(L. S.) **I.** Card. **Asquinius,** Praefectus.
A. Colombo, Secret.

II. Ad humillimas preces actualis Episcopi Lavantini Sanctissimus Dominus noster Pius PP. IX. annuens, ut omnes et singulae Missae, quae pro quibusvis sodalibus defunctis piae unionis sub titulo ss. Cyrilli et Methodii, in propria eius de eiusmodi dioecesi ecclesia seu publico oratorio canonice erecto, ad quodlibet ipsius ecclesiae seu

[1] Vigore statutorum pro dioecesi Lavantina designatae sunt Dominicae quattuor temporum.

publici oratorii altare perpetuis futuris temporibus celebrabuntur, eadem gaudeant gratia, ac si in altari privilegiato celebratae fuerint, clementer indulsit; servatis tamen servandis iuxta constitutionem sanctae memoriae Clementis PP. VIII. sub datum Romae apud s. Petrum die 7. Decembris 1604, quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica*, non obstantibus quibuscunque aliis in contrarium facientibus. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 12. Maii 1852.

(L. S.)

I. Card. **Asquinius,** Praefectus.
A. Colombo, Secret.[1]

Quod Summi Pontificis donum ad verbum publicantes in hac nostra Synodo dioecesana praelaudatam sodalitatem denuo commendamus, paterne invitantes omnes et singulos clericos et laicos, filios filiasque sanctae Matris Ecclesiae nec non omnes bonae voluntatis fratres et sorores dispersionis, ut in spiritu verae humilitatis et Christi amoris pro coadunatione orantes nobiscum coniungantur, Patrem luminum atque misericordiarum ex toto corde instanter deprecantes, ut dies miserrimi schismatis abbreviare, gelu fanatici odii sole verae caritatis christianae liquefacere, horribile discidium a nobis, qui sumus eius liberi et Iesu Christi cohaeredes, longius removere dignetur. Quo enim amplior nostra confraternitas, eo maior evadet exercitus militum Christi Iesu, pro unitate regni Dei in gentibus orbis terrarum dimicantium.

Pergant igitur, quotquot contendunt causam tueri unitatis, sedulam huic sacro negotio navare operam; et pacis auctor atque amator Deus, cuius in potestate posita sunt tempora et momenta (Act. apost. 1, 7), diem accelerabit, quo orientis gentes ad catholicam unitatem exsultantes sint rediturae atque Apostolicae Sedi coniunctae, depulsis erroribus, salutis aeternae portum ingressurae.

Armis militiae nostrae, orationibus nempe bonisque operibus, una cum vita honesta vulnera non feriuntur,

[1] Folium officiale dioecesanum s. Andreae in valle Lavantina de die 18. Iunii 1852. Num. 950/4.

sed sanantur, impedimenta omnia superantur, hostes infensissimi vincuntur, nationes et regna acquiruntur: iisdem ergo de schismate quoque deplorabili certissima reportabitur victoria. *Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* (Iac. 5, 16). Vos forsan usque modo non aut vix pro conversione et reconciliatione haereticorum et schismaticorum *petistis quidquam in nomine Iesu: petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum!* (Ioan. 16, 24).

Insuper enixe rogamus, ut et alios persuasos faciatis, nihil Nobis antiquius esse, quam ut omnes bonae voluntatis homines vires indefesse exserant, quo desiderata unitas citius obtineatur, ut in una fidei catholicae professione sub uno pastore adunentur, quas discordia dispersas retinet oves. Quod facilius quidem continget, si ad Spiritum Sanctum Paraclitum, qui *non est dissensionis Deus, sed pacis* (I. Cor. 14, 33), fervidae ingeminentur preces. Inde enim fiet, ut Christi votum impleatur, quod ante subeundos extremos cruciatus cum gemitibus expressit: *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te; ut et ipsi in nobis unum sint.* (Ioan. 17, 21). Deus, qui preces pro Anglicanis et Germanis fusas tantis coronavit conversionibus, solem miserationum suarum etiam super frigidas gelatasque orientalis schismatis regiones oriri faciet atque fratres nostros in septentrione et oriente, seiuncte a nobis habitantes, sentire, *quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum,* in una videlicet veraque Ecclesia catholica, *quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum.* (Ps. 132, 1. 4).

Ad s. Ioseph prope a Celeia, in ecclesia confraternitati nostrae assignata, ubi in honorem ss. Cyrilli et Methodii altare erectum et anno 1909 noviter exstructum a Nobisque consecratum est, quotannis in festo principali praelaudatae piae unionis sollemne Sacrum pro vivis et defunctis sodalibus celebratur. Qui autem hanc confraternitatis ecclesiam visitare nequeunt aut nolunt, propria ecclesia parochiali pro persolvendis pietatis obligationibus uti possunt. In aliis dioecesibus, ubi cum proprii Ordinarii licentia haec pia unio introducta neque certa

ecclesia hunc in finem determinata est, quaelibet alia ecclesia visitanda proprio arbitrio eligi potest.

Nostram hanc confraternitatem vobis, seduli animarum pastores, iterum atque iterum quam maxime commendamus, sicut iam litteris pastoralibus anno 1906 fecimus, scribentes ibidem: »Ex intimo corde optamus et desideramus, ut reviviscat pia unio ss. Cyrilli et Methodii, a Pio PP. IX. die 12. Maii 1852 approbata, indulgentiis plurimis cumulata atque in Nostra dioecesi canonice erecta in finem hunc laudabilem, ut sodales diligenter et unanimiter orent pro conversione infidelium et haereticorum et pro coadunatione schismaticorum.«[1]

1. Propagetis igitur, dilectissimi, perutilem hanc sodalitatem praedicatione, praecipue circa festum ss. Cyrilli et Methodii, in instructione christiana, loquendo de confraternitatibus piisque congregationibus iuvenum atque virginum, nec non in scholis, catechizando parvulos. Praeclari vero fratres Thessalonicenses non tam laudentur, quatenus amor erga Slavos eos commendat nostrae gratitudini, sed potius ostendantur, illustrentur et celebrentur qua sancti, qua apostoli. Tempus est, ut eripiamus sanctos fratres iis, qui abutuntur eorum nominibus, ac si eos impulisset principium nationalitatis ad maiores nostros convertendos et non potius Dei amor et proximi.

2. Ut eo maior fiat sodalium numerus, aggregentur huic piae unioni omnes e scholis elementaribus discedentes parvuli. Obligationes, quas supra attulimus, neque his nimis graves erunt.

3. Si qui autem de iuvenibus vel puellis confraternitati nondum sint adnexi, invitandi sunt instructione, habenda in congregationibus Marianis vel similibus conventibus de fine eius salutari. Nomina noviter assumptorum sodalium aut in domo Missionis prope a Celeia aut in seminario clericorum Marburgi in libro confraternitatis inscribenda curentur.

[1] Dr. Mihael Napotnik, Pastirski listi. V Mariboru, 1906. Pagg. 672—712.

4. Ad maiorem confraternitatis propagationem consequendam inter christifideles magis magisque divulgentur pulchriores ss. Cyrilli et Methodii imagines, parvae, in parte aversa habentes impressam approbatam orationem pro conversione schismaticorum et haereticorum.

5. Propagentur similiter sacratissimi cordis Iesu imagunculae cum significantibus Leonis PP. XIII. precibus ad cor Iesu: *Rex esto, Domine, nec fidelium tantum, qui nullo tempore discessere a te, sed etiam prodigorum filiorum, qui te reliquerunt: fac hos, ut domum paternam cito repetant, ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet aut discordia separatos, eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor.*[1]

6. Neque obliviscemur Mariae, quae est mater omnium, etiam prodigorum filiorum, et magna gaudet veneratione apud heterodoxos. Ipsa neutique sinet illos in schismatis errore permanere usque ad finem. Invocemus eam, dicentes: *Sancta Maria, mater christianae unitatis, ora pro nobis et pro fratribus nostris seiunctis!*

7. In festo ss. Cyrilli et Methodii vel Dominica sequenti coram exposito sanctissimo Sacramento persolvantur preces ad huius piae unionis scopum supra indicatum obtinendum.

8. Nummi illo die ad altare colligendi, nec non contributiones sodalium annuales (ad minimum 10 h) transmittantur princ.-episc. Ordinariatui ad adiuvandos missionarios, inter gentes slavicas desudantes.

Eia ergo, perdilecti fratres et filii, e somno excitemus hanc *nostram* confraternitatem, omni festinatione in adiutorium properantes errantibus, ut cum ipsis assequamur finem nostrum ultimum, aeternam in coelis beatitudinem, iuxta illud s. Augustini: *Animam fratris salvasti, tuam ipsius animam praedestinasti!* Praestemus nos in omni agendi ratione nuncios veritatis et conciliatores sanctae unitatis orientales ecclesias inter et

[1] Formula consecrationis, ad sacratissimum cor Iesu recitanda, e litteris encyclicis *Annum sacrum* de die 25. Maii 1899.

Ecclesiam Romanam! Si tanta tamque subtiliter moliuntur filii tenebrarum, ut furentur et mactent (Ioan. 10, 10) et dilatent regnum mendacii, filii lucis certo maiora audebunt, ut adveniat regnum veritatis et fiat *unum ovile et unus pastor.* (Ioan. 10, 16).

Caput CLXXXIII.

De cura pro demigrantibus in terras longinquas.

Dulce et decorum est pro patria mori, romanus cecinit vates praeclarus.[1] Quemlibet tali patriae amore affici oportet, ut mortem pro illa sit paratus subire in casu necessitatis. Salvator divinus et verbo et exemplo amorem patriae docuit. Ille enim laborabat pro patria, pro popularibus suis, inter quos, ut s. Petrus ait, *pertransiit benefaciendo.* (Act. apost. 10, 38). Ipsum Redemptorem patriam intime amasse docent et lacrimae, quas de Hierosolymis flendo profudit. (Luc. 19, 42). Ipse utique pro universo mundo passus est, sed speciatim pro patria sua et pro suis popularibus animam suam dedit. (Matth. 26, 26 sqq).

Tali amori patriae adversatur agendi ratio eorum, qui e patria emigrant. Demigratio ex inferiore Styria sicut ex omnibus provinciis austriacis crescit quotannis. Multi domos suas vendunt et cum omni familia trans oceanum in Americam proficiscuntur. Quum olim de sacra urbe Roma Marburgum reverterer, in statione viae ferreae *Zidani most* ad me simplex venit agricola, petens, ut variis emigrantibus e territorio *Brežice* sanctam benedictionem tribuerem. Maximo dolore opprimebatur cor meum, quum benedicerem grandi multitudini emigrantium, virorum et feminarum, iuvenum et virginum, quinimmo et matrum cum lactentibus in ulnis, forsitan neminem eorum amplius visurus.

Multi sacerdotes saepe mecum conquerebantur de incessanter crescente desiderio suorum parochianorum

[1] Q. Horatii Flacci Carminum lib. III. 2, 13.

emigrandi e patria sua. In una parochia mihi narrabatur, octingentos parochianos, in altera, trecentos in America degere. Qualis miseria et corporis et animae plurimos afficit! Ante breve tempus visitavit me missionarius, qui in statu *Texas Americae septentrionalis* iam annos 28 laborat mihique enunciavit: »Nemini dandum est consilium relinquendi patriam et in Americam emigrandi. Plurimos poenitet hoc fecisse, quum mox experiantur, se domi feliciores esse posse, si tam diligenter tantoque fervore laborent, sicut in regione peregrina sudent et nitantur«.

Missionarius quidam ordinis franciscalis anno volvente 1911 me die 7. Ianuarii visitans, qui iam longiore tempore curam animarum pro demigrantibus austriacis Neo-Eboraci gerit, similiter de corporali et spirituali ruina maioris partis advenientium conquestus est.

Patria nostra certe adhucdum talibus tantisque proventibus modisque victum acquirendi pollet, ut omnes incolas, intellige laboriosos et virtuosos, perbene et sufficienter alere valeat.[1]

Annis 1895 et 1896 emigrabant in Brasiliam (ut regiones aliae, sicuti Canada, Argentinia praetermittantur) ex Austria-Hungaria 22.000 personarum. Secundum »Ephemeridem Austr. statisticam« pro 1907 (pag. 172) habitabant anno 1900 in Statibus unitis Americae septentrionalis 491.743 Austriaci. Iuxta relationem societatis s. Raphaelis austriacae pro anno 1908 venerunt in praedictos Status unitos annis 1907 et 1908 ex Austria-Hungaria 168.509 demigrantes. A die 1. Ianuarii usque ad diem 30. Novembris 1909 tantummodo per Tergestum profecti sunt 15.185 emigrantes in Americam septentrionalem et 4742 in Americam meridionalem. Solummodo mense Novembri anno praedicto 1024 personae Americam septentrionalem et 1180 Americam meridionalem petebant.

Summi Pontifices Leo XIII. et Pius X. multa de emigrantibus e regno Italiae sapienter decreverunt et quidem litteris encyclicis de die 18. Maii 1899, die

[1] Dr. Michael Napotnik, Send- und Lehrschreiben. Marburg, 1911. S. 1028 sqq.

19. Iunii 1900, die 25. Ianuarii 1908 et die 8. Septembris 1911. In his ultimis monentur parochi, ut periculis, ex demigratione provenientibus, iam prius occurrant, impertiendo scilicet succrescenti generationi et praesertim opificum infantibus solidam institutionem catechisticam, ita ut, quando adulti emigraverint, etiam procul a patria immaculatam servent fidem dignosque praebeant mores.

Speciatim autem Beatissimus Pater Pius X. ab Italiae Ordinariis postulat, ut quilibet collegium virorum pro emigratione curam habentium instituat (comitato per l'emigrazione), quod e sacerdotibus et laicis convocatum in eadem urbe, in qua Episcopus, sedem habebit et se medium interponet parochos inter et societates in curam emigrantium Milani (pro Europae statibus) et Romae (pro America) institutas. Parochi officium erit, ut collegio illi dioecesano numerum, professionem, viam et terminum viae migrantium in externas nationes nunciet; consilia, quae vicissim ab illo magistratu accipiet, cum emigraturis communicabit.

Ante diem, quo proficisci volunt, adunabit eos in ecclesia, docebit eos publico sermone et sacra synaxi refectos dimittet. Curabit, ut cum eis in litterarum communicatione maneat, etiamsi in terra aliena degant, eosque, in quantum possibile, auxilio collegii dioecesani adiuvet. Si denique ad proprios penates redierint, tunc tamquam pater eos excipiet et damna, quae inter depravatos homines in terris haereticis circa vitam religiosam moresque forsitan passi sint, resarcire et reparare studebit.[1]

Pius PP. X. motu proprio *Cum omnes catholicos* de die 15. Augusti 1912 apud Sacram Congregationem Consistorialem novum officium seu *Sectionem*, ut aiunt, de spirituali emigrantium cura constituit. Huius officii partes erunt, quaerere et parare omnia, quaecumque opus sint, ut in iis, quae ad salutem animarum pertinent, emigran-

[1] Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. Die 30. Septembris 1911. An. III. vol. III. Num. 13. pagg. 513—518.

tium latini ritus melior conditio fiat, salvo tamen iure Sacrae Congregationis Fidei Propagandae in emigrantes ritus orientalis, quibus eadem Congregatio pro suo instituto opportune consulat. Ac de sacerdotibus ipsis emigrantibus hoc idem unice cavebit officium, apud quod propterea praescriptiones ea de re, decretis Sacrae Congregationis Concilii datas, avocamus.

Itaque Sacra Congregatio Consistorialis, accedente Ordinariorum studio, quorum quidem ipsa confirmabit fovebitque in advenas auctoritatem, suffragante etiam opera consociationum emigrantibus adiutandis, quarum beneficam actionem, quocumque res postulaverit, diriget, divino munere poterit et quae sint, pro varietate regionum, necessitates emigrantium cognoscere et quae per opportuna visa fuerint maiorum remedia decernere.[1]

Quis emigrationem tot popularium nostrorum in regiones longinquas non deploret? Permulti quidem egestate compulsi vel alia necessitate e. gr. matrimonii ineundi relinquere domum paternam coguntur; dantur vero etiam fideles utriusque sexus, qui solummodo lucri causa vel alia minus honesta ratione moti terras alienas petunt. Filius prodigus profectus est in regionem longinquam et ibi vixit luxuriose. (Luc. 15, 13). Emigratione salus multorum periculo exponitur; insuper agricola noster, privatus adiutorio operariorum vel coactus operariis conductis permagnam solvere mercedem, vix aut ne vix quidem excolere potest agrum suum vel vineas ac propterea debitis, in dies maioribus, immergitur. Potestne sacerdos et verus patriota miseriam hanc videre et corde indifferens manere et frigidus?

Remedia contra calamitatem emigrationis.

Remedia generalia, ne desiderium emigrandi fideles quasi inficiat, praebere debet educatio. Haec incipiat iam in schola populari. Magister sive religionis sive alius

[1] Acta Apost. Sedis. Comment. officiale. An. IV. vol. IV. Romae, die 16. Augusti 1912. Num. 15. pag. 526 et 527.

disciplinae iam in pueris puellisque scholam visitantibus foveat amorem patrium et attentos illos faciat ad pericula, quae corpori et animae imminent in regionibus peregrinis, ubi domini seu heri non curant salutem operariorum, sed propriam prosperitatem. Porro quot variis infirmitatibus opressi deplorant sortem suam, quam non incurrissent in patria sua!

Divitias, quas in illis ditionibus invenire existimant, non inveniunt, etiamsi indefesse graviterque operari teneantur. Industria et parsimonia in sua quoque patria securius ad convenientem prosperitatis statum perveniunt animaeque suae saluti multo melius prospiciunt quam in terris exteris.

1. Foveatur ergo amor patrii soli, cuius curam gerere obligati sumus, unde sequetur, ne iuvenes et viri, hoc amore ducti, emigrent, nisi vera necessitas curae pro hoc solo illos compulerit.

2. Edoceantur fideles de vero valore laboris, divitiarum omniumque rerum terrenarum, si lumine aeternitatis aestimentur.

3. Assuefiant fideles, contenti manere pane quotidiano, licet splendide vivere datum illis non fuerit.

4. Praecipue vero fidelibus ab incunabulis inculcetur, totum mundum homini nihil profuturum, si anima detrimentum patiatur.

5. Iuventus imprimis ope sodalitatis Marianae in vita pia firmetur atque in bono proposito, per sanctificationem dierum festorum et per fugam peccatorum, immo et periculorum ad peccata, consulendi animae suae.

Eruditio sola vero non sufficit; nam, licet numerus demigrantium minuatur, emigratio ipsa omnino cohiberi numquam poterit; ergo pericula minuenda sunt. Ideo instare debemus ad sequentia.

a) Si paterfamilias ad perpetuum Americam petit, obligetur mulierem suam statim secum ducere vel saltem infra breve tempus ad se vocare; provideat quoque proli suae.

b) Si vero paterfamilias ad tempus tantummodo e patria migrat, petat a parocho litteras commendatitias ad curatorem animarum in illo loco, in quem conferre se intendit; obligetur, ut novo huic curatori quo citius semet sistat; si necessarium videtur, parochus quoque curiones americanos certiores reddat de suis parochianis illuc profectis.

c) Iuvenes et virgines, si domi retineri non possunt, similiter litteras commendatitias, in quibus nomen, parochia, status liber designatur, sibi procurent obligenturque, ut statim post adventum in novam patriam curato animarum semet sistant.

d) Si quis matrimonii causa in Americam se confert, requirat prius omnia testimonia ab Ecclesia requisita, procuret quoque proclamationes, quae in America quoque eodem tempore fiant, ut post adventum in Americam matrimonium statim contrahi possit.

e) Omnibus emigrantibus, imprimis iuventuti, commendetur, ut in America quaerant loca, in quibus nostrates iam occupantur, vel a quibus saltem ecclesia catholica non longe distat; ut societatibus illis nomen dent, quae a novo animarum curato illis probabuntur; ut sodales Mariani vel socii tertii ordinis etiam in America suum sibi eligant praesidem, statuta observent, pravas societates fugiant, parsimoniam foveant, sacramenta frequentent.

f) Omnes, sive soluti sive matrimonio iuncti, saltem illi, qui in patriam redire intendunt, coniuncti maneant cum domo paterna, cum sua parochia, cum sodalitate Mariana, cum tertio ordine, quam coniunctionem litteris frequentioribus sustineant.

g) Si possibile erit, schematismo dioecesano adiungetur descriptio illorum locorum, ubi nostrates maiore numero degunt, nec non parochiarum vel stationum curae animarum pro illis.

h) Singulis et omnibus in Americam proficisci volentibus inculcetur, ut ope et consilio societatis a s.

Raphaele, quae Labaci quoque sedem suam constituit, utantur.

In Germania multi operarii e patria nostra in fodinis occupantur, ubi periculo exponuntur, ne socialismo nomen dent. Horum quoque curam habere tenemur.

α) Synodus gratias rependit atque rependet Episcopis et sacerdotibus theodiscis, qui nostratibus curam animarum impendunt, praecipue scholae rectori in Hamborn, reverendo domino Gulielmo Köster, moderatori societatis operariorum in favorem Slovenorum constitutae.

β) Synodus rogabit venerabiles P. P. Franciscanos, ut bis singulis annis, mense Octobri et post festa paschalia, duos saltem Patres in illas regiones missionis causa mittere non desistant.

Consimili modo curandum est etiam pro popularibus nostris, commorantibus in aliis dioecesibus, praeprimis in Seccoviensi.

γ) Parochi quo citius conficere et a gubernio procurare studeant testimonia necessaria pro ineundo matrimonio, ne soluti, eo quod testimonium exspectant, in concubinatu vivere incipiant et continuent.

δ) Iuventus domi in congregatione Mariana assuefiat vitae christianae impellaturque, ut congregationem etiam in Germania continuet.

ε) In Germaniam proficiscentes edoceantur de periculis socialismi atque nomen dent societati Slovenorum, quae a s. Barbara nuncupatur.

ζ) Singulis annis Dominica post festum s. Raphaelis vel etiam Dominica, qua memoria sanctae Familiae recolitur, ad fideles — ubi necessarium hoc apparet — de demigratione eiusque periculis ex ambone sermo habeatur. Omni cum cura ac studio huic malo, quod inter mala socialia in nobis grassantia pessimum esse videtur, obnitendum est.

Ad Nos quod attinet, haud sane facile, fratres in Christo carissimi, reperiatis, in quo curae cogitationesque Nostrae, ut verba Pii PP. X. usurpemus,[1] maiore

[1] Epistola ad Dominicum sacerdotem, moderatorem instituti a s. Carolo

cum sollicitudine versentur. Vos vero pergite, dissitos cives fideles vestros christiana complecti caritate! Pergite bono ac saluti eorum consilio, opera, sacerdotii muneribus diligenter consulere, et hoc in animos inducite vestros, vix quicquam a vobis praestari posse, quod optatis Nostris, quod vestris in religionem ac in patriam studiis congruat aptius.

Emigrantes vero videant, ne, dum mortalis vitae rationibus prospiciunt, lamentabilem sempiternae iacturam faciant. Si haec eis immineat, extemplo in se reversi dicant: *Surgam et ibo ad patrem meum. Et surgens venit ad patrem suum.* (Luc. 15, 18. 20).

Caput CLXXXIV.

De penuria sacerdotum tollenda.

Circuibat Iesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum et praedicans evangelium regni et curans omnem languorem et omnem infirmitatem. Videns autem turbas misertus est eis, quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. (Matth. 9, 35—37).

En imaginem significantem nostra quoque tempora nostrasque regiones! Quotquot inter vos, carissimi sacerdotes, veri sunt cooperatores Nostri in vinea Domini Lavantina, ii omnes divini Magistri vestigia prementes indefesse faciunt opus eius salutare. In districtu curae suae commisso numquam quiescentes in dies properant ad ecclesias, ut ibi tremendum libent sacrificium, administrent sacramenta, annuncient haud raro bis, immo pluries, eodem die Dominico vel festivo verbum Dei. Ex ecclesiis iter sumunt ad scholarum domos, continuo crescentes numero, ut per plures diei horas catechizent parvulos. Dehinc iam fatigati, at sine mora deferunt

pro Italis demigrantibus. (Acta Apost. Sedis. Commentarium officiale. An. IV. vol. IV. Romae, die 16. Septembris 1912. Num. 17. pag. 581 sq)

longinquis viis fidei solamina infirmis et moribundis sanctissimum viaticum.

Praeter haud pauca cum parochianis nec non cum magistratibus tam ecclesiasticis quam civilibus agenda et praeter administrationem bonorum Ecclesiae temporalium cooperationem eorum requirunt piae congregationes et associationes catholicae. Neque sub ullo praetextu omittentibus vel negligentibus officium divinum orationis, meditationis, piae lectionis, examinis conscientiae, studii theologici aliorumque exercitiorum spiritualium hinc inde accidit, *ut non possint neque panem manducare, non habentes spatium manducandi.* (Marc. 3, 20; 6, 31).

Qui tamen virium conatus proborum sacerdotum minime sufficiunt ad satisfaciendum indigentiis fidelium spiritualibus, siquidem *messis multa, operarii autem pauci.* Ultra sexaginta stationes curatae in dioecesi Nostra hoc tempore vacant exspectantque animarum pastores et parvulorum eruditores, atque populus fidelis occasione praesertim data visitationis canonicae, quum corde commoti eius zelum, quo adit ecclesias et assistit cultui divino, audit verbi divini praedicationem et suscipit sacramenta, laetantes miramur, libellis et verbis supplicibus Nos rogitat, ut mittamus ipsi sacerdotes. Sed »cum cordis dolore ac planctu oculorum«, sicut iam ediximus in Synodo dioecesana anno 1903,[1] petentes »sine solamine dimittere debemus, quia adiutores non habemus, quantum necessitas a Nobis exposcit«.

Praeter sacerdotum penuriae causas in dicta Synodo enumeratas, uti sunt »fidei demissio, mala vel neglecta educatio filiorum, dissoluta disciplina in familiis, parva reverentia, quae ministris Ecclesiae exhibetur, indifferentia in rebus, quae bonum animarum respiciunt«, haud parum conferunt ad numerum sacerdotum minuendum homines irreligiosi, qui dolendo errore capti et abominabili religionis Ecclesiaeque catholicae odio ducti iuvenes in scholis mediis versantes et mox de eis abituros,

[1] Ecclesiae Lav. Syn. dioec. anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. CIV. pag. 907.

alioquin ad speciale Dei servitium vocatos, mediis quibuscumque valent, praesertim subventionis materialis, si desilierint a proposito sancto, promissionibus avertere connituntur a vocatione divina eosque derisionibus, contumeliis, conviciis afficiunt, si in ea perseverent. Quid mirum, si paucis ad Theologiae studium accedentibus aulamque sacerdotii intrantibus, et ne his quidem omnibus perseverantibus, annuatim sacris ordinibus initiari vix possimus, quot necessarii sunt ad occupandos locos, morte pastoribus orbatos vel a curatis, nimiis laboribus ante tempus defatigatis, ob vires deficientes derelictos. Quae calamitas de die in diem crescere resque in peius semper videtur ruere!

Utique de Ecclesia eiusque ministerio divinitus instituto non est timendum. Certo enim divina providentia, »quae in sui dispositione non fallitur«,[1] aeterno consilio multo plures quam necessarii sunt, ut satisfiat animarum indigentiis, vocavit ad sacerdotium, et indubitanter confidere licet, numquam usque ad finem saeculorum fore, ut penitus deficiant *ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* (I. Cor. 4, 1). Non tamen ideo dicendum superfluam esse humanam cooperationem ad augendum numerum sacerdotum, immo haec omnino requiritur. Sicut enim natura innumeros producit flores, ex quibus tamen maior pars ante foecundationem et fructificationem decidit et emoritur, ita ex multis vocatis ii tantum re vera perveniunt ad sacerdotium, qui hanc gratiam summam tum propriis orationibus bonisque operibus promerentur, tum ab aliis in ea impetranda precibus assiduis et suffragiis adiuvantur, quibusque in aspera ad culmen sacri servitii via favent prosperae conditiones externae.

Quod Ecclesia Dei persuasum habens ab initio specialem impendebat curam in eligendos, erudiendos, praeparandos adolescentes ad sublime altaris servitium talique modo coelestis vocationis flores, divinitus horto suo insitos, usque adeo excolendos, ut *fructum afferant et fructus*

[1] Oratio Domin. VII. post Pentecost.

eorum maneat. (Ioan. 15, 16). Inter huius curae monumenta eminet celebre ac grave sacrosancti oecumenici Concilii Tridentini decretum de erigendis seminariis, quod edixit: »Quum adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et, nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret: sancta Synodus statuit, ut singulae cathedrales, metropolitanae atque his maiores ecclesiae pro modo facultatum et dioecesis amplitudine certum puerorum ipsius civitatis et dioecesis vel eius provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in collegio, ad hoc prope ipsas ecclesias vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere ac religiose educare et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur.«[1]

Cui decreto quo modo a decessoribus Nostris piae memoriae Antonio Martino et Iacobo Maximiliano nec non a Nobis ipsis, magnanimiter adiuvantibus Clero populoque fideli, satisfactum sit, bene nostis, animarum curatores dilectissimi, et legere potestis in libris nostris synodalibus ex annis 1896[2] et 1900,[3] praesertim vero in opusculo, continente sermonem ad seminarii minoris alumnos die 8. Decembris 1909 habitum brevemque seminarii puerorum historiam, in lucem a Nobis edito anno praeterito 1910.[4] In instituto »Maximilianum-Victorinum« nuncupato, quod exordium cepit anno 1849 Celeiae, inde post varias vicissitudines anno 1878 Marburgum translatum et anno 1893 spatiose ampliatum est, nunc temporis octoginta circiter alumni, frequentantes caes. reg. gymnasium Marburgense, quovis anno aluntur. Ex

[1] Conc. Trid. sess. XXIII. decretum de reform. cap. 18. — [2] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Cap. XXIII. pagg. 392—396. — [3] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1900 peractae. Marburgi, 1901. Cap. XLVI. pagg. 439—460. — [4] Dr. Mihael Napotnik, Vtisnite si te moje besede v svoja srca in v svoje duše! Govor do semeniščanov in semeniške zgodovine obris. V Mariboru, 1910. Pagg. 187.

instituti alumnis praeteritis triginta annis centum et viginti (sive ex omnibus susceptis sex fere inter centenos) absolutis studiis mediis theologiae operam dederunt.

Ut augeatur numerus et ephebei alumnorum et consequenter theologorum sacerdotumque in dioecesi Nostra, respicientibus eiusdem decreti Tridentini verba: »In ecclesiis autem amplas dioeceses habentibus possit Episcopus unum vel plura in dioecesi, prout sibi opportunum videbitur, habere seminaria« firmum est Nobis propositum, fundandi etiam Celeiae et Petovii pro illis districtibus, ex quibus utpote dissitis difficilior est iuvenibus studentibus ad civitatem Marburgensem aditus, viridaria sacerdotii candidatorum, forsan *Michaelium* et *Raphaelium*, nominibus de coelestibus iuvenum custodibus desumptis, vocanda.

Pro quibus iure, ab eodem sacrosancto Concilio Episcopis concesso, sumptus necessarios procurare Nobis possemus, detrahendo ex reditibus dignitariorum, canonicorum caeterorumque beneficiatorum dioecesis Nostrae in eum finem partem congruam et compellendo, »ad hanc portionem solvendam beneficiorum . . possessores per censuras ecclesiasticas ac alia iuris remedia, etiam vocato ad hoc, si videretur, auxilio brachii saecularis.« At iam ostendit Clerus populusque fidelis Lavantinus laudandam et mirandam hac in re caritatem ac voluntariam liberalitatem. Iam securam reddidit et magnificis pensionibus, donationibus, fundationibus in tuto collocavit exsistentiam seminarii puerorum Marburgensis duraturam in longitudinem dierum.[1] Iam signavit et partim solvit ad invitationem Nostram, factam die 3. Novembris 1908 Num. 5440, centena fere coronarum millia pro seminario Celeiae constituendo. Itaque in Domino sperantes confidimus fore, ut sacerdotes Nostri, *non umquam obliviscentes beneficientiae et communionis, talibus enim hostiis promeretur Deus* (Hebr. 13, 16), quum superatis haud parvis difficultatibus emergentibus opus fuerit, sicut ipsi spon-

[1] Dobrotniki kn. šk. dijaškega semenišča. (Dr. Mihael Napotnik, op. cit. Pagg. 93—127).

tanee dilatent cor et patere faciant manum beneficam, ita fideles quoque modo prudenti et tempore opportuno inducant, ut donationibus, testatis vel legatis succurrant institutis tum exsistentibus tum condendis, ex quibus prodituri sunt probi animarum pastores. *Et haecce erit egregia Cleri dioecesani cooperatio ad auferendam penuriam sacerdotum.*

In praesentibus vero libet loqui de aliusmodi curionum ad multiplicandum numerum sacerdotum cooperatione, quae requiritur, ut ex ipsis, qui incumbunt studiis mediis, sive in convictu episcopali degant sive extra illum, plures quam hucusque et quam plurimi sequantur divinam vocationem seque dicent sacris scientiis theologicis, theologi vero in proposito perseverent, usquedum initientur sacris ordinibus et evadant sacerdotes secundum cor divini Salvatoris, qui est *Pontifex factus in aeternum* (Hebr. 6, 20), *Pastor et Episcopus animarum nostrarum.* (I. Petr. 2, 25).

Quoad seminarii cum minoris tum maioris alumnos directores utriusque in Domino monemus et obsecramus, ut, statuta suis domibus adaptata nec non constitutiones synodales sedulo ad effectum deducentes, alteri quidem »omnes vires intendant, ut quo plures et meliores Nobis adolescentes, pietate ac scientia conspicuos, e seminario puerorum afferant, ut eos primo mane conducamus operarios in vineam Domini«[1] (Matth. 20, 1), alteri vero collatis consiliis et viribus cum sacrae Theologiae professoribus et unanimi conatu cum caetero dioecesis Clero adlaborent, »quatenus alumni ad scientiam ac pietatem et disciplinam ecclesiasticam informentur, ut prodeant e seminario clericorum sacerdotes sancti, in lege Domini voluntatem habentes et *perfecti homines Dei, ad omne opus bonum instructi.*«[2] (II. Tim. 3, 17).

In eundem finem animarum curati et catechistae pro suo officio et pro suis viribus cooperentur oportet. Quae cooperatio considerari potest in relatione ad Deum,

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioec. Lav. anno 1900 peractae Marburgi, 1901. Pag. 460. — [2] Op. cit. pag. 433.

ad familias christianas nec non ad ipsos sacerdotii candidatos.

A) In relatione ad Deum secundum divini Magistri praeceptum: *Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* (Matth. 9, 37. 38): fundendae sunt pro bonis sacerdotibus fervidae ad Deum preces, quia *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* (Iac. 1, 17). Etiamsi enim Deus aeterna praedestinatione tot ministros, quot Ecclesiae usque ad consummationem saeculorum sufficiant, vocaverit ad sacrum servitium, tamen in finem, de quo sermo, aeque ac in caeteris gratiis impetrandis, ex parte Ecclesiae necessarius est concursus orationum, tum quia Deus hunc consilio aeterno pariter *ante mundi constitutionem* (Ephes. 1, 4) praevidit, tum quia sola vocatione ad sacerdotium res nondum est absoluta. Propterea Christus mandavit, rogate Dominum, non ut vocet, sed ut *mittat* operarios, id est, ut opus grave et grande, quo Ecclesiae suppeditatur necessarius proborum ministrorum numerus, non tantum incipiat et prosequatur, sed et in singulis casibus ad optatum perducat effectum: omne donum *perfectum* desursum est.

Quapropter, animarum pastores et catechistae in Christo dilecti, 1. ante omnia ipsi offerte Deo orationes vestras tam publicas quam privatas caeteraque bona opera, praesertim sacrosanctum Missae sacrificium, hac inter alias bona intentione: ut Deus intercedente beatissima virgine Maria, matre Cleri, eiusque sponso beato Ioseph, Patrono universae Ecclesiae, per sanctos Angelos Custodes indigitet vobis inter pueros curae vestrae commissos illos, quos vocaverit in suum sanctuarium; ut monstret vobis viam, qua singulos ex his adducere possitis ad studia incipienda eaque bene perficienda; ut vocatos ipsos confirmet in vocatione sancta et praeservet ab illecebris concupiscentiae, a tentationibus diaboli, a corruptione saeculi; ut denique ex ipsis, quum cunctas difficultates

superaverint, pios, strenuos, utiles reddat operarios in sua vinea.

2. Quacumque loci vel temporis oblata occasione, ex ambone, in confessionali, Dominicis quattuor temporum, in proclamatione ordinandorum, si contigerit in parochia celebrari primitias Missarum, in exsequiis pro sacerdotibus defunctis et saepius docete et monete fideles vestros de gravi turbulentis his et impietate plenis diebus sacerdotii momento, hortantes eos instantius et instantissime, ut in suis precibus, sacris communionibus aliisque operibus Deo placitis vobiscum uniantur intentione supra dicta, quatenus nempe crescat bonorum sacerdotum numerus, et sic per sacerdotes adveniat, dilatetur, stabiliatur regnum Dei in terris.

3. Ratione habita efficacissimi huius ad minuendam sacerdotum penuriam medii renovamus et rursus inculcamus speciales normas et consuetudines hucusque in dioecesi vigentes:

a) Dominicis quattuor temporum finita concione sive Sacro sollemni animarum pastores publice cum populo fideli pro sacerdotibus persolvant preces, prouti assignantur in libris devotionalibus in dioecesi usitatis, addentes ter *Pater noster* et ter *Ave Maria* cum *Gloria Patri!*[1]

b) Idem faciendum Dominica sacras ordinationes annuas praecedenti, qua proclamantur nomina ordinandorum, utendo oratione, proposita in votis synodalibus anni 1903, additis pariter ter *Pater noster* et ter *Ave Maria* cum *Gloria Patri.*[2] Diebus vero, quibus conferuntur sacri Ordines maiores, singuli sacerdotes Missae sacrificio inserant orationem pro omni gradu Ecclesiae (3. inter orationes diversas)[3], monitis praecedenti Dominica fidelibus, ut his praecipue diebus supplices sint Deo diviti in misericor-

[1] Sveto opravilo očitne službe božje za Lavantinsko škofijo. V Mariboru, 1887. Pag. 64 sq. — Andachts-Büchlein für den öffentlichen Gottesdienst in der Lavanter Diözese. Marburg, 1898. Pag. 113 sq. — [2] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pag. 910 sq. — Folium officiale dioec. Lav. Marburgi, 1912. Nr. VIII. alin. 61. pagg. 141—143. — Sammlung spezieller Disziplinar- und Pastoralvorschriften für die Lavanter Diözese 1854. Num. XV. alin. 4. — [3] Directorium Romano-Lavantinum pro anno 1912. Marburgi, 1912. Pag. 5. (Generaliter praenotanda. II. 3. b).

dia, quatenus augeat quotannis numerum ordinandorum, ne autem sinat intrudi sanctuario indignos!

c) Secundum votum synodale, anno 1903 a Nobis propositum, in dioecesi Nostra omni die Dominica, qua sane sacerdotes plurimum laborant ac desudant, hora sexta vespertina per quinque circiter horae sexagesimas pulsatur magna campana cuiusvis ecclesiae parochialis. Sub cuius sonitu iuxta dispositionem tunc factam pastores et oviculae ne omittant recitare pro sacerdotibus in cura animarum constitutis et constituendis *Pater* et *Ave* cum *Gloria,*[1] ad quod fideles crebrius datis occasionibus invitandi sunt.

d) Ordinamus porro, ut alumni seminarii Nostri tam minoris quam maioris abhinc quotidie in devotione vespertina communiter recitent pro suis in seminario quondam sociis, nunc in vinea Domini operariis, nec non pro bonorum sacerdotum incremento *preces,* sub margine allatas.[2] Utriusque seminarii alumnis, praedictas preces pie recitantibus, vigore indulti Sacrae Congregationis Indulgentiarum de die 28. Augusti 1903, concedimus pro qualibet vice indulgentiam quinquaginta dierum.

---

[1] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pag. 909 sq. — [2] *Antiphona.* Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos.

Ps. 116. Laudate Dominum omnes gentes * laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius * et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto * sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

V. Oremus pro fratribus nostris absentibus. R. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

V. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto. R. Et de Sion tuere eos.

V. Sacerdotes tui induantur iustitiam. R. Et sancti tui exsultent.

V. Oremus pro sodalibus defunctis. R. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace. R. Amen.

V. Messis quidem multa, operarii autem pauci. R. Rogamus ergo te, Domine, ut mittas operarios in messem tuam.

V. Domine, exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Ecclesiae tuae Deus sanctificator et custos, suscita in ea et praesertim in hocce seminario tuo per Spiritum Sanctum intercedente beatissima virgine Maria, matre Cleri, idoneos et fideles sanctorum mysteriorum dispensatores, ut eorum ministerio et exemplo christiana plebs in viam salutis, te protegente, dirigatur. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Omnibus denique dioecesanis Nostris ex animo commendamus, ut frequentius pie recitent *Pater noster* et *Ave Maria* cum *Gloria Patri* vel aliam orationem congruentem[1] pro sacerdotii Lavantini incremento.

[1] A Summo Pontifice Pio X. die 27. Octobris 1907 indulgentia 7 annorum et 7 quadragenarum ditata est haec pia „prex pro Cleri sanctificatione“:

„Jesu, du ewiger Hirt der Seelen, erhöre unser Gebet für unsere Priester, du erhörest ja darin dein eigenes unendliches Verlangen! Ja, dein Herz schlägt am zartesten und heissesten gerade für die Priester, in denen du alle Seelen mit deiner Liebe umfängst. — Wir bekennen es, dass wir unwürdig sind, heilige Priester zu haben. Allein dein Erbarmen ist unendlich größer als unsere Torheit und Bosheit. O Jesu, sorge du selber dafür, dass nur die zur Würde des Priestertums emporsteigen, die von dir dazu berufen sind. Erleuchte die Oberhirten bei ihrer Wahl, erleuchte die Seelenführer bei ihrem Rate, die Erzieher bei der Heranbildung der Berufe. Gib uns Priester, die den Engeln gleich sind an Reinheit, vollkommen in der Demut, glühend von heiliger Liebe wie die Seraphim, heldenmütig im Opfergeist, voll apostolischen Eifers für deine Ehre, für die Rettung und Heiligung der Seelen. — Erbarme dich all der Unwissenden, denen die Priester Licht sein müssen; habe Mitleid mit all den Arbeitern, die durch sie, vor Betörung geschützt, in deinem Namen gerettet werden sollen; erbarme dich all der Kinder und all der jungen Leute, die einen Führer suchen, der sie rette und zu dir hinführe; erbarme dich all der Leidenden, die eines Trösters bedürfen, der sie in deinem Herzen tröste; bedenke, wie viele Seelen durch das Wirken wahrhaft heiligmässiger Priester zur Vollkommenheit gelangen können.

Darum, o Jesus, lass dich noch einmal von Mitleid rühren durch die Scharen des Volkes, die da hungern und dürsten! Gib, dass deine Priester die ganze kranke Menschheit dir zuführen, auf dass durch sie noch einmal die Erde erneuert, deine Kirche erhöht und das Reich deines Herzens im Frieden begründet werde. — Unbefleckte Jungfrau, Mutter des ewigen Priesters und selber Opferpriesterin und Opferaltar unter dem Kreuze, wo du den Lieblingspriester Jesu, den heiligen Johannes, zuerst zu deinem Sohne annahmst, der dann im Abendmahlsaale dir, der Lehrerin und Königin der Apostel, zur Seite stand, nimm auf deine heiligsten Lippen unser demütiges Flehen: lass dasselbe widerhallen im Herzen deines göttlichen Sohnes und erwirke mit deiner bittenden Allmacht der Kirche deines Jesus ein stets sich erneuerndes Pfingstfest! Amen.“ (Acta sanctae Sedis. Vol. XL. fasc. 12. Romae, die 15. Decembris 1907. Pagg. 765—767).

Idem Beatissimus Pater pro mense Novembri 1911 sanctificationem status sacerdotalis et pariter pro mense Iunio 1912 vocationem ad statum clericalem et regularem approbavit et benedixit qua intentionem pro Apostolatu orationis. (Der Sendbote des göttlichen Herzens Iesu. Innsbruck, November 1911. Pagg. 321—324. — Juni 1912. Pagg. 161—164).

A princ.-episc. Ordinariatu Brixinensi approbata est sequens oratio pro sacerdotibus secundum cor Iesu, quam et Nos hisce commendamus:

„Herr Jesus Christus, Hoherpriester in Ewigkeit! Du hast das Priestertum des neuen Bundes eingesetzt und zu deinen ersten Priestern gesprochen: Ich nenne euch nicht mehr Knechte, sondern Freunde; verleihe deinen Priestern die Gnade, dass sie immer mehr seien die Freunde deines göttlichen Herzens, und erfüllt von deinem Geiste leben und arbeiten. Heiland der Welt! Du hast uns beten gelehrt: Bittet den Herrn der Ernte, dass er Arbeiter in seinen Weinberg sende! Wir bitten dich also aus dem Grunde unseres Herzens: Gib uns Priester nach deinem Herzen! Amen.“

Oremus itaque et ne deficiamus, ut mittat Dominus operarios in messem Lavantinam! »Credite mihi, non est alia oratio hacce melior et utilior!«[1]

---

[1] S. Teresia, Via perfectionis. Cap. III. — A „Rogationis evangelicae a corde Iesu religiosa societate" die 24. Aprilis 1912 hanc epistolam in causa piarum precum pro sacerdotibus fundendarum accepimus:

„„Illustrissime ac reverendissime Domine! Pro re magni momenti, quae ad maximam Dei gloriam animarumque salutem pertinet, has Tibi litteras mittere audeo. Magnae afflictionis in Ecclesia sancta Dei et multarum animarum ruinae nunc sacerdotum paucitas causa est. Clerus enim tam saecularis quam regularis magis magisque in dies minuitur; vocationes desunt, seminaria clauduntur, ordines et religiosae congregationes deperire videntur; quam ob rem multis in locis christiana plebs caret dispensatoribus mysteriorum Dei! Heu! heu! Quot fideles sine sacerdotum cura et sacramentorum divino solatio miserrime pereunt!

Attamen Dominus noster Iesus Christus, cui omnia futura patebant, magnum ad tantum malum avertendum remedium reliquit, cum dicebat: „Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam." His positis, quomodo reparandum est illud lacrimabile: *Operarii autem pauci,* si tantum negligitur mandatum divini zeli cordis Iesu: *Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam?*

Huius rei gratia ego abhinc pluribus annis deditus sum ad colligendos utriusque sexus pueros et ad communitates religiosorum atque sororum efformandas, quibus omnibus peculiarem missionem dedi, obtemperandi divino illi mandato, id est quotidianas effundendi preces, ut a divina bonitate multos ac sanctos operarios pro mystica animarum messe flagitarent.

Die 11. Iulii anni 1909 egomet in audientia privatim habita ad pedes Pii PP. X., feliciter regnantis, humillime provolutus privilegium petii *atque obtinui,* pro meis tantum communitatibus valiturum, *inserendi in recitandis Litaniis maioribus* versiculum hoc: *Ut dignos ac sanctos operarios in messem tuam copiose mittere digneris, te rogamus, audi nos,* immediate post versiculum illud: „Ut domnum apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, te rogamus, audi nos."

. . . Tanta pontificia concessione fretus Episcopos atque Ministros generales religiosorum ordinum nec non eminentissimos Cardinales rogavi, ut eamdem facultatem a Summo Pontifice pro universali Ecclesia impetrarent; et ad facilius omnia explenda Antistitibus petitionem subscribendam proposui. Plures quam centum Antistites et clarissimi Praelati S. R. Ecclesiae usque adhuc petitioni subscripserunt . . . Quas supplicationes in fasciculum tandem redactas ego ipse Beatissimo Patri Pio PP. X. humillime tradidi, qui laeto animo suscepit et examinandas Sacrae rituum Congregationi eas mitti voluit.

Sub iudice usque nunc est Romae tanti ponderis negotium; quod, si dignum existimes, Tuum veneratum nomen, proprio sigillo munitum, apponas rogo, ut pro universali Ecclesia talis concessio extendatur, ac deinde mihi remittas. Ego postea, collectis huiusmodi petitionibus a reverendissimis Praesulibus subscriptis, ad Sacram rituum Congregationem easdem mittam.

Qua de re animadvertere potes, ut multiplicatis intercessoribus votisque excellentissimorum Praesulum, facillime gratia obtineri potest. Ideoque tanta concessione obtenta non meae tantum minimae institutiones, sed et universalis Ecclesia rogabit Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

Dexteram Tuam amantissime osculor, flagitans pastoralem benedictionem. Datum Messanae, die 7. Aprilis (Resurrectionis D. N. I. C) 1912.

Humillimus in Xto Iesu Canonicus Hannibal Maria di Francia"".

B) Quoad familias christianas operatio animarum pastoris eo tendere debet, ut in illis vigeant religiosa *pietas*, sancta *disciplina*, boni *mores*. Experientia teste ex talibus familiis prodire solent laudabiles Theologiae candidati et sacerdotes spiritu bono repleti. Antiquissi-

---

Votis, in praecedenti epistola expressis, obsecundantes per litteras princ.-episc. Consistorii Nostri de die 27. Aprilis 1912 Num. 2103 reverendissimo Canonico Hannibali M. di Francia Messanam (via del Valore 7) succedentem transmisimus hac in causa libellum supplicem, Beatissimo Patri substernendum:

„„Beatissime Pater! Insignibus tot aliis S. R. Ecclesiae Praesulibus me socium adiungens ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus de his, quae sequuntur, humillime rogo.

Quum tota in Ecclesia magna atque deflenda inopia sacerdotum sit, meminisse forsitan iuvabit illud, quod sicuti remedium huiusmodi malis Iesus Christus Dominus noster ostendit, cum desolationis Iudaeae turbarum miserescens, *Messis quidem multa*, ait, *operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.*

Complures iam Episcopi atque Archiepiscopi et nonnulli eminentissimi S. R. Ecclesiae Cardinales nec non aliquot Ministri religiosorum ordinum generales divinum illud Apostoli sequuti sunt, quod et Tu, Beatissime Pater, in primis Tuis encyclicis Litteris amplexus es: „Instaurare omnia in Christo“ — itaque iidem supplicationes Tibi miserunt, ad sacerdotium a Christo Domino instituto ubicumque terrarum instaurandum ut salutare remedium iuberes adoptandum, quod ipse Dominus pro omnibus praebuit illis verbis: „Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.“

Huiusmodi autem salutare remedium universale fieri videtur, si in Litaniis maioribus, quae hic inde per totum terrarum orbem saepe saepius recitantur, inserere disponeres versiculum hoc: *Ut dignos ac sanctos operarios in messem tuam copiose mittere digneris, te rogamus, audi nos*: quod benigne iam Tu concessisti religioso Italico instituto, quod Rogazione evangelica del Cuore di Gesù vulgo nuncupatur, sub die 11. Iulii 1909.

Quod specialiter ad penuriam dispensatorum mysteriorum Dei in dioecesi mea Lavantina attinet, iam in Synodo dioecesana anno 1903 coadunata sacerdotibus votum proposui, ut omni die Dominica, qua sane sacerdotes plurimum laborant ac desudant, hora sexta vespertina per quinque circiter minutas pulsaretur magna campana cuiusvis ecclesiae parochialis, sub cuius sonitu pastores et oviculae pro sacerdotibus in cura animarum constitutis et constituendis recitent *Pater* et *Ave* cum *Gloria;* quod votum in dioecesi strictissime persolvitur.

Quamobrem eo maiore cum gaudio et fidenti animo propero et ego ad Tibi humiliandas has meas supplicationes pro tanta gratia obtinenda. Quod si Tu concedere digneris, videtur nobis spes fore, ut misericors ac miserator Dominus missurus sit quocumque terrarum evangelicos operarios pro catholica Ecclesia; non enim Ipse iuberet precem hanc, si eandem exaudiri noluisset.

Utinam ad confortandum cor Tuum multitudinem magnam sacerdotum ab omnipotenti Deo pro universali Ecclesia eiusmodi prex impetret; quae, Sancti Spiritus inspirante gratia ad sacras vocationes obtinendas, et gentem multiplicet et magnificet laetitiam.

Sacros pedes peramanter deosculans me profiteor

Beatitudinis Tuae

Datum Marburgi in Austria,
die 27. Aprilis 1912.

(L. S.)

humillimum in
Christo Iesu subditum.

† MICHAEL,
Episcopus Lavantin.““

mum clericorum seminarium est christiana familia. Uniuscuiusque fere pii sanctique sacerdotis vitae descriptio incipit: »Piis parentibus natus«. Ex adverso in quibus familiis praevalent indifferentia et incuria relate ad res religionis, discordiae et rixae, mores dissoluti et inhonesti, ex eis perraro licet sperare filium evasurum bonum sacerdotem, etiamsi in pueritia, durante institutione elementari, prae se ferat morigeram quandam modestiam, eximiam indolem ac diligentiam. Ab eiusmodi iuvene, si sua sponte pandat desiderium sacerdotii, omnino specialia vocationis signa sunt deposcenda, eisque etiam praesentibus caute procedendum, quia in hac potissimum re paucae sunt exceptiones axiomatis a Christo Domino confirmati: *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* (Matth. 7, 18).

Ideo curatus pro sacerdotum augmento sollicitus

1. pastorationem ita instituet, ut inter parochianos suos solidetur fides catholica vitaque vere religiosa. Quem in finem iuxta regulas pastorales perenniter urgebit quotidianas in familiis orationes, prae aliis crebram et devotam recitationem rosarii Mariani, sanctificationem Dominicarum et festorum nec non frequentiam sacramentorum; fovebit porro pias confraternitates, congregationes et associationes, in specie inter iuvenes; promovebit denique omni quo poterit modo lectionem librorum piorum ac foliorum catholicorum, tollet autem et eradicabit pro posse scandala, delectationes minus honestas, choreas aliaque peccatorum fomenta: in aëre spiritualiter salubri perpulchre germinabunt flores divinae vocationis.

Praeprimis curatus, *forma factus gregis ex animo* (I. Petr. 5, 3), tamquam *lucerna, posita super candelabrum* (Matth. 5, 15), luceat parochianis, *in omnibus seipsum praebens exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate* (Tit. 2, 7), *in verbo, in conversatione et caritate, in fide, in castitate* (I. Tim. 4, 12), *nemini dans ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eius* (II. Cor. 6, 3), sed ut parochiani *vereantur, nihil habentes malum dicere de eo.* (Tit. 2, 8). Odore virtutum

sacerdos trahet iuvenes post se in sanctuarium. E parochia vero, ubi pastor animarum est mercenarius, immo lupus inter oviculas, non faciliter provenient sacerdotes, eo minus boni sacerdotes: pravum pastoris exemplum suffocabit, si in quibus inventa fuerit, vocationem ad sacerdotium.

2. Parentes christiani in concionibus, catechesibus et privatis colloquiis iugiter docendi sunt de momento divinae ad certam vitae conditionem vocationis, quippe quum cognitae Dei voci obedientibus tantum gratiae dentur necessariae et efficaces ad rite explenda officii, quod singulis incumbat, munia et ad salutem aeternam consequendam. Eapropter ne omittant prudenter et sollerter observare filios suos atque inquirere in eorum indoles et inclinationes, et si forte inveniant in eis vestigia vocationis ad sacerdotium, ne eos prohibeant, sed potius confisi in Dei adiutorio mittant ad studia sacri ministerii praeambula.

Facite, animarum curatores carissimi, patres et matres familias vivide quasi sentire, quam inenarrabili gaudio et solamini sit parentibus, cognatis, immo integris communitatibus, si videant prolem suam piam, membrum cognationis, unum ex concivibus neomystam qua angelum stantem ad altare et libantem sacra mysteria; si audiant ipsum igne divini amoris succensum praedicantem verbum veritatis; si percipiant bonam de eo famam, quomodo populum fidelem recta tutaque via ducat ad virtutem, ad felicitatem temporaneam et aeternam! Dicite illis, quantum bonus sacerdos benedictionis et gratiae quasi detrahat de coelis et diffundat in domum suam paternam, in dulce solum natale, in patriam, in Ecclesiam, immo in orbem terrarum, ideoque pluris esse, sacerdotem pium ad aram Dei mittere quam Deo aram pretiosissimam exstruere!

3. Sicuti vero parentes monendi sunt, ut filios suos pie et religiose erudiant immolentque Deo in servitium, si videantur ad hoc vocati, quum maxime periculosa immo scelerosa res sit, tales arcere a consequendo fine divi-

nitus illis posito, ita graviter eis inculcandum, *ne cogant* filios suos in viam vitae sacerdotalis intrudantque sanctuario *non vocatos*. Contestantur historia et quotidiana experientia, qui *coacti* susceperint in se onus angelicis humeris formidandum, per eos potissimum verificari dictum horribile: Omne malum ex Clero.

C) Relate ad ipsos sacerdotii candidatos attendendum est animarum pastori et catechistae, ut ex pueris sibi commissis ii, qui signa vocationis sacerdotalis prae se ferant, eligantur, ad studia necessaria mittantur et in proposito sancto conserventur.[1]

1. Etsi optandum, ut pueri iuvenesque ultro sua sponte se offerant ad sacerdotium, ad uberiorem tamen successum obtinendum expedit, ut adolescentuli idonei ex caeteris eligantur et quasi conscribantur in militiam Christi Domini. Qui ipse apostolos suos elegit et posuit, ut eant et fructum afferant; et apostoli ad eorumque exempla superiores ecclesiastici omnium saeculorum nec non ordinum religiosorum fundatores eligebant sibi discipulos, quos praeparabant ad successionem in sacris ordinibus. Conscriptio spiritualis nunc temporum praecipue pertinet ad parochos et catechistas.

a) Hi ergo re divinae providentiae commendata pueros probae originis observent in schola, in ecclesia et ubicumque contigerit eis obviam venire. In praeceptione religiosa apparebit, habeatne discipulus si minus egregiam saltem mediocrem, attamen ad studia ulteriora necessariam ingenii indolem, sufficientem intellectus memoriaeque sagacitatem et perceptibilitatem, veram internam et externam ad traditam doctrinam attentionem, vehemens et perseverans quoddam desiderium sciendi, discendi et studendi. Quae si adsunt, catechista audita caeterorum magistrorum sententia iudicium sibi efformare poterit, utrum hic et ille ex suis discipulis idoneus sit censendus nec ne, qui mittatur in scholas medias.

---

[1] S. Congregationis Consist. litterae de seminariis Italiae de die 16. Iulii 1912. (Acta Apostolicae Sedis. Ann. IV. vol. IV. Romae, die 31. Iulii 1912. Num. 14. pagg. 491—498).

b) Praeter intellectualem in pueris ad sacerdotium destinandis moralis requiritur bona qualificatio. Invigilandum ergo, quomodo se gerant in piis exercitiis publicis et privatis, in schola et in ecclesia, nec non in conversatione sive cum parentibus, magistris et superioribus, sive cum condiscipulis et sociis. Qui inclinationem quandam naturalem produnt ad divina, qui seriam ostendunt devotionem in oratione et sacramentorum susceptione, qui pie ac reverenter versantur in locis sanctis et laetanter, si vocantur, ministrant sacerdoti ad altare, qui praeterea in conversatione probantur mites, humiles, modesti, benigni, *casti, pudici* — pro iis stat praesumptio, vocatos esse ad sacerdotium. »Suscipiendi . . praestantis aut saltem mediocris sint ingenii; pietate in Deum ac devotione erga Deiparam speciem filiorum Dei de se praebeant; naturalisque eorum indoles ad virtutum viam facile flexibilis sit. Animo ita sint composito et supra saecularia desideria humiliter elato, ut modestiam, submissionem intellectus et voluntatis, flexibilitatem practicam ostendant; moderata quoque irae et aliarum passionum temperies . . ita in illis elucere debet, ut prudenter coniici possit, quod fructuose et filialiter hunc clericalem statum suo tempore sint exornaturi.«[1]

c) Nec negligenda puerorum sanitas et corporalis constitutio. Christus Dominus pauperes, at quotidiano labore roboratos, portandis aestui, frigori, fami, siti assuefactos piscatores elegit et reddidit Ecclesiae suae columnas. Quibus similes esse debent sacerdotes Christi nostris praecipue temporibus. Qui debilis est et infirmae valetudinis, qui inde ab infantia enutritus et quasi enervatus in mollitie et deliciis, cui numquam ullum est negatum voluntatis desiderium: quomodo superabit difficultates studiorum, quomodo portabit onus sudorum atque laborum, quod impositum est animarum curatori, *quomodo perseverabit in via abnegationis sui ipsius et quotidianae crucis,* qualis

[1] Bartholomaei Holzhauser (fundatoris Bartholomitarum, * 1613 Laugnae, dioec. August. Vindel., † 1658 Bingeni ad Rhenum) regulae pro educandis pueris.

est vitae via boni sacerdotis? *Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.* (Thren. 3, 27).

2. Praedicta respiciendo animarum curatus vel catecheta certo inveniet unum pluresve inter pueros sibi traditos, quos liceat sperare aptos fore ad sacrum in Ecclesia Dei ministerium.[1] Ut tales mittantur ad studia ulteriora subeunda, ne quid omittat curio conatus et sollicitudinis!

a) Certo non adest notabilis difficultas, si puer ipse vel eius parentes sua sponte adeunt sacerdotem, petentes hac in re consilium et auxilium, atque si insuper bonis temporalibus sunt dotati, sufficientibus ad ferendas studiorum in scholis mediis expensas. Quo in casu curatus addet eis animum et impendet puero ad studia destinato curam, de qua modo erit sermo.

[1] In Francogallia ob tristem Ecclesiae catholicae conditionem, qua iuvenes deterrentur ab eligendo statu clericali, gravioris momenti evasit cura pro sufficiente numero sacerdotum. Ideo annis modo praeteritis multum ventilabatur quaestio de vocationis sacerdotalis essentia et notis. Alii iusto plus premebant internam, utique a Deo insitam, ad res spirituales inclinationem et vehemens sacerdotii desiderium, quasi in his ponenda esset essentia vocationis sacerdotalis et quasi, qui talem inclinationem taleque desiderium inde ab annis puerilibus in corde suo persentiscerent, eis ius quoddam competeret ad sacerdotium. Econtra alii, praeprimis Canonicus Aturensis Iosephus Lahitton in opere „La vocation sacerdotale", non negantes illam inclinationem illudque desiderium aestimari posse signum divinae vocationis, sententiam propugnabant, essentiam vocationis consistere in dotibus et proprietatibus, candidato sacerdotii necessariis, quarum, si adsunt, respectu habito Episcopus candidatum libere vocat in numerum ordinandorum et sic rite assumit ad sacrum ministerium iuxta verba Apostoli: „Neque quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron". (Hebr. 5, 4).

Controversia substrata est Sedi apostolicae, et Summus Pontifex Pius X. eam speciali Cardinalium commissioni demandavit dirimendam. Decisio hac in re notificata est R. P. D. Carolo M. A. de Cormont, Episcopo Aturensi, per litteras Cardinalis Merry del Val, Status secretarii, de die 2. Iulii 1912. Decisionis tenor, et Canonico Lahitton et Clero dioecesano in folio officiali communicandus, hic est:

„Opus praestantis viri Iosephi Canonici Lahitton, cui titulus *La vocation sacerdotale* nullo modo reprobandum esse; immo, qua parte adstruit: 1° Neminem habere umquam ius ullum ad ordinationem antecedenter ad liberam electionem Episcopi. — 2° Conditionem, quae ex parte ordinandi debet attendi, quaeque *vocatio sacerdotalis* appellatur, nequaquam consistere, saltem necessario et de lege ordinaria, in interna quadam adspiratione subiecti seu invitamentis Spiritus Sancti ad sacerdotium ineundum. — 3° Sed e contra nihil plus in ordinando, ut rite vocetur ab Episcopo, requiri quam rectam intentionem simul cum idoneitate in iis gratiae et naturae dotibus reposita et per eam vitae probitatem ac doctrinae sufficientiam comprobata, quae spem fundatam faciant fore, ut sacerdotii munera recte obire eiusdemque obligationes sancte servare queat: esse egregie laudandum." (Acta Apostolicae Sedis. Ann. IV. vol. IV. Romae, die 15. Iulii 1912. Num. 13. pag. 485).

b) Plerumque ex pauperibus, quae vix ad vitam necessariis instructae sunt, familiis piis vocat et assumit sibi Dominus operarios in vineam suam. Quarum patres et matres prae timore expensarum, filii vero prae puerili quadam pusillanimitate non audent in medium prodire, quum agatur de studiis ulterioribus capessendis, etsi utrimque adsit desiderium sacerdotii. Tales parentes animarum pastor vigil, si ei constat filium eorum dotibus intellectualibus et moralibus insignitum esse necessariis, ipse alloquetur eisque persuadebit, ne, confidentes in divina providentia et beneficientia generosorum iuventutis amatorum, cunctentur prolem suam mittere in viam, ad sacerdotium ducentem. Quorum consensu obtento componet cum eis summam pecuniae fixam, quam annuatim ex propriis bonis sint soluturi, monendo eos, quam dignum, aequum et salutare sit, offerre etsi cum non mediocri incommodo sacrificium pro filii ad sacrum ministerium educatione. *Defectum bonus sacerdos supplere non dubitabit partim ex suis reditibus, partim conabitur acquirere puero quasi in tutelam suscepto benefactores, paratos ad illum adiuvandum* saltem annis prioribus, donec recipiatur, si laudabiliter in studiis fuerit progressus, in seminarium, vel donec possit ipse sibi procurare sufficientia necessitatibus quotidianis occurrendi media.

c) Cogitate, dilectissimi, plerosque vos sacerdotes factos esse ope parochi vel catechetae, sub cuius cura in tenera iuventute fuistis positi! Quod cogitando laetanter detrahetis vobismetipsis partem redituum eamque offeretis ad progignendum filium spiritualem — bonum sacerdotem. Qui ipse, sicut parentibus naturalibus, ita vobis olim erit merces et retributio. Si vero contigerit, ut electus vester deviet a fine proposito, quod ne fiat, Deum precemini, tamen conscientia vos laudabit et Deus opus bonum vel in vita hac vel in altera large vobis remunerabit. De caetero studentem memoria beneficiorum a sacerdotibus acceptorum nec non laborum et sudorum, quos parentes propter ipsum in se suscipiunt, instigabit cum ad

indefessam industriam et diligentiam in studiis tum ad constantiam in vocatione sancta.

3. Pueris ad studia destinatis eisque operam navantibus bonus pastor non subtrahet curam suam et sollicitudinem, usquedum viderit, si Deus ita disposuerit, finem assecutos, sacerdotio coronatos.

a) Inde ab electione facta catechista prudenter adscitis in consilium et cooperationem caeteris scholae magistris maiorem quandam attentionem impendat discipulo delecto eumque per correpetitiones privatim institutas in materia scienda ita firmet, ut fortiter possit subire feliciterque superare examen in gymnasium suscipiendis tentandum. Nec dedignetur curatus, nisi pueri parentumque conditio id superfluum reddat, comitari ipsum in scholarum civitatem vel per alios sibi notos ei procurare in studiorum ingressu necessaria, imprimis *honestum habitationis locum.*

Qua de re gravissima consilium conferat cum gymnasii directore vel religiosae institutionis professore neque sinat puerum innocentem habitare in cubiculis obscuris, inter socios corruptos vel irreligiosos, sub potestate hominum, qui assumunt studentes lucri faciendi causa, habitaculum victumque eis praestituri, minime vero curaturi de eorum quoad studia et bonos mores profectu. O quot adolescentes, de quibus optima erant speranda, in habitationibus suspectis corrupti sunt de viaque sanctae vocationis decussi misere perierunt! Ad quod periculum avertendum bonus pastor per omnes studiorum annos invigilet iuveni, ne moretur in mansionibus minus convenientibus, et circumstantiis ita suadentibus opportuno tempore efficaciter eum commendet, ut suscipiatur in seminarium puerorum episcopale, in cuius sancta solitudine tutior discet *bonitatem, disciplinam et scientiam* (Ps. 118, 66) procedetque recta via usque ad *domum Domini* (Ps. 121, 1), ad sacerdotium. Conditiones, sub quibus pueri suscipiuntur in seminarium, quotannis publicantur in Folio officiali dioecesis Lavantinae.[1]

[1] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1912. Num. IX. alin. 74. pag. 160.

b) Iucundum quidem studentibus est tempus dierum, a praeceptione scholari vacantium seu feriarum. Attamen haud pauca infert pericula vocationi eorum sanctae, inter quorum causas praecipuae sunt numerandae *otiositas, delectationes* nimis effusae minusque honestae, *conversationes* sociorum impiorum vel rei religiosae non faventium, praesertim diversi sexus, si leves sint et pronae blanditiis, personarum. *Multam enim malitiam docuit otiositas*, atque *vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.* (Eccli. 19, 2; 33, 28).

Muniat necessarium est bonus pastor parochiae suae iuvenes, ex scholis ad tempus domum reversos, contra pericula indigitata! Una cum eorum parentibus strenue curet, ut congruenter occupentur laboribus, quibus exercitantur vires sive corporis sive animi. Opera manuum in agricultura vel alia, quae se offerunt in domo paterna, ne putent dedecori sibi esse a studiis vacantes! Quodsi talium non nanciscantur occasionem, animarum moderator prudenter eos inducat ad labores litterarios, praebendo ipsis libros boni et solidi argumenti, quales certo prostant in sua bibliotheca, legendos. Nec forsan apud nos incongruum erit, si iuvenis studens in progressu annorum a parocho adhibeatur hinc inde in cancellaria v. gr. ad matricularum exempla describenda et ad similes operationes, quae non a parocho vi secreti officialis propria manu sunt conficienda.

Delectationes honestae et conversationes amicorum sociorumque proborum adolescenti non sunt penitus denegandae vel interdicendae. Etenim haud parum, si sunt moderatae, conferunt, immo necessariae sunt ad mentis corporisque sanitatem. Ne autem incidat in excessus vel implicetur societatibus perniciosis, monendi sunt parentes, ut ei sollicite invigilent eumque suaviter teneant intra ambitum, in quo sciunt ipsi non imminere pericula. Animarum rector vero eum una alterave vice invitet ad mensam, adhibeat socium deambulationis, infirmorum vel familiarum honestarum visitationis aliusve excursionis talique modo prudenter alliciat quasi in suam amicitiam.

Attractus a sacerdote adolescens trahetur ad sacerdotium. Absit tamen, ut sacerdos, inducendo studiosum ad ludos v. gr. chartarum protractos, adsciscendo eum ad potationes et comessationes, praebendo ei verbis vel factis prava exempla, ipse fiat ei seductor, *lapis offensionis et petra scandali.* (I. Petr. 2, 8). »O sacerdotes, vae mundo a scandalis, sed amplius vae scandalis vestris«[1], praesertim si scandalizantur et in proposito sancto concutiuntur iuvenes divinitus ad sacerdotium vocati!

Praeter haec omnia adolescentem, ne destituatur efficaci gratiae divinae adiutorio, ad evitandos aetatis iuvenilis scopulos absolute necessario, animarum curatus sollerter moveat instanterque cohortetur, ut aeque ac durante praeceptione scholastica etiam tempore ab illa vacante incumbat piis religionis exercitiis, persolvat orationes quotidianas, compareat in fidelium conspectu devote assistens cultui divino diebus Dominicis et festivis, immo ferialibus, recipiatque sacramenta Ecclesiae. Ita assuefiet rebus divinis et firmabitur in Dei vocatione.

Eundem in finem adolescentibus non potest satis commendari frequens vel quotidiana sanctissimae Eucharistiae susceptio ad mentem Pii PP. X., per celebre Sacrae Congregationis Concilii decretum *Sacra Tridentina Synodus* de die 20. Decembris 1905 patefactam. Est enim corpus Domini devote illud in sacra communione manducantibus armatura fidei et scutum bonae voluntatis; est vitiorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, caritatis et patientiae, humilitatis et obedientiae omniumque virtutum augmentatio; est contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium, firma defensio et motuum, tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio; est eis in uno ac vero Deo firma adhaesio atque finis eorum felix consummatio.

Quam praeclara, quam efficax praeparatio ad sacerdotium! Quod educatores iuvenum et seminariorum rectores diversis mediis externis, oratione, institutione, exem-

[1] Memoriale vitae sacerdotalis. Cap. LXIX, 1.

plo, lectione librorum assequi intendunt, hoc ipsum divinus Magister in anima, per sacram communionem sibi unita, *interne* operatur perficitque.

Experientia piorum virorum, quibus incumbit officium erudiendi iuventutem, testimonium perhibente, per frequentem communionem suscitantur vocationes ad sacerdotium, et pueri, qui inde ab annis discretionis indesinenter digne ac devote fruuntur *frumento* hoc *electorum* (Zach. 9, 17), tanto sensim succenduntur desiderio Deo placendi, eius gloriam et honorem promovendi animasque immortales salvandi atque perfectionem christianam sibi acquirendi, ut mundum eiusque delicias contemnentes vi quadam invincibili trahantur ad statum sacerdotalem. Candidati vero theologiae ex frequenti sacra communione hauriunt vires, ut cunctis obstaculis et impedimentis superatis in sancta vocatione perseverent et *ambulent in fortitudine cibi huius* coelestis *usque ad montem Dei* (III. Regg. 19, 8), quod est sacerdotium.

Et qui per annos studiorum toties cum Iesu, *Pontifice sancto, innocente, impolluto, segregato a peccatoribus et excelsiore coelis facto* (Hebr. 7, 26) se univerint, illi optime fient dispositi ad suscipiendos sacros ordines, et cordi eorum in die initiationis ad servitium Christi infundentur uberrimae et efficacissimae gratiae, quarum ope valeant ad mortem usque permanere boni sacerdotes. Meminerint, qui sanctorum sacerdotum cupiunt augeri numerum, in »sacrosanctis Mysteriis Deum omnis sanctitatis fontem constituisse«![1]

c) Absolutis studiis mediis grave adest iuveni momentum eligendi statum, aut ingrediendi ultimum viae ad sacerdotium ducentis spatium, studium nempe sacrae Theologiae, aut transeundi ad negotia saecularia. Quominus eligat priorem *optimam partem* (Luc. 10, 42), impedimenta difficulter superanda ponit ipsi mundus et *omne, quod est in mundo, concupiscentia* videlicet *carnis et concupiscentia oculorum et superbia vitae.* (I. Ioan. 2, 16). Quod

[1] Ex Secreta Missae s. Ignatii Conf. die 31. Iulii.

triplex malum tales quoque, qui iam in proximo sunt, ut sacris ordinibus initientur, nisi gratia divina adiuti fortiter resistant, expellere solet ex sanctuario.

Sollicitus animarum curio abiturientibus posteaque theologis in sua parochia versantibus omni meliore et efficaciore quo poterit succurret auxilio, ut ex dubiis, tentationibus, pugnis, quibus plerumque agitatur cor eorum inquietum acerrimis, felices prodeant victores.[1]

Quoniam *haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra* (I. Ioan. 5, 4), ideo iuvenes praenominati imprimis confirmandi sunt in *fide*, quod sacerdos praestabit colloquiis amicabilibus, de rebus religionis prudenter cum illis institutis, solvendo eorum dubia forsan exorta, tollendo praeiudicia decursu studiorum concepta, ostendendo eis credibilitatem et praeclaram fidei catholicae veritatum harmoniam. Iuvenis firme stans supra solido fidei funda-

[1] Tamquam adminicula tum ipse sacerdos adhibere tum iuvenibus porrigere poterit legendos tractatus et libros de vocatione divina, de sublimitate sacerdotii eiusque officiis, de lege coelibatus, de cordis pace et interno solamine boni sacerdotis, sicuti sunt v. gr.: *Sermones Nostri synodales*, qui inveniuntur in Libris synodalibus, et quidem *ex anno 1896:* Pagg. 96—113 (De triplici munere ministri Christi qua doctoris, sacerdotis nec non pastoris), pagg. 118—138 (De virtute obedientiae); *ex anno 1900*: Pagg. 121—129 (De „sentire cum Ecclesia"); *ex anno 1903:* Pagg. 117—130 (De sacerdote, bono pastore), pagg. 150—157 (De militia Christi); *ex anno 1906:* Pagg. 91—98 (De animarum pastore moderno), pagg. 114—123 (De incommodis et commodis vitae pastoralis, de difficultatibus et amoenitatibus vitae sacerdotalis); in praeiacente libro pagg. 137—152 (De caritate sacerdotali). — Constitutiones de vita et honestate clericorum. (Gesta et statuta Syn. dioec. Lav. anno 1896 celebr. Marburgi, 1897. Pagg. 325—344; Actiones et constitutiones Syn. dioec. Lav. anno 1900 instit. Marburgi, 1901. Pagg. 461—471; Eccl. Lav. Synodus dioec. anno 1903 coadun. Marburgi, 1904. Pagg. 602—612). — De principalioribus officiis pastoris animarum. (Synodus dioec. Lavant. anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pagg. 448—482). — De publica sacerdotum vita. (Op. cit. pagg. 515—521). — Dr. Jos. Walter, Der Katholische Priester in seinem Leben und Wirken. II. vermehrte Aufl. Brixen, 1904. Pagg. 478. — P. Aug. Rösler C. SS. R., Fürs Priesterherz. II. vermehrte und verbesserte Auflage. Münster in Westf., 1908. Pagg. 505. — Pierre Bouvier, Notion traditionelle de la vocation sacerdotale. Paris, 1911. 12°. Pagg. 76. — F. I. Hurtaud, La vocation au Sacerdoce. Paris, 1911. 12°. Pagg. 454. — Kardinal Mercier, Priesterwürde und Priesteramt. Übersetzung von Dr. Albert Sleumer. Dülmen, 1910. 12°. Pagg. 190. — Idem, Stille Stunden des Priesters (Retraite pastorale). Limburg an der Lahn, 1911. 12°. Pagg. 266. — Claudius Arvisenet, Memoriale vitae sacerdotalis. Taurini, 1909. 12°. Pagg. VIII + 548. — Hl. Alfons Maria von Liguori, Der Priester in der Einsamkeit. Bearbeitung von P. Seb. Aigner C. SS. R. Editio IV. Regensburg, 1911. 8°. Pagg. XII + 568.

mento non leviter desistet, si alias vocatus est, a sacerdotio appetendo.

Haud dubitandum, quin plurimos deterreat a statu clericali eligendo sacra coelibatus lex, in Ecclesia Romana vigens obstringensque omnes in ordinibus maioribus constitutos. De qua lege per decursum vitae observanda anxios atque ad carnalia desideria inclinantes sacerdos tum opportune hac de re loquendo tum libros et tractatus huiusmodi argumenti legendos subministrando, ante omnia vero *proprio castae vitae exemplo* doceat, clericorum coelibatum esse disciplinam omnino rationabilem, saluberrimam, utilissimam, immo necessariam, quum eam postulent omnes sane partes sacri ministerii. Cuius candidati sciant, *hominem Dei* (I. Tim. 6, 11), tot praeclaris sanctorum sacerdotum exemplis testantibus, omnia posse gratia Dei eum confortante eique in oratione, in Missae sacrificio, in beatissimae virginis Mariae coelitumque cultu in ipsisque status officiis efficacissima praesto esse media ad superandas carnis tentationes etiam vehementissimas. Insuper casto cum Ecclesia connubio et spirituali quoad tot fideles paternitati inesse *manna absconditum* (Apocal. 2, 17), gaudium pacatissimum, lubricis quaecumque sint in mundo deliciis dulcius.[1]

Terrent quoque multos redituum tenuitas, qua maior Cleri pars premitur, atque opprobria, quibus hodiedum mundus afficit statum clericalem. Attamen meminerint, qui hac concupiscentiae oculorum et superbiae vitae tentatione averti se sentiunt a sanctuario, sacerdotium fuisse semper et manere et mansurum esse statum omnium sublimissimum, atque *bonos probosque presbyteros*, etiamsi vita eorum sit vita pauperum et via crucis — quod non mirandum, quum Magistri pauperis et crucifixi sint discipuli — verumtamen a populo fideli esse vere honoratos et ab adversariis quoque reverenter aestimatos.

[1] Ecclesiae Lavant. Syn. dioec. anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXXV. pagg. 674—683. — Dr. Franz Laurin, k. k. Hofkaplan und Universitätsprofessor in Wien, Der Cölibat der Geistlichen nach kanonischem Rechte, mit besonderer Beziehung auf das Recht der österreichisch-ungarischen Monarchie. Wien, 1880. Pagg. VIII + 244.

Et dum ab aliarum conditionum hominibus continuo audiantur querelae de temporum annona et redituum insufficientia, sacerdotibus numquam deesse victui quotidiano necessaria. In casu necessitatis fideles parati essent, unicum et ultimum panis frustulum dividere et communicare cum pastore, *de salute eorum sollicito!*

Quae motiva prudenter proponendo animarum pastor divina gratia cooperante iuvenes, absolutis studiis mediis haesitantes, alliciet ad intrandum seminarium clericorum, huius vero alumnos et theologos firmabit in proposito sancto, ut perseverent usque ad coronam primitiarum.

Exite nunc, animarum curatores carissimi, *conducere operarios in vineam* Domini (Matth. 20, 1), iuxta principia per summos apices indigitata tollere paucitatem et multiplicare numerum sacerdotum Lavantinorum! *Compellite* incessanter, quos existimatis vocatos, *intrare* in sanctuarium, *ut impleatur.* Etenim *adhuc locus est!* (Luc. 14, 22. 23). Attamen cavete, ne intrudantur, qui *non vestiti sint veste nuptiali* (Matth. 22, 11) vocationis divinae, ad nuptias cum sponsa Christi, quae est mater et virgo Ecclesia, celebrandas! Nemo enim *sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* (Hebr. 5, 4). Et scitote, *quod,* si adduxeritis Ecclesiae bonos sacerdotes, *labor vester non erit inanis in Domino!* (I. Cor. 15, 58).

Caput CLXXXV.

De officiali scribendi ratione regulanda.

A potestate civili inde a die 1. Ianuarii 1906 nova negotiorum publicorum expediendorum norma introducta est, quae a priore in eo potissimum differt, quod scribendi ratio sic dicta currens seu continua adhibeatur et acta in modum librorum aut libellorum complicari possint.[1]

[1] Geschäfts-Ordnung für die k. k. steierm. Statthalterei und den k. k. steierm. Landesschulrat. Graz, 1905. Pagg. 105.

Officiis parochialibus a princ.-episc. Ordinariatu praescriptum est, ut in correspondentia cum magistratibus civilibus praedictam currentem scribendi rationem observent, relationes vero et cuiuscumque generis exhibitiones (vloge, Eingaben) ad princ.-episc. officia dioecesana dirigendas usque ad revocationem modo consueto et in Synodo dioecesana anno 1903 celebrata rursum approbato componant.[1]

Nunc vero officialem scribendi rationem etiam ex parte ecclesiastica de novo regulare intendimus et ad assequendam uniformitatem hac in re sequentes normas statuimus et stabilimus.

1. Quaevis relatio vel petitio vel alia exhibitio, sive ea ad princ.-episc. Ordinariatum (Consistorium) sive ad c. r. magistratus dirigatur, scribenda est in integra plagula (pola, Bogen) chartae albae et satis firmae, quae habet formam in cancellariis usitatam. Libellus non amplius in dextera tantum parte plagulae plicatae, sed per extensum scribatur, manente tamen margine trium circiter centimetrorum in interiore parte plagulae i. e. in prima et tertia pagina ad sinistram, in secunda et quarta pagina ad dextram manum scribentis, ita ut acta, si opus fuerit, in modum libri ligari possint. Excipiuntur ab hac scribendi ratione breves relationes, infra sub numero 8. commemorandae.

2. In conscribendis libellis semper utendum est atramento nigri coloris litterisque claris et distinctis. Usus modernae machinae scriptoriae permittitur.[2]

3. Causae diversae, uti res matrimoniales, scholasticas, fundationes aut rationes ecclesiasticas respicientes, separatis libellis proponantur, quia ad diversos pertinent relatores et in diversis asservari debent fasciculis. Cumulatio plurium causarum in uno libello non permittitur.[3]

---

[1] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXXVI. pag. 685. — Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese 1906. Num. I. alin. 9. pag. 6. — [2] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXXVI. alin. 1 et 2. pag.685. — [3] Op. et loc. cit. alin. 6. pag. 685. — Folium officiale dioecesis Lavantinae 1909. Num. VI. alin. 49. punct. 3. pag. 79. — Personal-

Etiam officia decanalia libellos singulorum officiorum parochialium princ.-episc. Ordinariatui (Consistorio) ne umquam substernant cumulatim sub uno numero, verumtamen quemlibet libellum transmittant propriis litteris comitatoriis. Excipiuntur rationes ecclesiasticae et parochialium institutorum pauperum nec non copiae matricularum.[1]

4. Quod ad externam libellorum officialium formam attinet, sequentia observentur:

a) In superiore parte a sinistris ponatur nomen officii, libellum seu exhibitionem proponentis.

b) Subtus notetur numerus currens e proprio protocollo gestorum huius officii.

c) Sequitur — loco sic dicti *rubri*, quod in futurum omittendum — designatio rei, de qua, sive obiecti, de quo agitur (zadeva, Betreff), quae breviter, attamen quam accuratissime denotet materiam, quae pertractatur, una cum designatione nominum, locorum ac personarum, si ad rem pertinent. Nomina vero semper primo loco ponantur.

d) In parte dextra scribatur datum relationis seu exhibitionis et infra numerus additamentorum (priloge, Beilagen).

e) Succedit per extensum titulus (naslov, Adresse) officii seu magistratus, ad quod seu ad quem libellus dirigitur.

Ex his cognosci potest, a quo, unde, quo tempore, de quanam re et ad quem scribatur.

5. In omnibus scriptis officiosis, quae ad priores litteras aut ad decretum sive praescriptum quoddam princ.-episc. Ordinariatus (Consistorii) vel c. r. magistratuum referuntur, v. gr. si ad quaestionem propositam sententia sit proferenda aut de impleta ordinatione relatio sit exhibenda, statim ab initio libelli provocandum est

---

stand des Fürstbistums Lavant für das Jahr 1912. Marburg, 1912. Alin. 4. pag. 288.

[1] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1909. Num. VI. alin. 49. punct. 4. pag. 79.

ad datum et numerum respectivae quaestionis seu ordinationis: v. gr. Respectu habito ad quaestionem — ordinationem — mandatum — reverendissimi princ.-episc. Ordinariatus (Consistorii) de die . . . Nr. . . S pogledom na vprašanje (nalog, povelje) prečastitega kn.-šk. ordinariata (konzistorija) z dne . . . št. . . Mit Beziehung auf die Anfrage (die Anordnung, den Auftrag) des hochwürdigsten F.-B. Ordinariates (Konsistoriums) vom . . . Z. . .

6. Si libellus plures complectitur plagulas, hae aut conglutinentur aut filo connectantur.

7. Quando princ.-episc. officium (Ordinariatus, Consistorium) vel c. r. magistratus libellum aliquem transmittit v. gr. ad aperiendam sententiam, ad referendum, ad certiorandum de aliqua re, ad complendum aut alio modo solvendum, et libellum ipsum reposcit, tunc responsum in libello ipso scribatur. Quo in casu necessarium non est, rem, de qua agitur, accuratius significare aut datum et numerum libelli allegare, quia haec in libello ipso iam stant. Talis solutio subscriptioni ipsius libelli subiungi potest. Quodsi in libello aut in folio, quo involutus est, spatium sufficiens non suppetat vel supersit, responsum in addenda nova plagula scribatur.

Officia ergo decanalia, si folium vel involucrum, quo libellus illis a princ.-episc. Ordinariatu (Consistorio) transmittitur, alias communicationes maioris momenti non contineat, quam verba: Princ.-episc. officio decanali, ut rem inspiciat aut cognoscat et libellum ulterius tradat — Kn.-šk. dekanijskemu uradu na znanje z naročilom, da se pošlje na pristojno mesto — An das F.-B. Dekanalamt zur Kenntnisnahme und weiteren Zustellung — in involucro ipso adiungere possunt: Traditur venerabili officio parochiali in N., ut hac in re fungatur suo munere.

Princ.-episc. officium decanale in D. die . . .

(Nomen) decanus.

Velečastitemu kn.-šk. župnijskemu uradu v N. v nadaljnje poslovanje.

Kn.-šk. dekanijski urad v D. dne . . .

(Ime) dekan.

Wird dem wohlehrwürdigen F.-B. Pfarramte in N. zur weiteren Amtshandlung übermittelt.

F.-B. Dekanalamt in D. am . . .

(Name) Dechant.

8. Si officium parochiale ad interrogationem, omnibus officiis parochialibus propositam, negative respondeat, si annuam aut trimestrem aut aliam relationem proponat, si reditum e collectis praescriptis aut correcturam matriculae transmittat, sufficit hac de re mentionem facere in dimidia parte plagulae plicatae per modum sic dicti rubri, v. gr.

Num. . .

Princ.-episc. officium parochiale in N. refert . . . proponit . . . transmittit . . .

N. die . . .

(Nomen) parochus.

Št. . .

Kn.-šk. župnijski urad v N. poroči . . . predloži . . . vpošlje . . .

N. dne . . .

(Ime) župnik.

Z. . .

Das F.-B. Pfarramt in N. berichtet . . . legt vor . . . übersendet . . .

N. am . . .

(Name) Pfarrer.

9. Omnes libelli officiosi sint perspicui et breves, ita tamen, ut propter brevitatem integritas libelli non patiatur detrimentum. Item decenter componantur et di-

stincte scribantur. Officialis conversatio seu correspondentia cum officiis superioribus semper fiat debita reverentia et observantia, cum officiis coordinatis seu subordinatis modesta sit et urbana.

Cuilibet officio sive ecclesiastico sive civili titulus eidem competens tribuatur, verba tamen superfluam urbanitatem prae se ferentia devitentur.

10. Cum caes. reg. Locumtenentia sicut cum caes. reg. Ministeriis nec non cum aliis officiis, quae superioritate quadam gaudent, excepto casu urgentis necessitatis, non est communicandum nisi interveniente princ.-episc. Ordinariatu; in appellationibus ad dictas instantias vero caveant parochi, ne officium vel magistratum, a quo se gravatos sentiunt, stylo inconveniente laedant.[1]

11. Libelli officiosi a princ.-episc. Ordinariatu (Consistorio) vel a c. r. magistratibus accepti in archivo parochiali asserventur neque officio seu magistratui, a quo missi sunt, remittantur; inconveniens enim simulque superfluum esset illos remittere, quum illorum scriptum originale (spisek, Konzept) in actis respectivi officii vel magistratus conservetur. Solummodo additamenta libello adnexa, si remittenda sint, remittantur.

Item exempla libellorum officiosorum in respectivis archivis reponantur, ut postea recognosci possit, quaenam fuerint verba libelli relativi.

12. Omnes petitiones, relationes, gravamina et cuncta negotia, disciplinam, curam animarum, administrationem bonorum ecclesiae, beneficii ac parochialis instituti pauperum concernentia via officiorum parochialium ad officium decanale dirigantur, cui incumbit officium ea aestimandi et, si aliquo defectu laborant, remittendi, ut corrigantur, et deinde, si rem minoris momenti tangunt, de illis iudicandi et quod iuris est decernendi, secus autem sine mora apposito maturo iudicio ad princ.-episc.

[1] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXXVI. punct. 10. pag. 686.

Ordinariatum transmittendi. Eximuntur tantum causae et negotia, quae dilationem non patiuntur.[1]

Quod si officium decanale ad eiusmodi libellum nihil adnotandum esse putaverit, sufficiet ad finem indicere, quando libellus iste ad officium decanale pervenerit, v. gr. hisce verbis:

Praes. in princ.-episc. officio decanali in D. die ... Num. . .

(Nomen) decanus.

Došlo kn.-šk. dekanijskemu uradu v D. dne ... št. . .

(Ime) dekan.

Eingelangt beim F.-B. Dekanalamte in D. am ... Z. . .

(Name) Dechant.

Si vero ab officio decanali de tali libello iudicium proferendum vel sententia dicenda sit, hoc non in libello ipso, sed in separata plagula fiat.

13. Cooperatores, capellani aliique sacerdotes numquam litteras officiales mittant ad curiam Nostram insciis, immo invitis parochis. Si tamen componunt aliquas relationes, ipsis subscribat parochus, vel addatur causa (v. gr. morbus, commeatus), ob quam non signavit libellum parochus manu propria.[2]

14. Ut conversatio officialis expedite procedat atque devitentur sic dictae litterae urgentes, quae haud raro varia causant incommoda, officia parochialia commonentur, ut tempestive solvant et transmittant acta respectivis officiis et magistratibus.

[1] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. XIX. alin. 2. pag. 374. — [2] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXXVI. alin. 10. pag. 686. — Folium officiale dioecesis Lavantinae 1909. Num. VI. alin. 49. punct. 7. pag. 80.

15. E speciminibus infra positis facile cognosci poterit externa forma futurae conversationis officiosae in scriptis.[1]

[1] *A.* (Ad puncta 1, 3, 4, 12).

Princ.-episc. officium parochiale in N. N. die . . .
Num. . . . . additamenta.
J. fundatio Missae.
Reverendissimo princ.-episc. Ordinariatui Lavantino
Marburgi.
Princ.-episc. officium parochiale in N. obsequiosissime rogat, ut approbetur consignatio pro supra memorata fundatione Missae.
(Nomen) parochus.
Praes. in princ.-episc. officio decanali
in D. die . . . Num. . .
(Nomen) decanus.

B. (Ad puncta 1, 3, 4, 5, 12).

Princ.-episc. officium parochiale in N. N. die . . .
Num. . . . . additamenta.
Sacra missio.
Reverendissimo princ.-episc. Consistorio Lavantino
Marburgi.
Respectu habito ad aestimantissimas litteras de die . . . Num. . . princ.-episc. officium parochiale in N. de eventu sacrae missionis obsequiosissime refert, quae sequuntur . . .
(Nomen) parochus.
Praes. in princ.-episc. officio decanali
in D. die . . . Num. . .
(Nomen) decanus.

C. (Ad punctum 7).

Princ.-episc. Consistorium Lavantinum Marburgi. Marburgi, die . . .
Num. . . . . additamenta.
Reverendo princ.-episc. officio parochiali in N. ad aperiendam sententiam transmittitur.
(Nomen) Cancellarius.

Princ.-episc. officium parochiale in N. N. die . . .
Num. . . . . additamenta.
Reverendissimo princ.-episc. Consistorio Lavantino
Marburgi
obsequiosissime remittitur et refertur . . .
(Nomen) parochus.

A. (K številom 1, 3, 4, 12).

Kn.-šk. župnijski urad v N. N. dne . . .
Štev. . . . . priloge.
J. mašna ustanova.
Prečastitemu kn.-šk. Lavantinskemu ordinariatu
v Mariboru.
Kn.-šk. župnijski urad v N. prespoštljivo prosi, da prečastiti kn.-šk. ordinariat odobri načrt ustanovnega pisma za zgoraj imenovano mašno ustanovo.
(Ime) župnik.
Došlo kn.-šk. dekanijskemu uradu
v D. dne . . . štev. . .
(Ime) dekan.

16. Persuasum Nobis est, venerabiles animarum curatores has ordinationes, quae valiturae sunt a die 1. Ianuarii 1913, prompto animo recepturos et in offi-

B. (K številom 1, 3, 4, 5, 12).

Kn.-šk. župnijski urad v N. N. dne . . .
Štev. . . . . priloge.
Sveti misijon.
Prečastitemu kn.-šk. Lavantinskemu konzistoriju
v Mariboru.
S pogledom na precenjeni dopis z dne . . . štev. . . kn.-šk. župnijski urad prespoštljivo poroča o uspehu svetega misijona . . .
(Ime) župnik.
Došlo kn.-šk. dekanijskemu uradu
v D. dne . . . štev. . .
(Ime) dekan.

C. (K številu 7).

Kn.-šk. Lavantinski konzistorij v Mariboru. Maribor, dne . . .
Štev. . . . . priloge.
Velečastitemu kn.-šk. župnijskemu uradu v N. z naročilom, da izrazi svoje mnenje.
(Ime) kancelar.

Kn.-šk. župnijski urad v N. N. dne . . .
Štev. . . . . priloge.
Prečastitemu kn.-šk. Lavantinskemu konzistoriju
v Mariboru
imenovani kn.-šk. urad prespoštljivo vrne in poroča . . .
(Ime) župnik.

A. (Zu Punkt 1, 3, 4, 12).

F.-B. Pfarramt in N. N. am . . .
Z. . . . . Beilagen.
J. Messenstiftung.
An das Hochwürdigste F.-B. Lavanter Ordinariat
in Marburg.
Das F.-B. Pfarramt in N. bittet ehrfurchtsvollst um Genehmigung des Stiftbriefentwurfes für die obgenannte Messenstiftung.
(Name) Pfarrer.
Eingelangt beim F.-B. Dekanalamte
in D. am . . . Z. . .
(Name) Dechant.

B. (Zu Punkt 1, 3, 4, 5, 12).

F.-B. Pfarramt in N. N. am . . .
Z. . . . . Beilagen.
Heilige Mission.
An das Hochwürdigste F.-B. Lavanter Konsistorium
in Marburg.
Mit Bezugnahme auf die sehr geschätzte Zuschrift vom . . . Z. . . erlaubt sich das ehrfurchtsvollst gefertigte Pfarramt über den Erfolg der heiligen Mission folgendes zu berichten . . .
(Name) Pfarrer.
Eingelangt beim F.-B. Dekanalamte
in D. am . . . Z. . .
(Name) Dechant.

ciali conversatione non solum cum princ.-episc. Ordinariatu (Consistorio), verum etiam cum reliquis officiis ecclesiasticis nec non cum c. r. magistratibus exsecutioni daturos esse.

17. In quantum vero praescriptiones et consuetudines adhuc vigentes his ordinationibus non expresse abrogentur aut immutentur, etiam pro futuro in valore manent.

Omnis scriba doctus in regno coelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. (Matth. 13, 52).

Caput CLXXXVI.

De sacerdotibus ad suscipiendum munus pastorale cogendis.

In dioecesanis Synodis annis 1883 et 1896 praehabitis salubriter actum est de conditionibus ac praecautionibus, sub quibus animarum curatores, beneficiati potissimum, in statum sic dictae quiescentiae transire possint, nec non de ipsis pensionistis et deficientibus presbyteris.[1]

Salutaria haec statuta successu temporis per diversas decisiones Sacrae Concilii Congregationis saltem generatim comprobata sunt. Ex hisce decisionibus perspicue

C. (Zu Punkt 7).

F.-B. Lavanter Konsistorium in Marburg. Marburg, am . . .
Z. . . . . Beilagen.
Wird dem wohlehrwürdigen F.-B. Pfarramte in N. zur Äusserung übermittelt.
(Name) Kanzler.

F.-B. Pfarramt in N. N. am . . .
Z. . . . . Beilagen.
Wird dem Hochwürdigsten F.-B. Lavanter Konsistorium
in Marburg
unter Rückschluss des Aktes ehrfurchtsvollst berichtet . . .
(Name) Pfarrer.

[1] Acta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1883 celebratae. Marburgi, 1883. Pagg. 72—75. — Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Pagg. 364—368.

patet, sacerdotes vel poenis ecclesiasticis cogi posse ad suscipiendum munus pastorale, immo et debere.

Quia regnare est praevidere, praesens Synodus paulo penitius in hanc causam inquirere intendit, respectu habito ad nuperrimam decisionem, a Sacra Congregatione Concilii die 6. Augusti 1910 datam.[1]

Ius Episcopi in laborem et operationem singulorum sacerdotum in genere a nemine addubitatur oppugnaturque. In singulis tamen casibus faciliter exoritur opinio, sacerdotis esse, utrum officiis suis incumbere velit nec ne, praesertim si sustentationem pro aetate non cupit, ea non indiget. Prae omnibus occasione petendae pensionis divergentiae possunt nasci inter pensionis petitorem atque inter Curiam episcopalem.

Unde utile ac salutare erit, adferre decisionem, a Sacra Congregatione Concilii in causa Episcopi s. Iohannis de Mauriana die 6. Augusti 1910 latam.

Sacrorum Antistes potest idoneos et ab aliis incompatibilibus officiis liberos sacerdotes propriae dioecesis per poenas ecclesiasticas compellere ad suscipiendum munus pastorale. Antiquitus quum nullae essent parochiae, clerici mittebantur indiscriminatim ab Episcopo, quocum vitam communem degebant, ad opem fidelium necessitatibus spiritualibus ferendam. Et tunc toties quoties, prout necessitudo ferebat, officia spiritualia committebantur.

Serius institui coepta sunt ecclesiastica beneficia, quando desiit vita communis; et tunc etiam origines habuerunt paroeciae. Sed hae territorium assignatum adhuc non habebant et ad has interim Praesul clericos sibi subditos designabat. Tandem a magno Concilio Tridentino statutum est, quod parochiae assignatum haberent territorium et proprium rectorem.

Idem sacrosanctum Concilium de clericis generatim sanxit, ut tantum essent ordinati in bonum et utilitatem dioecesis et alicui ecclesiae incardinati sub dependentia proprii Episcopi, ut inibi suis fungantur muneribus.

[1] Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. Romae, die 30. Novembris 1910. Ann. II. vol. II. Nr. 22. pag. 911 sqq.

»Quum nullus debeat ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, sancta Synodus . . statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus nec incertis vagetur sedibus«.[1] Episcopo expresse interdictum est, plus presbyteros ordinare, quam necessarii sunt.

Ex adducta dispositione Tridentina fit, ut singuli clerici ex facto ordinationis censeantur incardinati dioecesi proprii Episcopi et sub eius dependentia exercere obligentur officia ecclesiastica eique religiose obedire. Obligatio clericorum ad acceptanda officia, sibi ab Ordinario commissa, per se intelligitur.

Clarissimus iuris doctor A. Bonal desuper haec adnotat: »Id, scilicet dicta obligatio, constat tum ex iurisdictione in foro externo, qua pollet Episcopus et quae stare nequit, quin subditi obtemperare teneantur, tum ex ipso ordinationis fine, quo clericus sub ditione proprii Episcopi remanet, ut data occasione, illius ope Episcopi dioecesis utilitatibus vel necessitatibus provideant; tum ex ipsa obedientiae promissione in die ordinationis facta, tum ex impossibilitate dioecesim gubernandi, si cuilibet clerico liceat, recusare munus, cui ab Episcopo praeponitur, tum denique ex stricto caritatis praecepto sacros ministros per se obligante fidelium necessitati subveniendi.«[2]

Quae quum ita sint, non videtur posse dubitari, quin Episcopi inspecto iure Tridentino valeant sacerdotes suae dioecesis caeteroquin idoneos et liberos ab aliis officiis pastoralibus movere ac cogere ad assumendum pastorale munus, stante et urgente spirituali dioecesis necessitate, et quidem comminatis poenis, quia secus dicta potestas in praxi inefficax evaderet.[3] Si ergo cooperatores, amovibiles ad nutum Episcopi, a suo loco revocentur vel alio mittantur, obsequium praestare tenentur.

[1] Sess. XXIII. cap. 16. de reformatione. — [2] A. Bonal, De Hierarchia episcopali. (Institutiones canonicae. Tract. IV. num. 106). — [3] C. 2. X. de maiorit. et obed. I, 33. — Bened. XIV. const. *Etsi minime* de die 7. Febr. 1742.

Huc spectant diversae decisiones dilaudatae Sacrae Congregationis, quibus recognoscitur in Episcopis facultas cogendi sacerdotes, etiam intentatis censuris, ad munus pastorale assumendum urgente necessitate et ad tempus pro prudenti arbitrio Episcopi.[1] Huiusmodi decreta edita sunt in causis Urbevetana die 10. Maii 1766, Tridentina die 18. Augusti 1860, Civitatis Castellanae 1862, in quibus datum est responsum prouti in Naxien. diei 22. Augusti 1831 nimirum: *Sacerdotes posse ab Episcopo compelli ad praestandum servitium, quod eiusdem ecclesiae necessitas aut utilitas requirit.*

Recentius in causa Parmen. *Circa clerum* diei 17. Ianuarii 1886 ad dubium tertium formiter propositum: »Utrum sub eodem praecepto obedientiae et iisdem intentatis censuris possit Episcopus sacerdotes otiosos vel ferme otiosos et sanitate suffultos compellere ad suscipiendam ecclesiarum curam, donec illi fas sit providere pastorem,« respondit Sacra Congregatio: *Affirmative, urgente necessitate et ad tempus.*

Episcopo Calvensi, die 28. Martii 1890 quaerenti, si possit obligare sacerdotes praecepto obedientiae sub gravi et cum censura suspensionis a divinis et in divinis ad suscipiendum munus ecclesiasticum, a praeclara Congregatione hoc prodiit rescriptum: *Detur responsum ut in Parmen. diei 17. Ianuarii 1886 ad tertium dubium.*[2]

Anno 1884 Praestes Tolosanus Sacrae Congregationi sequentia exposuit quaesita pro solutione: »Quum non raro accidat, ut sacerdotes, quibus cura amovibilis ecclesiarum . . commissa fuit, otii et facilioris vitae studio, muneri suo renunciare exoptent, cessione apud Ordinarium facta, etiam ante eius acceptationem, eo quod beneficia proprie dicta non tenent, relictis suis ecclesiis ad propria redeant, unde contingit, non paucos sacerdotes vitam otiosam, adhuc viribus integros, degere tam in urbe episcopali quam in potioribus dioeceseos civi-

[1] S. C. C. *Tinen.* de die 15. Mart. 1625; *Amerina* de die 8. Maii 1756. Recentiores supra in contextu accuratius allegantur. — [2] In ephemeride: Monitore ecclesiastico. Part. II. pag. 49.

tatibus, non sine scandalo fidelium: interea plures parochiales ecclesiae suis carent rectoribus, non sine magno religionis detrimento, eo quod Episcopus ob sacerdotum penuriam ipsis de parocho idoneo providere nequit.

Quapropter orator quaerit: 1. Utrum liceat praedictis sacerdotibus, eo quod beneficia veri nominis non teneant, a munere suo recedere, non obtenta prius Ordinarii licentia. 2. An ex praecepto obedientiae, adhibitis si opus fuerit censuris, Episcopus ius habeat eos cogendi, ut in suo munere persistant, usquedum ipsis de idoneo successore providere valeat. 3. Utrum sub eodem praecepto iisdemque intentatis censuris facultatem habeat Episcopus sacerdotes viribus pollentes et ab aliis officiis liberos compellendi ad earum ecclesiarum curam percipiendam, usque dum illis alio modo providere queat?«

Sacra Concilii Congregatio die 9. Maii 1884 propositis dubiis respondit: Ad 1um Negative. Ad 2um Affirmative. Ad 3um Affirmative . . .

In causa Foroiulien. diei 31. Ianuarii 1891 proposito dubio: An et quomodo concedenda sit facultas cogendi sub praecepto obedientiae, adhibitis etiam si opus fuerit censuris, sacerdotes viribus pollentes et a quocumque officio liberos ad curam animarum aliaque munera pro regimine animarum necessaria suscipienda in casu: responsum fuit: Affirmative in terminis rescripti *in Tolosana* ad tertium, dummodo eaedem circumstantiae concurrant.

Itaque iuxta praeallatas decisiones decernitur, quod Episcopi polleant nativo iure seu legitima potestate cogendi etiam sub poenis congruentibus refractarios sacerdotes idoneos et ab aliis sacris officiis vacuos ad acceptandum temporanee pastorale munus.

Digna et iusta causa adesse debet, ut animarum curio licite in statum quiescentiae transeat. Talis causa canonica deest, si sacerdos curam animarum dimittat, postquam sibi bonis huius saeculi bene et satis providit; aut eum taedet difficultatum curae pastoralis vel curae

quoad temporalia, beneficio annexa; aut aegre fert auctoritatem ecclesiasticam; aut putat, ipsius merita a superioribus haud recte remunerari; aut infirmitatem solum simulat; aut incassum laborare censet, quum grex omnes eius intentiones operationesque frustretur.

Relate ad causas excusantes a sacerdotibus adduci solitas pro munere pastorali dimittendo aut declinando Sacra Congregatio animadvertit, ut sequitur. *Quod presbyteri ordinati sunt in bonum dioecesis spirituale; hinc non proprium commodum sed animarum salutem eos exquirere oportet.* Indubie adesse possunt in praxi gravia motiva, quae presbyteros eximant ab acceptatione muneris, uti adesse possunt pro iam commisso munere renunciando, ut male affecta valetudo, odium populi et alia huiusmodi. In his circumstantiis quum munus committendum potius quam in utilitatem populi spiritualem vergat in dispendium, prudentia deposcit, ut presbyteri in tali conditione positi, non subiiciantur dicto oneri.

Verum de valore harum causarum iudex esse debet Episcopus, qui prae oculis habere semper debet illud sublime principium: *Salus animarum suprema lex est.* Ergo rationes propositae pro exoneratione a cura animarum acceptanda omnino sufficientes, graves, aequae, canonicae ac legitimae esse debent.

Hisce praemissis additur resolutio, a Sacra Congregatione in ventilata hac causa facta: »Eminentissimi Patres Sacrae Congregationis Concilii in plenariis comitiis habitis die 6. Augusti 1910 propositis ab Episcopo dubiis censuerunt: Affirmative, dummodo agatur de sacerdotibus viribus pollentibus et ab aliis officiis liberis, et quoadusque Episcopus necessitatibus vacantium parochiarum alio modo providere nequeat . . . Die autem 7. eiusdem mensis et anni Sanctissimus Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii, Eminentissimorum Patrum resolutionem approbare dignatus est.

L. † S.

C. Card. **Gennari**, Praefectus.
Basilius Pompili, Secretarius.«

Quoties ergo et quamdiu id exigat vera Ecclesiae necessitas ac nisi legitimum impedimentum excuset, suscipiendum est clericis ac fideliter implendum quod ipsis fuerit commissum ab Episcopo munus, ad quod obeundum ab eodem cogi possunt obedientiae praecepto adhibitisve, si oporteat, etiam censuris.

Sapiens haec decisio praeventive operabitur, intemporaneas resignationes ac pensiones retardabit atque recriminationibus repulsorum oratorum pensionis vias praecludet, in quantum adhuc habiles sunt ad adimplendum officium pastorale. In grassante magna penuria sacerdotum, ubi adversarii ab omnibus mundi partibus progrediuntur, catholici nominis hostes in unum conglobantur et ante portas stant, ad repugnandum istis congruenter omnes boni coëant, omnes vires uniantur et unitae maneant oportet.

Ne dimittatis ergo, fratres in Christo carissimi, ob qualemcumque causam cooperationem in vinea et in agro Domini, ne in vacuum gratiam Dei recepisse videamini! Pensionistae autem, si qui adhuc possint in cura animarum operari, rogentur, ut cum respectu ad sacerdotum paucitatem redeant ad munus, ad quod et propter quod sacros ordines susceperunt.

In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in seditionibus, in longanimitate! (II. Cor. 6, 4 sqq).

Titulus quartus.

De regimine ecclesiastico.

Christus ascendens in coelum non abdicavit se potestate in terra, sed remanet caput Ecclesiae principale. Iesus Christus est sacerdos in aeternum, semper vivens ad interpellandum pro nobis, influens in nos charismata gratiarum et potens per semetipsum salvare accedentes ad Deum. Successorem non habet, sed vicarium tantum.

Verus Christi vicarius in terris pro regimine Ecclesiae, quae ut corpus visibile indiget rectore, qui videri, audiri et adiri possit, est Petrus isque solus est institutus ab Iesu caput visibile totius Ecclesiae. Ipsi soli concessus est a Christo primatus non solum honoris et dignitatis, verum etiam potestatis et iurisdictionis. Et quia s. Petrus Romae vixit ibique Ecclesiam fundavit obiitque, est Romanus Pontifex eius successor et tenet primatum in universam Ecclesiam.

In Ecclesia gubernanda et pascenda, perinde ut apostolorum principi Pontifex Romanus, apostolis Episcopi successerunt. A Spiritu Sancto positi sunt, ut sub supremo et universali Pastore et Doctore tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascant et regant. »Praeesse enim et consulere rebus, quae ad religionem catholicam pertinent, Episcoporum est, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei; caeteros autem subesse et obtemperare oportere perspicuum est«.[1]

Antistiti munus sacrum incumbit, dioecesim demandatam secundum sacros canones gubernandi, bonos mores tuendi, pravos corrigendi, populum cohortationibus et monitis ad religionem, pacem innocentiamque accendendi. Maximae curae Episcopo esse debet de applicatione legum ecclesiasticarum singulis in casibus, ut ita disciplina ecclesiastica sarta tecta conservetur.

[1] Leo XIII. in epistola *Perlectae* de die 22. Octobris 1880.

Quae in Synodis praeviis regimen ecclesiasticum concernentia nondum pertractata sunt, ea sub titulo huius coetus synodalis quarto discutiuntur. Tractatus de variis iuris ecclesiastici causis claudit caput de observandis constitutionibus synodalibus.

Ubi non est gubernator, populus corruet: salus autem, ubi multa consilia. (Prov. 11, 14).

Caput CLXXXVII.

De competitione pro beneficiis curatis vacantibus.

Ut beneficiis curatis vacantibus rite provideatur, ex iure particulari per litteras publicas concursus indicitur de more ad tempus sex hebdomadarum a die, a quo beneficium vacat.[1]

Beneficium parochiale vacans et rite promulgatum ambire possunt presbyteri, qui examen concursuale quoad scientiam e theologicis disciplinis bono cum successu subierunt et super hoc testimonium obtinuerunt vel a tali tentamine liberati sunt.[2]

Ut variae inconvenientiae quoad huiusmodi petitiones tollantur et in posterum evitentur, sequentia praescribimus et mandamus.

1. Litterae supplices pro obtinendo beneficio vacante rite componi et necessariis additamentis exornari debent.

Proinde *a)* petitio fiat pro certa et determinata ecclesia parochiali de iure et de facto vacante, pro qua concursus indictus est. Petitiones alternativae pro uno alterove e pluribus beneficiis vacantibus, prout litterae supplices pro beneficio indeterminato locum non habent. Quod sacrosanctum Concilium Tridentinum sat clare enunciavit, loquens de concursu pro unaquaque ecclesia parochiali vacante separatim instituendo.[3]

[1] Dr. Fr. Rieder, Handbuch der k. k. Verordnungen über geistliche Angelegenheiten. Wien, 1847. Alin. II. 4. pag. 101. — [2] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Cap. LVI. pag. 561. — [3] Sess. XXIV. cap. 18. de reform.

Idem et Benedictus PP. XIV. innitens praedicto decreto Concilii Tridentini docet, scribens: »Ad tramites idcirco eiusdem sanctae Synodi usu receptum est, ut cuiusque parochialis ecclesiae vacatione concursus instituatur, ut habita in eo de cuiuslibet aetate, moribus, doctrina et sufficientia sollerti inquisitione, Episcopus eligat, quem caeteris magis idoneum iudicaverit.«[1]

Sed etiam a saeculari potestate praescribitur, ut petitio ista nonnisi pro una tantum parochia expresse denominata proponatur.[2]

b) Competitor in sua competitione patriam, dioecesim, aetatem, scientiam linguarum, locum habitationis, locum et tempus studiorum nec non progressum in eisdem indicet,[3] quod apte fieri potest adnectendo litteris supplicibus testimonium nativitatis et suscepti baptismi atque testimonia studiorum.

c) Apponatur testimonium de peracto cum bono successu tentamine concursuali vel de obtenta dispensatione a tali tentamine. »Competentia, quae non instructa reperitur obtenta liberatione, remittitur auctori«.[4]

Ut litteris, quibus libellus supplex pro obtinendo beneficio curato princ.-episc. Ordinariatui substernitur, simul liberatio ab iterando examine concursuali petatur, admitti nullo modo potest. Talis petitio separatim et mature proponatur addito testimonio de peracto examine concursuali, atque documentum de obtenta dispensatione libello supplici adiungatur. »Qui cupiunt ambire aliquod beneficium parochiale et obtinere hunc in finem liberationem ab examine scientifico, debent suum libellum supplicem pro hac liberatione *uno saltem mense ante terminum concursus* substernere princ.-episc. Ordinariatui.«[5]

[1] Benedicti XIV. constit. *Cum illud semper* de die 14. Dec. 1742. (Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIV. constitutiones selectae. Romae, 1767. Pars I. pag. 92). — [2] Die Bittschriften um unbestimmte Pfarr-Benefizien sollen von den Ordinariaten gar nicht angenommen werden, sondern von dem Kompetenten soll jederzeit nur um *eine* Pfründe und zwar mit ausdrücklicher Benennung derselben das Ansuchen gemacht werden. (Dr. Fr. Rieder, Handbuch der k. k. Verordnungen über geistliche Angelegenheiten. Wien, 1847. Alin. II. 7. pag. 101). — [3] Op. cit. alin. II. 5. pag. 101. — [4] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Cap. LVI. pag. 566. — [5] Op. et loco cit.

d) Dein competitor varia munia, quibus in cura animarum fungebatur, id est eorum speciem, locum et tempus in separata tabella consignet adiectis, in quantum fieri potest, decretis, quibus praedicta munia ipsi commissa sunt.

e) Licet competitori provocare ad merita aliasque circumstantias, quas petitioni suae proficuas fore existimaverit earumque veritatem adnexis attestationibus fide dignis confirmare, attendat tamen, ne hac in re transgrediatur fines modestiae.

f) Qui, concursu pro pluribus beneficiis vacantibus indicto, duo vel plura eorum simul competere vult, quod vero non commendatur (lit. a), pro quolibet separatim libellum supplicem conficere eique omnia praedicta documenta sive originalia sive eorum exempla rite confirmata et probata adiungere debet.[1] Princ.-episc. Officium non potest suscipere curam transponendi ista documenta ab uno libello supplici ad alterum.

2. Ad quemnam libellus supplex sit dirigendus, cognosci potest ex edicto, quo concursus pro vacante beneficio promulgatur. In dioecesi Lavantina libelli supplices pro beneficiis parochialibus, cuiuscumque fuerint patronatus, ad princ.-episc. Ordinariatum transmittuntur adnexis litteris, quibus orator rogat, ut commendetur pro beneficio, quod ambit.

Libellus supplex, qui ad patronum privatum dirigitur, non est signandus signo rei publicae (kolek, Stempel); libelli supplicis pro beneficio curato, quod est patronatus publici, quaelibet plagula (pola, Bogen) signetur signo unius coronae, quodlibet autem documentum, tali libello supplici additum, nisi iam signatum sit, ornetur signo triginta hellerorum. Litterae, quibus libellus supplex princ.-episc. Ordinariatui substernitur, tunc solummodo signentur signo unius coronae, si eisdem adiacet libellus supplex ad patronum publicum.[2]

[1] Ioachim Bazanella, Manuale für das Seelsorgeamt. Trient, 1892. Pag. 572. — [2] Dr. I. Helfert, Anleitung zum geistlichen Geschäftsstil. 11. Auflage. Wien, 1892. Pag. 110.

3. Libellus supplex iusto tempore proponatur. »Ambientes beneficium annunciatum oportet in praesignato termino libellos supplices dirigere ad reverendissimum Ordinariatum. Libelli porrecti post tempus definitum non respicientur.«[1]

Anno 1910 sacerdotes dioecesani edocti sunt, diem, ad quem concursus pro beneficio vacante indicitur, non amplius computandum esse ad terminum competentiae praesignatum. Proinde libellorum supplicum, qui *hac demum die et non saltem usque ad meridiem diei praecedentis ad princ.-episc. Ordinariatum perferuntur, in posterum ratio non habebitur.* Hac ordinatione, cui in futurum absque ulla exceptione standum erit, nemini infertur iniuria, quia pro quolibet beneficio vacante concursus sex septimanarum indicitur.[2]

4. Libelli supplices ad praepositum officium decanale dirigantur et ab hoc princ.-episc. Ordinariatui proponantur.[3]

5. Quum nonnumquam eveniat libellos supplices iam propositos revocari tempore, quo res iam publice agitur, unde variae et haud parvae difficultates oriuntur, non possumus, quin libere dicamus, talem agendi rationem non esse commendabilem.

Absque dubio nemini denegari potest facultas informandi se de statu beneficii, quod ambire intendit. Quem in finem concursus indicitur per sex hebdomadas, quo temporis spatio quilibet satis deliberare potest, ne eum capti consilii postea poeniteat neve opus ei sit illud revocare.

Possunt quoque supervenire circumstantiae, ob quas competens melius sibi prospiceret, si propositum suum mutaret et supplicationem revocaret. Ubi tales dantur circumstantiae, utique nemini malam in partem imputabitur, si retrahat petitionem suam.

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Cap. LVI. pag. 567. — [2] Folium officiale dioecesis Lavantinae 1910. Num. IV. alin. 31. pag. 59. — [3] Gesta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. XIX. alin. 2. pag. 374 et 375.

Si quis autem sine legitima causa, v. gr. ut aliud beneficium interim vacuefactum ambiat, aut ex rationibus prius iam exsistentibus libellum supplicem revocat, eiusmodi agendi ratio ansam praebet, ut in posterum competitionum ipsius non habeatur talis ratio, qualis caeteroquin haberi possit.

Consimili modo omnino inconveniens est et admitti non potest agendi ratio, ut praesentatus ad aliquod beneficium parochiale, postquam princ.-episc. Officio iam indicavit, qua die et a quo ad beneficium istud canonice investiri velit, respectivis documentis rite exaratis ac subscriptis et non solum ipsi sed officiis quoque, ad quae pertinet, iam transmissis, sententiam suam mutet atque ex eiusdem culpa omnia documenta revocari aut immutari debeant.

State in Domino, solliciti, semper circa custodiam ordinis, ut ordo custodiat vos!

Caput CLXXXVIII.

De professione fidei emittenda deque iuramento contra errores modernistarum praestando.

Synodus dioecesana anno 1896 habita salutarem constitutionem de fide catholica servanda eiusque tuendae cura publicavit. Item Synodus anni 1906 de gravi hoc negotio nova quaedam dedit statuta.[1] Sacra enim fides est humanae salutis initium omnisque vitae virtutum radix et fundamen ideoque inviolata, pura et integra custodienda contraque cuncta pericula hodierni temporis munienda.

Huiusmodi pericula sunt: *indifferentismus*, qui omnes religiones aeque aestimat, etiamsi veritas nonnisi una est, ita et religio vera, Deo placens nonnisi una esse potest; porro *falsa tolerantia religiosa* erga acatholicos.

[1] Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Pagg. 197—203. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pagg. 576—582.

Ecclesia quidem catholica deposcit a suis fidelibus caritatem erga heterodoxos; attamen dogmata et iura eius intacta manere et ab omnibus respici oportet. Deinde huc spectat *materialismus monisticus et pantheisticus*, quorum alter praeter res visibiles nil exsistere autumat, quo omnis virtus, omnis vita moralis corruit; et alter Deum esse omnia putat, ita ut spiritus divinus substantia mundi sit. Consimili modo *atheismus* Deum omnino negat, quousque vix pagani progressi sunt, quia Doctore gentium testante *invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* (Rom. 1, 20).

Variae sectae *protestantismi* in eo conveniunt, ut auctoritatem Ecclesiae prorsus negent. Nihil intentatum relinquunt aliqui protestantium coetus, ut quam plurimos ab Ecclesia romano-catholica abalienent, quod pariter sic dicti *veteres catholici* attentant. Inde *apostasia* ut aiunt a Roma novum genus proelii adversus unice salvificam Ecclesiam catholicam ortum est, de quo Synodi annorum 1903 et 1911 utilia dederunt consilia, sapientes statuerunt regulas.[1]

Sanctae Ecclesiae systemata adversantia sunt *socialismi democratici*, qui negat quamlibet veritatem religiosam, quodlibet principium immateriale; *liberalismi*, qui libertatem rationis et voluntatis humanae a nulla auctoritate dependentem declarat; *nationalismi moderni*, qui religionem postponit nationi et linguam supremam et ultimam legem esse sancit.

Falsi nominis scientiae spernunt divinam revelationem et in humano ingenio nimis confidunt, immo fidem considerant incompatibilem seu insociabilem cum scientiis. Cui errori haud absimilis est *catholicismus reformandus*. Qui reformismus docet: Ecclesiam posse ac debere cum progressu, cum civilitate modo vigente sese reconciliare ac conformare.

[1] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pagg. 220—235. — Operationes et constitutiones Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1911 congregatae. Marburgi, 1912. Pagg. 460—464.

Inter remedia contra memorata fidei pericula solida potissimum numeratur fidelium institutio in tota religione catholica, speciatim in eis fidei capitibus, quae annotatis fidei erroribus opponuntur. De qua necessaria institutione tum in scholis tum in ecclesiis facienda praecedentes Synodi abunde tractaverunt.[1] Insimul subsidia ad fidem conservandam et propagandam suppeditata sunt, ut variae confraternitates, diversae sodalitates et societates, associationes et uniones pro bonis libris et foliis edendis.

Sed sacra fides non solum remotione periculorum, verum etiam positiva confessione munitur. Quoniam igitur *ore confessio fit ad salutem* (Rom. 10, 10), praecepit Synodus dioecesana anni 1896, ut in omnibus parochiis religiose observetur prisca consuetudo illa eliciendi quavis Dominica post concionem actus fidei, spei et caritatis. Item praescripsit, ut publicam et sollemnem professionem fidei iuxta formam a Pio PP. IV. traditam cum additamento iussu Vaticani Concilii inserendo emittant *a)* promoti ad canonicatum et dignitatem in ecclesia cathedrali, priusquam installentur, *b)* provisi de beneficiis, quibus cura animarum coniuncta est, *c)* examinatores synodales aut prosynodales, rectores seminariorum, professores sacrae Theologiae, magistri institutionis religiosae in c. r. gymnasiis et generatim in scholis, quae ad ea iuxta communem sententiam proxime accedunt. Utrum vero alii etiam sacerdotes, v. gr. qui in curia episcopali suo munere funguntur, professionem istam fidei emittere debeant, in singulis casibus Ordinarius decernet.

Haec statuta Concilium provinciale Salisburgi anno 1906 celebratum approbavit et insuper praecepit professionem fidei *d)* concionatoribus et confessariis prima vice examinatis et approbatis, *e)* omnibus, qui beneficium etiam simplex obtinent, rectoribus curatis ad Ordinarii beneplacitum, *f)* haereticis, schismaticis et infidelibus in

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 peractae. Marburgi, 1901. Pag. 171 sqq, 218 sqq, 230 sqq. — Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Pag. 267 sqq, 296 sqq.

sinum Ecclesiae catholicae revertentibus. Quoad haereticos recipiendos servetur instructio Sacrae Congregationis S. Officii de die 20. Iulii 1859; pro formula professionis fidei adhibeatur modus ibidem praescriptus.[1]

Recentius de nostra re Sanctissimus Dominus noster Pius PP. X. graves tulit leges. In magna sua vigilantia et cura pro grege Dominico videbat et observabat, quam perniciosum semen indesinenter seminare inimicum hominum non solum in agro huius mundi, qui in maligno positus est, verum etiam in Ecclesia ipsa. Ne errores, qui longe sunt perniciosiores, si de disciplinis agitur sacris, si de sacra Scriptura interpretanda, si de fidei praecipuis mysteriis, de sacramentis, si de hierarchia divinitus instituta, in fidelium animis radices figant ac fidei puritatem et integritatem corrumpant, Pius PP. X. generali decreto Sacrae Romanae et universalis Inquisitionis *Lamentabili sane exitu* de die 3. Iulii 1907 sexaginta quinque errores in syllabum collectos reprobavit et proscripsit. Damnatae propositiones sunt praecipui errores reformismi vel modernismi.[2]

Praeterea Summus Pontifex litteris encyclicis *Pascendi Dominici gregis* de die 8. Septembris 1907 falsas modernistarum doctrinas evidenter detexit aperteque profligavit. Motu proprio *Praestantia Scripturae Sacrae* de die 18. Novembris 1907 addita est excommunicationis poena adversus contradictores, qui vim et efficacitatem adimere connituntur praeclaro decreto *Lamentabili sane exitu* et egregiis litteris encyclicis *Pascendi Dominici gregis.*

[1] Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 102 et 103. — [2] Innumera fere opera in lucem prodierunt, quae dilucidarent errores et asseclas modernismi. Inter haec eminent: Dr. Franz Heiner, Die Massregeln Pius X. gegen den Modernismus nach der Enzyklika Pascendi vom 8. September 1907 in Verbindung mit dem Motuproprio vom 1. September 1910. Paderborn, 1910. — P. Reginald Schultes O. P., Was beschwören wir im Modernisteneid? Mainz, 1911. — I. Marx, Der Eid wider den Modernismus und die Geschichtsforschung. Trier, 1911. — Simon Weber, Theologie als freie Wissenschaft und die wahren Feinde wissenschaftlicher Freiheit. Freiburg, 1912. — E. Rosa S. I., Il giuramento contra gli errori del modernismo. Roma, 1912. — Dr. Anton Gisler, Der Modernismus. Köln, 1912. Pagg. 686. — I. Bessmer S. I., Philosophie und Theologie des Modernismus. Freiburg im Breisgau, 1912.

Beatissimus Pater porro celebri Motu proprio *Sacrorum Antistitum* de die 1. Septembris 1910 salutares condidit leges ad modernismi pestiferi periculum penitus propulsandum. Insigne hoc documentum est veluti quoddam luminare, lucem diffundens supernam ad detegendas ambages errorum modernistarum diabolica astutia absconditos simulque aptissimum ad eos omnino evertendos. Insimul media ad infernales hostium impetus propulsandos praebet, uti est institutum *censorum librorum edendorum* [1] et *consilium a vigilantia*, quod utrumque in dioecesi Lavantina adaptatum est.

Praeter emissionem professionis fidei iuxta formulam Tridentino-Vaticanam faciendam *iusiurandum* secundum formulam Motui proprio adnexam singuli professores sacrae Theologiae et Magistri religionis anno ineunte praestare obligantur. Sacra Congregatio Consistorialis die 29. Decembris 1911 ad petitionem Austriae Ordinariorum diei 11. Novembris 1911 declaravit: Ubi ex usu in dioecesibus istis vigente professio fidei in initio anni scholastici non iteretur a magistris, ne locum quidem esse renovationi iuramenti vi constitutionis *Sacrorum Antistitum* praestandi.[2]

Idem praestare tenentur clerici maioribus ordinibus initiandi, confessarii, concionatores, parochi, canonici, beneficiarii ante ineundam beneficii possessionem, officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis Vicario generali et iudicibus, item adlecti concionibus habendis per quadragesimae tempus, religiosarum familiarum congregationumque moderatores et doctores, ante ineant officium.

Dictae professionis fidei editique iurisiurandi documenta peculiaribus in tabulis apud curias episcopales

[1] Ad dubium, utrum Episcopus loci, in quo aliquis auctor eidem non subditus librum, a proprio Ordinario iam examinatum et prelo dignum iudicatum, publici iuris facere desiderat, istius libri impressionem permittere possit, quin eum novae censurae subiicere debeat, Sacra Congregatio Indicis die 9. Maii 1912 respondendum censuit: affirmative, apponendo iudicium *Nihil obstare* censoris alterius dioecesis ab istius Ordinario sibi transmissum. — [2] Folium officiale dioecesis Lav. 1912. Num. IV. alin. 16. pag. 77.

adserventur. Iusiurandum violantes ad Sancti Officii tribunal deferendi sunt.

Praesul Lavantinorum una cum Clero suae civitatis residentialis in ecclesia s. Aloysio sacra die Dominico 4. Decembris 1910 praescriptam fidei professionem et praeceptum iusiurandum, tactis sanctis Evangeliis, religiose praestitit. Subsecuta die 5. Decembris id peractum est in ecclesia cathedrali cum decanis foraneis, qui delegati sunt, a Clero suorum districtuum idem rite excipere.

Iniunctum hoc officium sacrum etiam in futuro iuxta regulas iam propositas aut proponendas ad amussim adimplebitur. Circa Motum proprium *Sacrorum Antistitum* nempe variae declarationes Sacrae Congregationis Consistorialis ad diversa dubia editae sunt die 25. Septembris 1910 et die 25. Octobris 1910. Vigore prioris declarationis inter alia *affirmative* responsum est ad quaestiones, an praescriptio *Consilium vigilantiae* altero quoque mense congregandi sit item stricte intelligenda; an tamen ii, qui *Consilium vigilantiae* constituunt, si longe distent a civitate episcopali et legitime impediti sint ab interveniendo, possint, adducta causa impedimenti, scripto transmittere relationem suam; porro an quotannis doctores in seminariis teneantur textum, quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones sive theses Episcopis exhibere; an ad Sanctum Officium sint deferendi non solum qui iusiurandum violaverint, sed etiam qui iurisiurandi formulam subscribere renuerint.[1]

Vi alterius declarationis v. gr. sufficit unum iusiurandum illius, qui plura obtinet officia vel beneficia; Vicarius generalis delegari potest ab Episcopo, generali modo, ad iusiurandum excipiendum; sufficit, ut formula iuramenti ab uno recitata a caeteris singulis, iureiurando emisso, ipsa subscribatur. Pro prima vice sufficiebat, ut parochi in locis, a residentia Episcopi dissitis, subsignarent iuramenti formulam; in posterum vero parochi tenentur ad iuramentum praestandum coram eo, a quo beneficii possessionem obtinebunt. Novi beneficiarii debent

[1] Folium officiale dioec. Lavant. 1910. Num. XI. alin. 92. pag. 158 et 159.

subscribere formulam tum professionis fidei tum iurisiurandi.[1]

Sacra Congregatio Consistorialis die 17. Decembris 1910 declaravit, alumnos religiosos maioribus ordinibus initiandos teneri dare iusiurandum a laudato Motu proprio praescriptum coram Episcopo ordines conferente et documenta iurisiurandi dati adservanda esse in tabulario Ordinarii, qui iusiurandum recepit.[2]

Tenore decreti, a Sacra Congregatione Consistoriali die 1. Martii 1911 editi, professio fidei in posterum emittenda est ante adeptam possessionem beneficii, et vi decreti die 24. Martii 1911 publicati requiritur, ut iuramentum emittatur ante ineundum sacrum subdiaconatus ordinem salvo Ordinarii iure, illud denuo exigendi ante collationem singulorum sacrorum ordinum, si ex qualibet causa necessarium vel utile ducat.[3]

Mediis praedictis pie adhibitis fidei conservatio et propagatio promovetur. *Nos spiritu ex fide spem iustitiae exspectamus. Nam in Christo Iesu* valet tantum *fides, quae per caritatem operatur.* (Gal. 5, 5. 6).

Caput CLXXXIX.

De parochorum amotione administrativa seu oeconomica ab officio et beneficio curato.

De parochorum amotione administrativa a pastorali munere Synodus Lavantina anno 1906 convocata propriam edidit constitutionem, in qua reperitur axioma: *Sacerdotes in beneficiis curatis constituuntur, ut operam et laborem saluti animarum procurandae cum fructu impendant. Salus enim animarum suprema in Ecclesia lex esse debet.* Qui ergo parochiae administrandae praeficitur, qua proprius eiusdem rector stabilis in ea esse debet,

[1] Folium officiale dioecesis Lavant. 1910. Num. XII. alin. 100. pag. 169. — [2] Folium officiale dioecesis Lavant. 1911. Num. II. alin. 7. pag. 27 et 28. — [3] Idem. Num. VIII. alin. 69. pag. 162. — Idem. Num. IX. alin. 87. pag. 177.

quod tamen non impedit, quominus ab ea removeri queat sive criminali iudicio sive administrativo modo.[1]

Veterem hanc iuris doctrinam recentius Sacra Congregatio Consistorialis per clarum, in bonum Episcoporum ac curionum cedens decretum *Maxima cura* die 20. Augusti 1910 plene confirmavit nec non normam procedendi in hoc negotio praecise stabilivit. Dehinc haec iuris causa multifariam multisque modis a viris iuris peritis ventilata et tractata est.[2]

Dilaudatum *de amotione administrativa ab officio et beneficio curato decretum* sonat, ut sequitur.

»Maxima cura semper Ecclesiae fuit, ut christiano populo praeessent et animarum saluti prospicerent selecti e sacerdotum numero viri, qui vitae integritate niterent et cum fructu suis muniis fungerentur.

Quamvis autem, ut hi rectores quae paroeciae utilia aut necessaria esse iudicarent alacriore possent animo suscipere soluti metu, ne ab Ordinario amoverentur pro lubitu, praescriptum generatim fuerit, ut stabiles in suo officio permanerent; nihilominus, quia stabilitas haec in salutem est inducta fidelium, idcirco sapienti consilio cautum est, ut eadem non sic urgeatur, ut in perniciem potius ipsorum cedat.

Quapropter, si quis scelestus creditum sibi gregem destruat magis quam aedificet, is debet, iuxta antiquissimum et constantem Ecclesiae morem, quantum fas est,

[1] De parochorum inamovibilium remotione via administrativa, involuntaria translatione et pensione. (Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 facta. Marburgi, 1907. Pagg. 582—593). — [2] Franciscus Boriero, Processus disciplinaris theoretico-practicus pro amotione administrativa parochorum. Patavii, 1910. Typis seminarii episc. Adnexa sunt formularia pro praxi. Pagg. 64. — Sac. Fel. M. Capello, De administrativa amotione parochorum seu commentarium in decretum *Maxima cura*. Romae, 1911. Pagg. 125. — Josef Schmelcher, Das Dekret der S. Congr. Consist. de amotione administrativa ab officio et beneficio curato. Mit einem Kommentar versehen. Paderborn, 1911. Pagg. 37. — Dr. Prümmer O. Pr., Das neue Dekret über die Versetzung der Pfarrer. (Theologisch-praktiche Quartalschrift. Linz, 1911. Fasc. I. pag. 13 sqq). — Dr. Stanislaus R. von Wysocki, Das Dekret *Maxima cura* über die administrative Amotion der Pfarrer. (Archiv für Katholisches Kirchenrecht. Mainz, 1911. Fasc. I. pagg. 18—54). — Prof. Hilling, Die Amtsenthebung der Pfarrer im Verwaltungswege. Mainz, 1911. — Versetzung des Pfarrers (remotio oeconomica) auf administrativem Wege. (Archiv für Katholisches Kirchenrecht. Mainz, 1911. Fasc. III. pagg. 497—502).

instituto iudicio de crimine, beneficio privari, hoc est a parochiali munere abduci. Quod si, vi canonici iuris, criminali iudicio ac poenali destitutioni non sit locus; parochus autem hac illâve de causa, etiam culpa semota, utile ministerium in paroecia non gerat vel gerere nequeat, aut forte sua ibi praesentia noxius evadat; alia suppetunt remedia ad animarum saluti consulendum. In his potissimum est parochi amotio, quae oeconomica seu disciplinaris vulgo dicitur et nullo iudiciali apparatu, sed administrativo modo decernitur, nec parochi poenam propositam habet, sed utilitatem fidelium. Salus enim populi suprema lex est: et parochi ministerium fuit in Ecclesia institutum, non in commodum eius, cui committitur, sed in eorum salutem, pro quibus confertur.

Verum, quum de hac amotione canonicae leges haud plane certae perspicuaeque viderentur, coetus Consultorum et Eminentissimorum Patrum ecclesiastico codici conficiendo praepositus, rem seorsim ac repetito studio tractandam suscepit; collatisque consiliis, censuit formam quandam accuratiorem esse statuendam, qua gravis haec ecclesiasticae disciplinae pars regeretur. Quae studia quum Sanctissimus D. N. Pius PP. X. et vidisset et probasset, quo tutius in re tanti momenti procederet, sententiam quoque sacrae huius Congregationis Consistorialis exquirendam duxit. Qua excepta et probata, ut Ecclesia posset, nulla interiecta mora, novae huius disciplinae beneficio frui, decretum per hanc S. Congregationem edi iussit, quo novae normae de amotione administrativa ab officio vel beneficio curato statutae promulgarentur eaedemque canonicam legem pro universa Ecclesia constituerent, omnibus ad quos spectat rite religioseque servandam.

Hae autem normae hisce, qui sequuntur, canonibus continentur.

I. De causis ad amotionem requisitis.

Can. 1. Causae, ob quas parochus administrativo modo amoveri potest, hae sunt:

1. Insania, a qua ex peritorum sententia perfecte et sine relabendi periculo sanus fieri non posse videatur; aut ob quam parochi existimatio et auctoritas, etiamsi convaluerit, eam penes populum fecerit iacturam, ut noxium iudicetur eumdem in officio retinere.

2. Imperitia et ignorantia, quae paroeciae rectorem imparem reddat suis sacris officiis.

3. Surditas, caecitas et alia quaelibet animae et corporis infirmitas, quae necessariis curae animarum officiis imparem in perpetuum vel etiam per diuturnum tempus sacerdotem reddant, nisi huic incommodo per coadiutorem vel vicarium occurri congrue possit.

4. Odium plebis, quamvis iniustum et non universale, dummodo tale sit, quod utile parochi ministerium impediat, et prudenter praevideatur brevi non esse cessaturum.

5. Bonae aestimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec procedat ex inhonesta aut suspecta vivendi ratione parochi, vel ex alia eius noxia, vel etiam ex antiquo eiusdem crimine, quod nuper detectum ob praescriptionem poena plecti amplius non possit; sive procedat ex facto et culpa familiarum et consanguineorum, quibuscum parochus vivit, nisi per eorum discessum bonae parochi famae sit satis provisum.

6. Crimen, quod, quamvis actu occultum, mox publicum cum magna populi offensione fieri posse prudenti Ordinarii iudicio praevideatur.

7. Noxia rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae aut beneficii damno; quoties huic malo remedium afferri nequeat auferendo administrationem parocho aut alio modo, et aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat.

8. Neglectio officiorum parochialium post unam et alteram monitionem perseverans et in re gravis momenti, ut in sacramentorum administratione, in necessaria infirmorum adsistentia, in catechismi et evangelii explicatione, in residentiae observantia.

9. Inobedientia praeceptis Ordinarii post unam et alteram monitionem et in re gravis momenti, ceu cavendi a familiaritate cum aliqua persona vel familia, curandi debitam custodiam et munditiem domus Dei, modum adhibendi in taxarum parochialium exactione et similium.

Monitio, de qua superius sub extremo duplici numero, ut peremptoria sit et proximae amotionis praenuncia, fieri ab Ordinario debet, non paterno dumtaxat more, verbotenus et clam omnibus; sed ita ut de eadem in actis Curiae legitime constet.

II. De modo procedendi in generali.

Can. 2. § 1. Modus deveniendi ad amotionem administrativam hic est: ut ante omnia parochus invitetur ad renunciandum: si renuat, gradus fiat ad amotionis decretum: si recursum contra amotionis decretum interponat, procedatur ad revisionem actorum et ad praecedentis decreti confirmationem.

§ 2. In quo procedendi gradu regulae infra statutae ita servandae sunt, ut, si violentur in iis, quae substantiam attingunt, amotio ipsa nulla et irrita evadat.

III. De personis ad amotionem decernendam necessariis.

Can. 3. § 1. In *invitatione* parocho facienda, ut renunciet, et in *amotionis decreto* ferendo Ordinarius, ut legitime agat, non potest ipse solus procedere; sed debet inter examinatores, de quibus statuit sacra Tridentina Synodus cap. XVIII. sess. XXIV. *de reform.*, duos sibi sociare et eorum consensum requirere in omnibus actibus, pro quibus hic expresse exigitur: in caeteris vero consilium.

§ 2. In *revisione autem decreti amotionis*, quoties haec necessaria evadat, duos parochos consultores assumat, quorum consensum vel consilium requiret, eodem modo ac in § superiore de examinatoribus dictum est.

Can. 4. Examinatoribus et parochis consultoribus eligendis lex in posterum ubilibet servanda haec esto:

§ 1. Si Synodus habeatur, in ea iuxta receptas normas eligendi erunt tot numero, quot Ordinarius prudenti suo iudicio necessarios iudicaverit.

§ 2. Examinatoribus et parochis consultoribus, medio tempore inter unam et aliam Synodum demortuis vel alia ratione a munere cessantibus, alios *prosynodales* Ordinarius substituet de consensu Capituli cathedralis, et, hoc deficiente, de consensu consultorum dioecesanorum.

§ 3. Quae regula servetur quoque in examinatoribus et parochis consultoribus eligendis, quoties Synodus non habeatur.

§ 4. Examinatores et consultores sive in Synodo, sive extra Synodum electi, post quinquennium a sua nominatione vel etiam prius, adveniente nova Synodo, officio cadunt. Possunt tamen, servatis de iure servandis, denuo eligi.

§ 5. Removeri ab Ordinario durante quinquennio nequeunt, nisi ex gravi causa et de consensu Capituli cathedralis vel consultorum dioecesanorum.

Can. 5. § 1. Examinatores et parochi consultores, ab Ordinario in causa amotionis assumendi, non quilibet erunt, sed duo seniores ratione electionis, et in pari electione seniores ratione sacerdotii, vel hac deficiente, ratione aetatis.

§ 2. Qui inter eos ob causam in iure recognitam suspecti evidenter appareant, possunt ab Ordinario, antequam rem tractandam suscipiat, excludi. Ob eamdem causam parochus potest contra ipsos excipere, cum primum in causa veniat.

§ 3. Alterutro vel utroque ex duobus prioribus examinatoribus vel consultoribus impedito vel excluso, tertius vel quartus eodem ordine assumetur.

Can. 6. § 1. Quoties in canonibus, qui sequuntur, expresse dicitur, Ordinario procedendum esse de examinatorum vel consultorum consensu, ipse debet per secreta suffragia rem dirimere, et ea sententia probata erit, quae duo saltem suffragia favorabilia tulerit.

§ 2. Quoties vero Ordinarius de consilio examinatorum vel consultorum procedere potest, satis est, ut eos audiat, nec ulla obligatione tenetur ad eorum votum, quamvis concors, accedendi.

§ 3. In utroque casu de consequentibus ex scrutinio scripta relatio fiat et ab omnibus subsignetur.

Can. 7. § 1. Examinatores et consultores debent sub gravi, dato iureiurando, servare secretum officii circa omnia, quae ratione sui muneris noverint, et maxime circa documenta secreta, disceptationes in consilio habitas, suffragiorum numerum et rationes.

§ 2. Si contra fecerint, non solum a munere examinatoris et consultoris amovendi erunt, sed alia etiam condigna poena ab Ordinario pro culpae gravitate, servatis servandis, mulctari poterunt; ac praeterea obligatione tenentur sarciendi damna, si quae fuerint inde secuta.

IV. De invitatione ad renunciandum.

Can. 8. Quoties itaque, pro prudenti Ordinarii iudicio, videatur parochus incidisse in unam ex causis superius in *can.* 1 recensitis, ipse Ordinarius duos examinatores a iure statutos convocabit, omnia eis patefaciet, de veritate et gravitate causae cum eis disceptabit, ut statuatur, sitne locus formali invitationi parochi ad renunciandum.

Can. 9. § 1. Formalis haec invitatio semper praemittenda est, antequam ad amotionis decretum deveniatur, nisi agatur de insania, vel quoties invitandi modus non suppetat, ut si parochus lateat.

§ 2. Decernenda autem est de examinatorum consensu.

Can. 10. § 1. Invitatio scripto facienda generatim est. Potest tamen aliquando, si tutius et expeditius videatur, verbis fieri ab ipso Ordinario, vel ab eius delegato, adsistente aliquo sacerdote, qui actuarii munere fungatur ac de ipsa invitatione documentum redigat in actis curiae servandum.

§ 2. Una cum invitatione ad renunciandum debent vel scripto vel verbis, ut supra, parocho patefieri causae seu ratio, ob quam invitatio fit, argumenta, quibus ratio ipsa innititur, servatis tamen debitis cautelis, de quibus in *can.* 11 examinatorum suffragium postulatum et impetratum.

§ 3. Si agatur de occulto delicto, et invitatio ad renunciandum scripto fiat, causa aliqua dumtaxat generalis nuncianda est; ratio autem in specie cum argumentis, quibus delicti veritas comprobatur, ab Ordinario verbis dumtaxat est explicanda, adsistente uno examinatorum, qui actuarii munere fungatur, et cum cautelis ut supra.

§ 4. Denique sive scripto sive voce invitatio fiat, admonendus parochus est, nisi intra decem dies ab accepta invitatione aut renunciationem exhibuerit aut efficacibus argumentis causas ad amotionem invocatas falsas esse demonstraverit, ad amotionis decretum esse deveniendum.

Can. 11. § 1. In communicandis argumentis, quibus comprobatur veritas causae ad renunciationem obtinendam adductae, caveatur, ne nomina patefiant recurrentium vel testium, si ii secretum petierint, aut, etiamsi secretum non petierint, si ex adiunctis praevideatur eos vexationibus facile expositum iri.

§ 2. Item relationes ac documenta, quae sine periculo magnae populi offensionis, rixarum vel querelarum palam proferri non possunt, scripto ne patefiant; immo ne verbis quidem, nisi cauto omnino, ne memorata incommoda eveniant.

Can. 12. Fas autem parocho est, invitatione cum assignato temporis limite accepta, dilationem ad deliberandum vel ad defensionem parandam postulare. Quam Ordinarius potest iusta de causa, cum examinatorum consensu, et modo id non cedat in detrimentum animarum, ad alios decem vel viginti dies concedere.

Can. 13. § 1. Si parochus invitationi sibi factae assentiri et paroecia se abdicare statuat, renunciationem

edere potest etiam sub conditione, dummodo haec ab Ordinario legitime acceptari possit et acceptetur.

§ 2. Fas autem parocho renuncianti est, loco causae ab Ordinario invocatae aliam ad renunciandum allegare sibi minus molestam vel gravem, dummodo vera et honesta sit, e. g. ut obsequatur Ordinarii desideriis.

§ 3. Renunciatione secuta et ab Ordinario acceptata, Ordinarius beneficium vel officium vacans ex renunciatione declaret.

V. De amotionis decreto.

Can. 14. § 1. Si parochus intra utile tempus nec renunciationem emittat nec dilationem postulet nec causas ad amotionem invocatas oppugnet, Ordinarius, postquam constiterit invitationem ad renunciandum, rite factam, parocho innotuisse, neque ipsum quominus respondeat legitime impeditum fuisse, procedat ad amotionis decretum, servatis regulis, quae in sequentibus canonibus statuuntur.

§ 2. Si vero non constet de superius indicatis duobus adiunctis, Ordinarius opportune provideat, aut iterans parocho invitationem ad renunciandum, aut eidem prorogans tempus utile ad respondendum.

Can. 15. § 1. Si parochus oppugnare velit causas ad amotionem decernendam invocatas, debet intra utile tempus scripto deducere iura sua, allegationibus ad hoc unum directis, ut causam, ob quam renunciatio petitur, impugnet et evertat.

§ 2. Potest etiam ad aliquod factum vel assertum, quod sua intersit, comprobandum duos vel tres testes proponere et ut examinentur postulare.

§ 3. Ordinarii tamen est cum examinatorum consensu eos vel aliquot ipsorum, si idonei sint et eorum examen necessarium videatur, admittere et excutere; vel etiam, si causa amotionis liqueat et testium examen inutile et ad moras nectendas petitum appareat, excludere.

§ 4. Quod si, allegationibus exhibitis, dubium exoriatur, quod diluere oporteat, ut tuto procedi liceat, Ordi-

narii erit cum examinatorum consilio, etiam parocho non postulante, testes, qui necessarii videantur, inducere et parochum ipsum, si opus sit, interrogare.

Can. 16. § 1. In examine testium, sive ex officio sive rogante parocho inductorum, ea dumtaxat serventur, quae necessaria sint ad veritatem in tuto ponendam, quolibet iudiciali apparatu et *reprobationibus* testium exclusis.

§ 2. Eadem regula in interrogatione parochi, si locum habeat, servetur.

Can. 17. § 1. Si parochus intersit et documenta ac nomina testium ipsi patefiant, ipsiusmet erit, si possit ac velit, contra ea quae afferuntur excipere.

§ 2. Quando vero parochus iuxta *can.* 9 invitari nequeat ad iura sua deducenda, aut quando iuxta *can.* 11 testium nomina et aliqua documenta ei manifestari nequeant, ipse Ordinarius curas et industrias omnes adhibeat (seu *diligentias*, ut vulgo dicitur, peragat), ut de documentorum valore et de testium fide iustum iudicium fieri possit.

Can. 18. § 1. Ad renunciationem et amotionem impediendam nefas parocho est turbas ciere, publicas subscriptiones in sui favorem promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare aliaque agere, quae legitimum iurisdictionis ecclesiasticae exercitium impedire possunt: secus, iuxta prudens Ordinarii iudicium, pro gravitate culpae puniatur.

§ 2. Insuper cum agatur de re ad consulendum animarum bono directa et administrativo modo resolvenda, parochus, nisi legitime impeditus sit, debet ipse per se, excluso aliorum interventu, adstare. Si autem impeditus sit, potest probum aliquem sacerdotem sibi benevisum et ab Ordinario acceptatum procuratorem suum constituere.

Can. 19. § 1. Omnibus expletis, quae ad iustam parochi tuitionem pertinent, de amotionis decreto ab Ordinario cum examinatoribus discutiendum est, et per secreta suffragia iuxta praescripta in *can.* 6 res est definienda.

§ 2. Suffragium autem pro amotione nemo dare debet, nisi sibi certo constet, causam parocho denunciatam vere adesse eamque legitimam.

Can. 20. § 1. Si conclusio sit pro amotione, decretum ab Ordinario edi debet, quo generatim statuatur ratione boni animarum parochum amoveri. Propria autem et peculiaris amotionis causa exprimi potest pro prudenti Ordinarii iudicio, si id expediat et absque incommodis liceat. Mentio tamen semper facienda erit de invitatione facta ad renunciandum, de exhibitis a parocho allegationibus ac de requisito et obtento examinatorum suffragio.

§ 2. Decretum indicendum est sacerdoti; sed promulgari non debet, nisi elapso tempore utili ad interponendum recursum.

Can. 21. Si conclusio non sit pro amotione, certior ea de re faciendus est parochus. Ordinarius autem ne omittat addere monitiones, salutaria consilia et praecepta, quae pro casuum diversitate opportuna aut necessaria videantur: de quibus maxima ratio habenda erit, si denuo de illius sacerdotis amotione res futura sit.

VI. De actorum revisione.

Can. 22. § 1. Contra decretum amotionis datur dumtaxat recursus ad eumdem Ordinarium pro revisione actorum coram novo consilio, quod Ordinario et duobus parochis consultoribus constat iuxta § 2. *can.* 3.

§ 2. Recursus interponendus est intra decem dies ab indicto decreto: nec remedium datur contra lapsum fatalium, nisi parochus probet, se vi maiori impeditum a recursu fuisse; de qua re videre debet Ordinarius cum examinatoribus, quorum consensus requiritur.

Can. 23. Interposito recursu, dantur parocho adhuc decem dies ad novas allegationes producendas, iisdem servatis regulis, quae superius in discussione coram examinatoribus statutae sunt, salva dispositione § 4. *can. seq.*

Can. 24. § 1. Consultores, convenientes cum Ordinario, de duobus tantum videre debent, utrum in actibus

praecedentibus vitia formae in ea irrepserint, quae rei substantiam attingant, et utrum adducta amotionis ratio sit fundamento destituta.

§ 2. Ad hunc finem omnia superius acta et adducta examinare debent atque perpendere.

§ 3. Possunt etiam ex officio ad illa duo memorata discussionis capita in tuto ponenda exquirere et percontari de rebus, quas necessario cognoscendas putent, auditis etiam, si opus sit, novis testibus.

§ 4. Parochus tamen ius non habet exigendi, ut novi testes inducantur et examinentur; nec ut sibi dilationes ulteriores ad deducenda sua iura concedantur.

Can. 25. § 1. Admissio vel reiectio recursus maiore suffragiorum numero est decernenda.

§ 2. Adversus huius consilii resolutionem non datur locus ulteriori expostulationi.

VII. De amoti provisione.

Can. 26. § 1. Sacerdoti, ex facta sibi invitatione renuncianti aut administrativo modo a paroecia amoto, Ordinarius pro viribus consulat, aut per translationem ad aliam paroeciam aut per assignationem alicuius ecclesiastici officii aut per pensionem aliquam, prout casus ferat et adiuncta permittant.

§ 2. In provisionis assignatione Ordinarius examinatores vel parochos consultores, si usque ad eos causa pervenerit, audire ne omittat.

Can. 27. § 1. Paroeciam Ordinarius ne assignet, nisi dignus idoneusque ad eam regendam sit sacerdos; proponere autem eidem potest paroeciam paris, inferioris aut etiam superioris ordinis, prout aequitas et prudentia videantur exigere.

§ 2. Si agatur de pensione, hanc Ordinarius ne assignet nisi servatis de iure servandis.

§ 3. In pari conditione, renuncianti magis favendum in provisione est quam amoto.

Can. 28. § 1. Negotium de provisione sacerdotis potest Ordinarius reservare post expletam causam amotionis, et generatim quam citius expediendum.

§ 2. Sed potest etiam in ipsa invitatione ad renunciandum vel separatis litteris, pendente amotionis negotio, vel in ipso amotionis decreto provisionem hanc proponere et indicare, si expediens iudicaverit.

§ 3. In quolibet casu quaestio de provisione futura sacerdotis non debet commisceri cum quaestione praesenti de amotione a paroecia; neque illa hanc impedire aut remorari, si bonum animarum exigat, ut expediatur.

Can. 29. § 1. Sacerdos, qui renunciavit aut a beneficio vel officio amotus fuit, debet quamprimum liberam relinquere paroecialem domum et omnia, quae ad paroeciam pertinent, eius oeconomo regulariter tradere. Et si moras illegitime nectat, potest ecclesiasticis sanctionibus ad id cogi.

§ 2. Quod si agatur de infirmo, Ordinarius eidem permittat usum etiam *exclusivum*, ubi sit opus, paroecialium aedium, usque dum possit pro prudenti eiusdem Ordinarii iudicio commode alio transferri. Interim vero novus paroeciae rector aliquam aliam temporariam habitationem in paroecia sibi comparari curet.

VIII. De iis, qui huic legi subiacent.

Can. 30. Superius constitutis regulis — adamussim applicandis iis omnibus, qui paroeciam, quovis titulo, ut proprii eius rectores obtinent, sive nuncupentur vicarii perpetui, sive *desservants*, sive alio quolibet nomine — locus non est, quoties paroecia committatur curae alicuius sacerdotis qua oeconomi temporalis vel vicarii ad tempus, sive ob infirmitatem parochi sive ob vacationem beneficii, aut ob aliam similem causam.

Can. 31. § 1. Si parochus in ius rapiatur ut reus criminis, pendente criminali iudicio sive coram ecclesiastica sive coram civili potestate, locus non datur administrativae illius amotioni; sed exspectandus est exitus iudicii.

§ 2. Interim tamen si agatur de crimine, quod infamiam facti inducat, Ordinarius parochum prohibere potest, quominus curam animarum exerceat ac temporalem administrationem beneficii gerat: ea vero munia cum congrua fructuum assignatione vicario aliive a se eligendo committat.

§ 3. Iudicio autem criminali finito, locus erit restitutioni parochi vel eius administrativae amotioni vel canonicae destitutioni, prout iustitia exigat et adiuncta ferant.

Can. 32. Ordinarii nomine pro omnibus, quae in hoc titulo statuuntur, non venit Vicarius Generalis, nisi speciali mandato ad hoc sit munitus.

* * *

Iis autem cito exsequendis, quae in hoc decreto statuuntur, Sanctissimus Dominus Noster mandat, ut omnes et singuli Ordinarii quamprimum parochos aliquot consultores iuxta praescripta *can. 4* constituant. Quod vero ad examinatores attinet, si hi in dioecesi, sive in Synodo sive extra Synodum electi, habeantur, statuit, ut, de cathedralis capituli vel consultorum dioecesanorum consilio, aut eos in officio confirmare (hac tamen lege, ut post quinquennium a munere cessent) aut ad novam examinatorum electionem, servata regula *can. 4*, devenire possint, prout prudentia et adiuncta suaserint. Deficientibus vero in dioecesi examinatoribus, ad eorum electionem, servatis superius statutis, sine mora deveniant.

Praesentibus valituris, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, die 20. Augusti 1910.

L. † S.

C. Card. **De Lai,** Secretarius.
Scipio Tecchi, Adsessor.«[1]

[1] Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. Romae, die 31. Augusti 1910. An. II. vol. II. Num. 16. pagg. 636—648. — Quum nonnulli Ordinarii quaedam dubia circa vim et interpretationem decreti *Maxima cura* proposuerint, Sacra Congr. Consist. die 3. Octobris 1910 necessarias dedit declarationes. (Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. Romae, die 10. Novembris 1910. An. II. vol. II. Num. 21. pag. 854 sq). — Pius X. Dekret über die

Ad normam canonum 1—4 praeallati decreti in Synodo Nostra anno 1911 congregata propositi et electi, approbati et promulgati sunt *examinatores synodales* et *parochi consultores* pro revisione decreti amotionis administrativae ab officio et beneficio curato atque cuncti iuramento devincti sunt.[1]

Hicce modus emittendi iuramentum in Synodo valet probabiliter pro examinatoribus synodalibus promovendorum ad beneficia curata. At circa modum, tempus ac tenorem iurisiurandi ab examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus praestandi, quum adhibeantur ad videndas causas amotionis parochorum iuxta decretum *Maxima cura*, Sacra Congregatio Consistorii die 15. Februarii 1912 statuit, ut in posterum examinatores synodales et parochi consultores, qui Episcopo sociantur in amotionis decreto ferendo vel in eiusdem decreti revisione, singulis vicibus in prima sessione sub poena nullitatis actorum iusiurandum, prout in formula ad hoc praescripta, praestare teneantur.

Formula adhibenda. Ego N. N. examinator (vel parochus consultor) synodalis (vel prosynodalis) spondeo, voveo ac iuro, munus et officium mihi demandatum me fideliter, quaque humana affectione postposita, et sincere, quantum in me est, exsecuturum; secretum officii circa omnia, quae ratione mei muneris noverim, et maxime circa documenta secreta, disceptationes in consilio habitas, suffragiorum numerum et rationes religiose servaturum: nec quidquam prorsus occasione huius officii etiam sub specie doni oblatum nec ante nec post recepturum. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia, quae meis manibus tango.[2]

Praeallata Sacrae Congregationis Consistorialis decisio in Curia episcopali Lavantina adamussim obser-

Entfernung der Pfarrer von Amt und Pfründen auf dem Verwaltungswege. Maxima cura semper. 20. August 1910. Autorisierte Ausgabe. Lat. und deutscher Text. Herder in Freiburg.

[1] Operationes et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1911 congregatae. Marburgi, 1912. Pagg. 128—131; 158—163. — [2] Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. Romae, die 29. Februarii 1912. An. IV. vol. IV. Num. 4. pag. 141 et 142.

vabitur, donec fors vim obtinuerit canon: In Synodo nominentur examinatores Cleri et parochi consultores, propositi ab Episcopo, approbati a Synodo, qui in ipsa Synodo vel postea in manibus Episcopi iusiurandum edant de munere fideliter exercendo, quavis humana affectione postposita.

Praenotato ergo modo procedetur in casibus amotionis administrativae curionum animarum, cogente iustitia et necessitudine. Quod ut fiat perraro, det Deus! Verumtamen indignum est, uti habet Pii PP. X. epistola, ad Archiepiscopum Caracensem Ioannem Bapt. Castro de instauranda Cleri disciplina missa die 8. Decembris 1910, rudem esse aut non satis a doctrina instructum sacerdotem, qui erudire alios ad salutem debeat; longe vere indignius, qui apud populum magisterium exerceat christianarum virtutum, ipsum haerere in caeno vitiorum . . . Omnino praestat, nullum alicubi adesse sacerdotem, qui curam animarum gerat, quam adesse eiusmodi, qui vitae perversitate offendens pestem ac perniciem christianae plebi pro salute paret.[1]

Potestas *Dei minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.* (Rom. 13, 4).

Caput CLXXXX.

De clericis suspectis deque iudicio in notorio.

Crimen concubinatus clericorum inter gravissima delicta iuris poenalis ecclesiastici refertur. Quod crimen, ut effectus perniciosi in populo fideli evitentur, quam primum removeri et puniri debet. Propterea Ecclesia quoad clericos concubinarios processum ordinarium non semper requirit, sed etiam *iudicium in notorio* admittit.

1. Quia per processum aut factum aliquod aut circumstantiae facti erui debent, ita ut de ipsis omnino

[1] Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. Romae, die 15. Ianuarii 1912. An. IV. vol. IV. Num. 1. pag. 25 et 26.

constet, hinc inquisitio processualis necessaria non est, si de criminibus, quae *notoria* sunt, agitur. Quae enim facta notoria sunt, ut nota supponuntur.

In rebus poenalibus *notorietas iuris* et *notorietas facti* considerari debent. Ad priorem refertur *confessio* accusati *coram iudice*, facta sive ante inquisitionem sive in ipsa inquisitione. Si accusatus coram iudice vel etiam extraiudicialiter scripto vel coram testibus scienter, libere et sponte factum, de quo agitur, confitetur, ulterior processus in re non exigitur.

Idem obtinet, si *notorietas* data est, id est, si actus poenalis coram tot testibus idoneis et habilibus vel coram officialibus potestatis publicae loco publico et in aprico factus est, ut nulla tergiversatione celari queat. De notorietate utique constare debet.

In utroque casu iudex statim ad sententiam ferendam procedere potest, nam »quae manifesta sunt, iudiciarium ordinem non requirunt.«[1] In sententia notorietas exprimenda est.

Relate ad poenam dimetiendam respectus habeatur ad circumstantias externas, quae culpam, respective poenam, in casu dato aggravant vel imminuunt, et quas iudex in sententia condemnatoria exprimat. Quem in finem ante condemnationem casus incidentes proponi possunt v. gr. investigatio delinquentis ratione imputabilitatis per rei peritos. Etiam ipse convictus, si postulat, audiatur.

In re autem omnis inquisitio exclusa est, si de notorietate constat, et iudex poenam a iure pro delicto, de quo agitur, praescriptam statim infligere potest. Sententia lata illico in rem iudicatam transit, et condemnatus contra ipsam nonnisi querelam nullitatis interponere valet v. gr. per probationem deficientis imputabilitatis tempore facti commissi, vel quod alius defectus essentialis e. gr. applicatio falsae, iuri canonico contrariae, dispositionis poenalis sententiam invalidam reddit.

In unico hoc casu condemnato recursum contra sententiam interponere licet, videlicet si poenam iusto

[1] c. 14. C. 2. q. 1. — Cfr. c. 21. X. II. 24.

graviorem existimet, vel si ipsa quoad gravitatem cum dispositionibus iuris canonici non concordet.

Iudicium autem ecclesiasticum, quamvis hic procedendi modus abrogatus non sit, eo nonnisi magna cum circumspectione utatur. Magis namque in hoc quoque casu commendatur processus ordinarius, qui his in adiunctis relate ad probationem summarie absolvitur.

Si vero modus procedendi ex notorio adoptatur, de notorietate facti omnino constare debet, respective notorietas facti iudicialiter probanda est, culpa delinquentis religiose ponderanda et poena iusta canonicis legibus convenienter determinanda. Delinquentem quoque ordinarie audiri et ad defensionem admitti oportebit.[1]

2. Contra clericos concubinarios contumaces poenae, praesertim censurae, usque ad excommunicationem statutae erant.[2] Concilium vero Tridentinum quoad huiusmodi delinquentes sequentia praescripsit:[3]

a) Simplices beneficiati, qui concubinas aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant, statim moneantur, ut ab iis se abstineant, respective eas dimittant.

De cohabitatione et conversatione habituali sacerdotis cum femina, in domo vel extra, *constare* debet, sicut etiam de eo, ipsam ex illis esse, de quibus possit haberi suspicio, ita ut ex conversatione et cohabitatione *fundata suspicio* vel iure merito *scandalum* in populo exsistat vel oriri possit. Haec a testibus fide dignis, praesertim a sacerdotibus eiusdem loci vel vicinitatis, probari debent.

Si de his certo constat, sacerdos moneatur, ut conversationem cum persona suspecta statim abrumpat ab eaque abstineat, respective illam e domo subito intra statutum terminum brevem dimittat. Monitio in decreto monitorio Episcopi ut *prima* declaretur.

[1] Archiv für kath. Kirchenrecht. Mainz, 1910. Fasc. IV. pag. 700 sq. — [2] Totus titulus 2. X. III. — [3] Sess. XXV. cap. 14. de reformatione. — Sess. XXI. cap. 6. de reform.

Quod si post hanc monitionem beneficiatus a tali persona non abstinuerit, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum ipso facto est privatus.

Si sacerdos intra terminum determinatum monitioni non obsecundat, et si de hac inobedientia constat, sive ipse hoc confitetur sive alii id probant e. gr. decanus vel alii sacerdotes, absque mora *altera* monitio eiusdem tenoris ut prima sequatur cum adnotatione, ut si huic monitioni non paruerit, non tantum fructus *omnes* et proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso amittat, verum etiam a beneficiorum ipsorum administratione suspendatur.

Cui monitioni si beneficiatus non obediverit, et si de hac inobedientia post terminum praeterlapsum constet, *tertia* monitio emittenda est cum comminatione, ut si huic non paruerit, beneficiis, portionibus, officiis et pensionibus quibuscumque ecclesiasticis privetur. Si haec quoque monitio effectum non habuit, Episcopus constito de inobedientia sine processu canonico eum privare potest beneficiis, portionibus, officiis et pensionibus quibuscumque ecclesiasticis et eum inhabilem et indignum quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis atque officiis reddere.

Delinquens contra sententiam Episcopi appellationem interponere nequit, immo inobedientia perseverante Episcopus ipsum excommunicare valet.

b) Sacerdotes, qui beneficium non habent, post monitionem triplicem sine effectu detrudantur vel in domum demeritorum vel in monasterium, suspendantur ab ordinibus, dimittantur e servitio ecclesiae et inhabiles et indigni quibuscumque officiis ecclesiasticis declarentur.

Monitiones, sicut in primo casu, *personales sunt et peremptoriae.*

Si habitatio sacerdotis ignoratur, monitio etiam *edictalis* vel publica e. gr. in folio officiali dioecesano fieri potest. Quodsi delinquens intra terminum statutum non apparet, incurritur poena post *sententiam declaratoriam.*

Fructus amissi fabricae ecclesiae aut cuidam pio loco ex arbitrio Episcopi applicentur.

Poenae privationis beneficii et inhabilitatis *ferendae sententiae* sunt et nonnisi post terminum peremptorium per *sententiam condemnatoriam* imponi possunt.

Si post intermissum consortium in idem crimen sacerdotes relapsi fuerint, gladio excommunicationis plecti possunt; sed haec quoque censura ferendae sententiae est et per sententiam tantum iudicialem infligi debet.

c) Severiora, ut res ipsa postulat, statuit Concilium Tridentinum *quoad parochos.*

Parochi enim, postquam praemoniti sunt, ab Episcopo coërceantur et castigentur poenis *arbitrariis*, veluti suspensione vel privatione partis fructuum, ut resipiscant.

Si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverant, eos *beneficiis iuxta sacrorum canonum constitutiones*, exemptione et appellatione quacumque remota, Episcopi privandi facultatem habent.

Hinc privatio decerni potest post factas monitiones *sine iudiciali probatione*, sed *causa summarie cognita*, ut constet de crimine.

Hic procedendi modus idem est, quem Concilium Tridentinum Episcopis concedit, videlicet ut procedant *sine strepitu et figura iudicii et sola facti veritate inspecta.*[1]

Exsecutio sententiae, non obstante appellatione interposita, statim fieri potest. Talis recursus nonnisi vim devolutivam, *non suspensivam* habet, idest, sententia interim, non habito respectu ad appellationem, exsecutioni datur.

Animadvertendum tamen est, Episcopum sententiam exsecutioni *necessario* dare non debere; sed licet ipsi ob appellationem factam exsecutionem differre, praesertim si directe ad Sedem Apostolicam recurritur, quibus in casibus usus est, ut sententia iudicis inferioris in suspenso maneat.

[1] Sess. XXV. cap. 14. de reform.

Crimen concubinatus, etiamsi nostris temporibus rarius occurrat quam tempore Concilii Tridentini, valde deplorabile est eiusdemque suspicio in sacerdote plebi, praecipue laicis cultis, magnum scandalum parat et ansam praebet calumniis in statum sacerdotalem et in Ecclesiam. Propterea poena suspensionis vel celeris remotionis ab officio hoc in casu *semper* locum habet.

Interventione enim ex parte Curiae episcopalis, tempore opportuno facta, saepe casus tristes sacerdotum praecaveri possunt, *si proxima occasio* e domo sacerdotis sine mora removetur.

Multae animae salvantur et haud pauca scandala evitantur, si hac in re gravissima statim et serio modo proceditur.

Monemus ergo omnes, quibus quidquam curae vel officii incumbit,[1] praesertim decanos, oculos Episcopi, et parochos, eiusdem adiutores et cooperatores, *ne nimis mites* sint in hoc capite disciplinae ecclesiasticae, sed tristes huiusmodi casus, emendatione frustra tentata, absque mora ad Curiam episcopalem deferant, ut medela ipsis afferatur.[2]

Feci iudicium et iustitiam: non tradas me calumniantibus me. (Ps. 18, 121).

Caput CLXXXXI.

De praescriptione delictorum in causis criminalibus (cum additamento de appellationibus et inhibitionibus concedendis vel denegandis).

Capiti proxime praecedenti claram Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium *instructionem* de praescriptione delictorum in causis criminalibus clericorum de die 22. Martii 1898 adiungimus. Eiusdem textus tenorem habet subsequentem.

[1] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pag. 892. § 65. — [2] Archiv für Katholisches Kirchenrecht. Mainz, 1910. Fasc. IV. pagg. 697—699.

Illustrissime et Revme Domine uti Frater!

Litterae Amplitudinis Tuae, die 16. Iunii 1894 datae ad obtinendam authenticam solutionem nonnullorum dubiorum circa praescriptionem delictorum carnis in causis criminalibus clericorum, remissae fuerunt ad hanc Sacram Congregationem Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam, ad hoc, ut ea, qua ipsa pollet, competentia in re criminali clericorum, quid in proposita quaestione sentiendum, decerneret. Omnibus sedulo perpensis, Emi Patres in comitiis habitis die 4. Martii 1898 haec retinenda censuerunt: Tralatitii scilicet iuris esse, in causis criminalibus ecclesiasticis locum habere praescriptionem, et quidem nedum quando iudex procedit ad instantiam privati accusatoris, sed et quando ad vindictam publicam seu ex officio inquirit; huius vero praescriptionis eum proprium effectum esse, *ut solam perimat actionem poenalem*, siquidem per accusatum seu inquisitum aut per eius procuratorem expresse de praescriptione in iudicio oppositum fuerit.

Exinde facile est deprehendere, integrum tum accusandi tum inquirendi ius manere, usquedum expresse non opponatur praescriptio, et omnino tenere iudicium, si eadem opposita minime fuerit.

Quod si in iudicium praescriptio deducta fuerit et legitima recognoscatur, tunc perimit quidem actionem criminalem, at non civilem, quae forte ex eodem delicto promanat; et hinc, non obstante praescriptione, reum manere obnoxium omnibus effectibus canonicis non criminalibus ex patrato delicto provenientibus, manifesti iuris est. Immo licet praescriptione actio poenalis exstinguatur, non tamen tollitur exceptio, quae perpetuo manet, iuxta iuris effatum: »Temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum«; ideoque delictum illud, etsi praescriptum, potest reo semper opponi per modum exceptionis, eique obest, *si ad ecclesiasticas provisiones concurrere vellet.*

Quod autem spectat ad tempus necessarium ad dictam praescriptionem inducendam, regula generalis est, actionem iniuriarum spatio unius anni, crimen peculatus et delicta carnis spatio quinque annorum, caetera vero crimina spatio viginti annorum a die commissi delicti continuorum praescribi. Verumtamen si agatur de delictis, quae successiva sunt et permanentia, in his nulla praescriptio locum habet nisi a die cessantis delicti; quemadmodum si delictum fuerit *totaliter* occultum, praescriptionem non a die commissi criminis, sed a die scientiae accusatoris vel inquisitoris currere placet.

Illud demum haud praetereundum est, quod criminibus raptus, stupri per vim illati et adulterii cum incestu coniuncti nonnisi lapsu viginti annorum praescribatur; criminibus vero suppositi partus, parricidii, assassinii, laesae maiestatis, duelli, falsae monetae, apostatatus, haeresis, simoniae, concussionis, abortus et sodomiae, nullo umquam tempore praescribatur, sed perpetuo horum criminum rei, dum vivunt, accusari et inquiri possunt.

Quibus omnibus SSmo Domino Nostro relatis in audientia, habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 21. Martii an. 1898, Sanctitas Sua sententiam Eminentissimorum Patrum adprobare dignata est.

Haec significanda habui Amplitudini Tuae, cui fausta et prospera omnia a Deo adprecor.

Romae, die 22. Martii 1898.

L. † S.

Seraph. Card. **Vannutelli,** Praef.
A. Trombetta, Secret.[1]

[1] Commentator quidam theodiscus ad superius allatam instructionem haec adnotat: Das vorstehende Dekret der Congr. Epp. et Reg. regelt *die Verjährung* in Kriminalsachen der Geistlichen. Es betrifft nur *die Strafverfolgung* (nicht auch die Strafvollstreckung) und stellt als leitendes Prinzip hin, dass die Verjährung in kirchlichen Kriminalsachen überkommenen Rechtes sei. Ausdrücklich wird erklärt, dass die Verjährung nur auf die *actio poenalis* also den Strafprozess und eventuelle Bestrafung Anwendung finde, dagegen von anderen Nachteilen, insbesondere Zurücksetzung bei Pfründenbewerbung nicht schütze. Die Verjährung beginnt mit dem Tage der Begehung, bei einem Verbrechen mit fortgesetzten Handlungen mit dem Tage der letzten Deliktshandlung, bei einem ganz geheimen Vergehen erst mit dem Tage, wo es zur Kenntnis des Anklägers oder Inquisitors gelangt ist. Die Verjährung schliesst die Strafverfol-

Praeallato decreto subiungimus celebrem, ad quam in iudiciis ecclesiasticis toties provocari solet, Benedicti XIV. constitutionem *Ad militantis Ecclesiae* de appellationibus et inhibitionibus concedendis vel denegandis, datam III. Kal. Apr. 1742.

Sub numero 37 notissimae instructionis pro ecclesiasticis Curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum de die 11. Iunii 1880 legitur: »Pro apellatione servantur normae, statutae a constitutione *Ad militantis* s. m. Bened. XIV. 30. Martii 1742 aliaeque emanatae ab hac S. Congregatione decreto 18. Dec. 1835 et littera circulari die 1. Aug. 1851.«[1]

Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Ad militantis Ecclesiae regimen nullo meritorum Nostrorum suffragio, sed imperscrutabilis consilii altitudine evocati, inter graves curas, quas assidue pro Nostro munere sustinemus, postrema illa non est, in quam totis viribus Nobis incumbendum esse ducimus, ut graves nimium, diuturnae nulloque umquam tempore intermissae Episcoporum aliorumque ordinariam iurisdictionem habentium querelae, adversus maiora Tribunalia atque illa etiam Nostrae Romanae Curiae propositae, tandem compescantur.

§ 1. Intimo siquidem animi Nostri moerore, cum in minoribus adhuc essemus, iamdiu intelleximus, plerosque locorum Ordinarios conqueri, sensim abusum irrepsisse, quod ad malitiosam petentium suggestionem a Patriarchis, Metropolitanis, Sanctae Sedis a latere Legatis et diversis dictae Romanae Curiae iudicibus inhibitiones sine delectu causae et rei, de qua agitur, examine passim conce-

gung nicht schlechthin aus, sondern gibt nur *die Einrede* der Verjährung, die ausdrücklich zu machen ist. Da offenbar *der Angeschuldigte* den Eintritt der Verjährung und mithin auch zu beweisen hat, dass der Inquisitor oder Ankläger das Vergehen zum bestimmten Zeitpunkte gekannt hat, scheint sich dieses ganze Institut nur *auf solche Vergehen* zu beziehen, bei denen eine accusatio eingereicht oder die Sache sonstwie dem bischöflichen Offizial bekannt geworden, dieser aber aus irgend einem Grunde entweder von der Strafverfolgung abgesehen oder ein eröffneter Prozess zu keinem Resultat geführt hat. Die Verjährungsfristen sind im Dekrete 1, 5 und 20 Jahre. Für eine gewisse Klasse von Verbrechen wird die Verjährung überhaupt ganz ausgeschlossen. (Archiv für katholisches Kirchenrecht. Mainz, 1898. Tom. 78. pagg. 516—518). — Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno 1896 celebrati. Salisburgi, 1910. Pagg. 341—343.

[1] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 institutae. Marburgi, 1901. Pag. 544.

dantur. Et quamvis in more positum sit, dictas inhibitiones indebite expeditas pro causae meritis revocari et aboleri; remedium tamen inflicto vulneri non satis esse dicunt, cum interea oporteat Episcopos aliosque inferiores iudices, in ipso causarum et iudiciorum cursu, otiosos immorari, ius suum iudicialiter asserere et vindicare et ad continendos in officio populos gravia saepe incommoda et dispendia subire.

§ 2. E contrario Nobis quoque, dum etiam in minoribus essemus, superiorum iudicum responsiones audire contigit, asserentium, memoratas querelas inanes esse, nec ulli innixas fundamento, utpote ex hac unica re causam et originem habentes, quod inferioribus grave est obedientiae ac subiectionis iugum erga maiora Tribunalia, ipsisque nimis displicet, sibi subditis appellationis beneficio succurri.

§ 3. Porro cum facile haec dissidia componi et succrescentia litium semina avelli possint; si, quae a sacra Tridentina Synodo, ab apostolicis constitutionibus et Congregationum decretis provide sancita sunt, debitae executioni mandentur: Nos idcirco ad conservandam Ecclesiae disciplinam restituendamque Tribunalibus formam eisdem canonicis legibus consentaneam, pro credito Nobis Apostolicae servitutis Officio, opportune duximus consulendum.

§ 4. Inhaerentes itaque decretis eiusdem sacri Concilii necnon Congregationis Episcoporum et Regularium, iussu et approbatione rec. mem. Clementis PP. VIII. Praedecessoris Nostri alias editis die XVI. Octobris MDC; itemque aliis Congregationis particularis, iussu pariter et approbatione fel. rec. Urbani PP. VIII. similiter Praedecessoris Nostri promulgatis die V. Septembris MDCXXVI eorumque declarationibus nuper superadditis a piae mem. Benedicto XIII. etiam Praedecessore Nostro in appendice Concilii Romani; aliisque Apostolicis constitutionibus, hac de re alias editis et innovatis, et praesertim constitutioni piae mem. Gregorii XV., quae incipit *Inscrutabili* sub Datum Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae MDCXXII. nonis Februarii.

§ 5. Districte praecipimus et mandamus, ne deinceps ab executione decretorum dicti sac. Concilii Tridentini in omnibus illis causis et negotiis, in quibus executio huiusmodi Episcopis et locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicae Delegatis, ab eodem sacro Concilio vel dictis Apostolicis constitutionibus, appellatione vel inhibitione quacumque postposita, commissa est, appellatio aliqua in Tribunalibus praedictis recipiatur, vel inhibitiones, citationes generales vel speciales, cum Commissione inserta, monitoria et alia huiusmodi, per quae dictorum decretorum executio retardetur aut processus ad ulteriora in eadem executione suspendatur aut impediatur, quoquo modo concedantur.

§ 6. Itaque a quibuscumque mandatis, prohibitionibus, provisionibus et statutis tam in visitatione quam extra, pro divino cultu conservando et augendo et praesertim circa ea, quae observanda et evitanda sunt in celebratione Missae aut alio quovis modo respiciunt executionem decreti sac. Concilii sess. 21. de reform. cap. 8. et sess. 22. in decret. de observ. et evit. in celebrat. Miss.

§ 7. Item a decretis cogentibus clericos tam saeculares quam regulares, etiam monachos et exemptos, ad publicas processiones, servata tamen forma constitutionis san. mem. Pii V., quae incipit *Et si Mendicantium,* prout etiam a decretis et provisionibus super praecedentia inter personas ecclesiasticas tam saeculares quam regulares in eisdem processionibus, vel associatione defunctorum, delatione umbellae et huiusmodi: Necnon super observatione censurarum, etiam episcopalium, et festorum dioecesis, iuxta dispositionem eiusdem sacri Concilii sess. 25. de regular. cap. 12. et cap. 13.

§ 8. Item in omnibus iis, quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem quoquo modo pertinent, et praesertim adversus monitiones, censuras aut alias provisiones, per quas parochi aut alii curam animarum exercentes, diebus saltem Dominicis et festis sollemnibus plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere compelluntur, docendo ea, quae ad salutem necessaria sunt, iuxta decretum sacri Concilii sess. 5. de reform. cap. 2.

§ 9. Item adversus deputationem Vicariorum etiam perpetuorum cum assignatione congruae, per quos cura animarum exerceatur, quoties plura beneficia curata ex dispensatione Apostolica ab aliquo obtineantur; vel quoties eadem beneficia curata cathedralibus, collegiatis seu aliis ecclesiis vel monasteriis, beneficiis seu Collegiis aut piis locis quibuscumque perpetuo unita et annexa reperiuntur, iuxta praescriptum dicti sacri Concilii sess. 7. de reform. cap. 5. et cap. 7 et iuxta Constitutionem san. mem. Pii V., quae incipit *Ad exequendum.*

§ 10. Item adversus visitationem beneficiorum curatorum, ut supra, perpetuo unitorum nec non quarumcumque ecclesiarum quomodolibet exemptarum, prout etiam adversus decreta et provisiones ab Ordinario capiendas, ut quae in eis reparatione indigent, reparentur, et cura animarum, si qua illis imminet, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur, iuxta dispositionem sacri Concilii eadem sess. 7. de reform. cap. 8. et sess. 21. cap. 7.

§ 11. Item a decretis seu mandatis, per quae Episcopi, etiam uti Apostolicae Sedis Delegati, in ecclesiis parochialibus aut baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, cogant rectores vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacra-

menta exhibenda et cultum divinum celebrandum: Aut etiam invitis rectoribus procedant ad constitutionem novarum parochiarum, cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina Officia audienda accedere non possunt, vel denique propter paupertatem et in caeteris casibus a iure permissis deveniant ad uniones perpetuas aliorum beneficiorum simplicium, non tamen regularium, iuxta dispositionem sacri Concilii sess. 21. de reform. cap. 4. et cap. 5. et sess. 24. similiter de reform. cap. 13.

§ 12. Item a deputatione Coadiutorum aut Vicariorum pro tempore vel aliis provisionibus ab Episcopo capiendis, etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegato, quando illiterati et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis, cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illorum victu: Nec non a suspensione atque etiam a privatione illorum, qui turpiter et scandalose vivunt et, postquam praemoniti sunt, in sua nequitia incorrigibiles perseverant, iuxta praescriptum eiusdem Concilii d. sess. 21. de reform. cap. 6.

§ 13. Item a translatione beneficiorum simplicium, etiam iurispatronatus, ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sint et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias ecclesias cum omnibus emolumentis et oneribus; prout etiam a decretis cogentibus patronos, rectores, beneficiatos aut parochianos sive populum ad refectionem et instaurationem ecclesiarum parochialium servata forma sacri Concilii d. sess. 21. cap. 7.

§ 14. Item a censuris, sequestratione et subtractione fructuum aut aliis quibuscumque provisionibus pro cogendis ad residentiam parochis caeterisque omnibus, quibus cura animarum incumbit, iuxta decretum eiusdem sacri Concilii sess. 23. de reform. cap. 1.

§ 15. Item a denegatione, revocatione, suspensione vel restrictione et limitatione facultatis audiendi confessiones, respectu eorum, qui parochiale beneficium non obtinent, etiam si fuerint regulares, pro excipiendis confessionibus saecularium, iuxta ordinationem sacri Concilii sess. 23. cap. 15. et Praedecessorum Nostrorum constitutiones ac praecipue illam fel. rec. Clementis X., quae incipit *Superna.*

§ 16. Item in illis civitatibus aut locis, ubi vel parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, vel etiam nullae sunt parochiales, a divisione seu distinctione parochiarum earumque ordinatione sive institutione in titulum perpetuum iuxta decretum sacri Concilii sess. 24. de reform. cap. 13.

§ 17. Item a deputatione Vicarii vel Oeconomi, cum assignatione congruae, pro tempore, quo vacat ecclesia parochialis: Prout etiam ab indictione concursus, relatione examinatorum, necnon praeelectione et provisione Episcopi in eodem concursu iuxta definitionem sacri Concilii eadem sess. 24. de reform. cap. 18.

§ 18. Item a mandatis seu decretis inhibentibus praedicationem vel publicas lectiones aut coërcentibus vel punientibus quoscumque, etiam exemptos tam saeculares quam regulares, qui in alienis ecclesiis, quae suorum ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in ecclesiis suis aut suorum ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint; iuxta decretum sacri Concilii sess. 5. de reform. cap. 2. et sess. 24. similiter de reform. cap. 4., et constitutionem piae mem. Gregorii XV., quae incipit *Inscrutabili* § fin. una cum declarationibus contentis in constit. Clementis PP. X., quae incipit *Superna.*

§ 19. Et generaliter in omnibus iis, quae pertinent ad curam animarum et rectam sacramentorum administrationem, adversus visitationem, correctionem, coërcitionem et quascumque aliàs provisiones Episcopi dioecesani, etiam quoad exemptos, sive saeculares sive Regulares, iuxta laudatam constitutionem Gregorii XV., quae incipit *Inscrutabili.*

§ 20. Item adversus quascumque provisiones et decreta pro conservanda aut restituenda clausura sanctimonialium aut pro correctione seu punitione eorum, qui circa personas intra monasteria degentes aut circa clausuram vel circa bonorum administrationem deliquerint. Prout etiam ab examine pro approbatione vel reprobatione confessariorum sive regularium sive saecularium, quomodocumque exemptorum, et tam ordinariorum quam extraordinariorum, pro excipiendis confessionibus monialium etiam Regularibus subiectarum. Itidemque a decretis vel aliis quibuscumque provisionibus cogentibus Administratores, sive saeculares sive regulares quomodolibet exemptos, ad reddendam singulis annis rationem bonorum ad monasteria sanctimonialium huiusmodi pertinentium: Ac demum a quibuscumque decretis super amotione capellanorum, sacristarum et aliorum quorumcumque officialium et ministrorum, tam saecularium quam regularium, ipsis monialibus vel eorum ecclesiis inservientium, iuxta dispositionem sacri Concilii sess. 25. de regular. et monial. cap 5. cap. 9. et cap. 10., servata tamen, quoad regulares et exemptos, forma praedictae constitutionis rec. mem. Gregorii XV., quae incipit *Inscrutabili.*

§ 21. Item adversus pastoralem visitationem dioecesis, et praesertim monasteriorum, commendatorum, abbatiarum, prioratuum et praeposituraruum, in quibus non viget regularis observantia nec non Beneficiorum, tam curatorum quam non curatorum, saecularium et regularium qualitercumque commendatorum, etiam exemptorum:

Prout etiam ab executione eorum, quae in ipsa visitatione mandata, decreta aut iudicata fuerint. Nec non similiter a quibuscumque decretis, provisionibus, etiam extra visitationem, pro conservatione vel reparatione ecclesiasticae disciplinae, quoad vitam, mores et honestatem quorumcumque clericorum, luxum, commessationes, choreas, lusus, crimina et saecularia negotia fugienda atque evitanda; iuxta plura decreta dicti sacri Concilii et praesertim sess. 6. de reform. cap. 4. sess. 13. cap. 1. sess. 14. cap. 4. sess. 21. cap. 8. sess. 22. cap. 1. et cap. 8. et sess. 24. cap. 10., ad formam tamen decretorum sac. Congr. Episcoporum de mandato san. mem. Clementis VIII. editorum Ann. MDC.

§ 22. Item a decretis cogentibus praesentatos, electos vel nominatos a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nunciis, ad quaevis ecclesiastica beneficia, ad se subiiciendum examini Ordinarii, antequam instituantur, confirmentur vel admittantur, quemadmodum cavetur sess. 7. de reform. cap. 13.

§ 23. Item a denegatione sacrorum ordinum vel adscensus ad alios maiores; prout etiam adversus suspensionem ab ordinibus iam susceptis, ob crimen occultum, sive ex informata conscientia, iuxta dispositionem sacri Concilii sess. 14. de reform. cap. 1. et cap. 3. et sess. 21. cap. 1. et sess. 23. cap. 16.

§ 24. Item a praefixione termini, intra quem regularis Episcopo non subditus, qui intra claustra monasterii degat et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, a suo superiore puniri debeat, ac de punitione ipse Episcopus certior fieri, iuxta decretum sacri Concilii sess. 25. de regular. cap. 14. et Const. fel. recor. Clementis PP. VIII., quae incipit *Suscepti muneris*, necnon adversus punitionem et correctionem eorumdem regularium, qui circa personas intra septa degentes aut circa clausuram ipsam deliquerint; iuxta praedictam constitutionem Gregorii XV., quae incipit *Inscrutabili*.

§ 25. Item a censuris aut aliis provisionibus contra concubinarios et praesertim clericos etiam retinentes domi aut extra mulieres suspectas, iuxta praescriptum sacri Concilii sess. 24. de reform. matrim. cap. 8. et sess. 26. de reform. cap. 14.

§ 26. Item adversus privationem privilegii fori et alias provisiones contra clericos non incedentes in habitu et tonsura, et in aliis casibus a sacro Concilio praescriptis sess. 14. de reform. cap. 6. et sess. 23. similiter cap. 6.

§ 27. Prout etiam ab examine, approbatione vel reprobatione patrimonii sacri, pensionis ecclesiasticae aut beneficii, quoad clericos promovendos ad sacros ordines; iuxta dispositionem eiusdem Concilii sess. 21. de reform. cap. 2.

§ 28. Item adversus convocationem capituli, quam faciat Episcopus ad aliquid deliberandum et iuxta vota ipsorum capitu-

larium concludendum, quoties de re ad suum vel suorum commodum spectante non agatur, iuxta decretum sacri Concilii sess. 25. de reform. cap. 6.

§ 29. Item a mandatis seu decretis super conversione tertiae partis fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum, tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum, in distributiones quotidianas earumque divisiones inter dignitates obtinentes et caeteros divinis interessentes, in ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones huiusmodi quotidianae vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur; iuxta constitutionem eiusdem Concilii sess. 21. de reform. cap. 3. et sess. 22. similiter de reform. cap. 3.

§ 30. Item adversus exercitium facultatum Episcopis competentium super executione omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, in casibus a iure concessis, iuxta dispositionem sacri Concilii sess. 22. de reform. cap. 8.

§ 31. Item a visitatione hospitalium, collegiorum quorumcumque et confraternitatum laicorum, eleemosynarum, montium pietatis sive caritatis et omnium piorum locorum, quomodocumque nuncupatorum, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat, aut exemptionis privilegio sint munita: Ac denique a cognitione et executione eorum omnium, quae ad Dei cultum aut animarum salutem seu pauperes sustentandos instituta sunt iuxta dictum decretum sacri Concilii sess. 22. de reform. cap. 8.

§ 32. Item a decretis seu mandatis cogentibus administratores, tam ecclesiasticos quam laicos, etiam exemptos, fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynae, montis pietatis et quorumcumque piorum locorum, ad reddendam singulis annis ipsi Ordinario rationem suae administrationis, nisi aliud in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum fuerit; iuxta decreta sacri Concilii sess. 7. de reform. cap. 15. sess. 22. cap. 9. et sess. 25. cap. 8.

§ 33. Item a decretis compellentibus notarios, etiam Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creatos, et scribentes in causis ecclesiasticis vel Spiritualibus, ad se subiiciendum examini, eorumque remotione vel suspensione in casu delicti vel imperitiae; iuxta praescriptum sacri Concilii dicta sess. 22. cap. 10.

§ 34. Item ab erectione Seminarii et taxatione quarumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, praebendarum, portionum, abbatiarum et prioratuum cuiuscumque Ordinis, etiam regularis, hospitalium, quae dantur in titulum vel administrationem, et beneficiorum quorumcumque, etiam regularium, etiam iurispatronatus, etiam exemptorum, etiam nullius dioecesis, vel aliis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et aliis quibusvis locis piis, etiam exemptis, annexorum ac quorumcumque aliorum ecclesiasticorum redituum

seu proventuum ad fabricas ecclesiarum, confraternitates et monasteria omnia, non tamen mendicantium, pertinentium, necnon decimarum quacumque ratione ad laicos atque etiam milites cuiuscumque militiae aut Ordinis, Hierosolymitano excepto, spectantium, pro eiusdem seminarii manutentione: prout etiam ab unione et applicatione aliquot beneficiorum simplicium; nec non a decretis cogentibus eos, qui scholasterias obtinent vel quibus lectionis vel doctrinae munus est annexum, ad docendum per se ipsos vel idoneos substitutos; et generaliter a mandatis et provisionibus, quae quoquo modo respiciunt curam, directionem et administrationem seminarii plenamque executionem decreti editi a sacro Concilio super collegio puerorum in singulis cathedralibus instituendo, sess. 12. de reform. cap. 18.

§ 35. Item a mandatis seu decretis cogentibus oeconomos, vicarios capitulares ad reddendam rationem administrationis per eos gestae Sede episcopali vacante, iuxta praescriptum sacri Concilii sess. 24. de reform. cap. 16.

§ 36. Item a comminatione excommunicationis a iure latae et a sententia excommunicationis latae ab homine, suspensionis et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis: Et e converso a sententia absolutionis ab eisdem censuris ecclesiasticis.

§ 37. Et generaliter ab executione aliorum quorumcumque decretorum dicti sacri Concilii Tridentini, Episcopis atque Ordinariis locorum demandata ab ipso Concilio et in constitutione fel. rec. Pii Papae IV., quae incipit *Benedictus Deus.*

§ 38. Volumus, praecipimus et mandamus, quod ab Archiepiscopis, Patriarchis seu Primatibus aliisque Iudicibus ecclesiasticis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nunciis vel de latere Legatis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, atque etiam Camerae Nostrae generali Auditore, Signaturae Iustitiae Praefecto caeterisque Iudicibus Romanae Curiae eorumque Vicariis et officialibus citationes generales vel speciales cum commissione inserta, monitoria et alia huiusmodi cum inhibitione, per quam executio decretorum, mandatorum et provisionum huiusmodi retardetur, suspendatur aut impediatur, minime concedantur, et quatenus nunc aut imposterum concessa fuerint, nullatenus inhibeant atque ab Episcopis aliisque locorum Ordinariis impune sperni possint; quacumque consuetudine etiam immemorabili vel quovis privilegio aut stylo concedendi inhibitiones in causis praedictis, tametsi temporarias, penitus exclusis. Nos enim citationes et monitoria, aliter quam ut praefertur, concessa vel imposterum concedenda, nulla atque irrita declaramus et pro nullis atque irritis haberi volumus et mandamus: Decernentes, quod adversus decreta, mandata et provisiones eiusmodi, quas vel quae ab Episcopis aliisque locorum Ordinariis fieri vel capi contigerit in causis et

negotiis praedictis, vel simplex dumtaxat et extraiudicialis recursus per viam supplicis libelli ad Nos et Successores Nostros Romanos Pontifices vel respective et iuxta causarum naturam et qualitatem appellatio ad quos de iure, in solo devolutivo et sine retardatione vel praeiudicio legitimae executionis, recipi et admitti possit.

§ 39. Quoniam vero in hisce ipsis negotiis et causis, in quibus inhibitiones canonicam executionem impedientes aut suspendentes concedi non debent, dari possunt casus, qui per ipsum sacrum Concilium Tridentinum vel iuxta eius mentem per apostolicas constitutiones et sacrarum Congregationum declarationes, aut communem doctorum sententiam, a praefata generali regula de non concedendis inhibitionibus eisque posthabendis excipiuntur quique ut plurimum non aliter, quam prudenti iudicis arbitrio secundum particulares facti circumstantias aestimari possunt: Hinc Nos, ne sub eiusmodi praetextu inhibitiones, ut supra prohibitae, vulgo et sine ullo delectu etiam in casibus non exceptis concedantur: Statuimus et mandamus, quod in dictis causis et negotiis superius expressis Metropolitani, Patriarchae, Primates aliique Iudices praedicti et praesertim Camerae Nostrae generalis Auditor eiusque Locumtenentes et Signaturae Iustitiae Praefectus eiusque Auditor, ad quos in contingenti casu pro obtinenda inhibitione recursum haberi contigerit, etiamsi asseratur, casum illum a sacro Concilio vel Apostolicis Constitutionibus quacumque de causa exceptum esse: Nihilominus litteras citatorias vel monitorias cum inhibitione huiusmodi non concedant; nisi prius ex facti circumstantiis, in supplici libello a parte recurrente clare ac dilucide exponendis et cum aliquo documento semiplene saltem verificandis, eisdem summarie apparuerit, casum illum esse de exceptis et propterea Episcopo vel Ordinario loci inhibendum esse, ne ad ulteriora procedat: tunc enim et non alias et postquam ipsi iudices, quorum conscientiam hac in parte oneramus, super dicti supplici libello manu sua rescripserint, quod inhibitio concedi potest, libellusque cum rescripto eiusmodi in actis productus fuerit, diligenter ibidem custodiendus et asservandus, liceat eorum notariis sive actuariis litteras citatorias cum dicta inhibitione expedire et parti recurrenti tradere, ita tamen, ut in earum calce expresse adiiciatur sequens clausula: „Nos enim, attentis iuribus et supplici libello Nobis praesentatis atque in actis exhibitis, sic ut praefertur, inhibendum esse, speciali rescripto mandavimus.“ Alias litterae eiusmodi sine tali clausula nullam vim inhibendi habeant in casibus praedictis.

§ 40. Et nihilominus si notarii, sine dicto speciali rescripto super supplici libello aut sine productione illius in actis aut sine praedicta clausula, citationes ullas aut monitoria cum inhibitione, sub quocumque praetextu seu colore, expedire ac tradere praesum-

pserint, etiamsi illae aut illa a iudice subscripta fuerint, poenam infamiae et perpetuae inhabilitatis ad officium notarii in causis ecclesiasticis exercendum, et quoad illos Camerae Nostrae generalis Auditoris aut aliorum Romanae Curiae Iudicum superius expressorum, etiam quinquaginta ducatorum auri de Camera, pro una medietate Camerae Nostrae Apostolicae, et pro alia ipsi Parti recurrenti et in causa interesse habenti, sin minus alicui ex locis piis, arbitrio Nostro Nostrorumque Successorum destinando, applicandam, ipso facto incurrant.

§ 41. Ad haec, similiter inhaerentes dispositioni eiusdem sacri Concilii sess. 7. de reform. cap. 14. et sess. 14. cap. 5., nec non etiam decreto piae mem. Benedicti XIII. hac in re promulgato inter eius additiones ad decreta Urbani Papae VIII. in appendice ad Concilium Romanum, volumus et mandamus, quod clerici saeculares aut regulares extra monasterium degentes, quomodolibet exempti, in civilibus causis mercedum et miserabilium personarum, etiamsi certum iudicem a Sede Apostolica deputatum in partibus habeant: In aliis vero, si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam ab ipsa Sede delegatis, conveniri in prima instantia et iure medio ad solvendum debitum cogi possint.

§ 42. Quo vero ad personas non exemptas, inhaerendo similiter dispositioni eiusdem sacri Concilii sess. 13. de reform. cap. 1. et sess. 22. cap. 7. et sess. 24. cap. 20. nec non supradictis decretis generalibus congregationis Episcoporum editis anno MDC cum novissimis additionibus seu declarationibus piae mem. Benedicti XIII. in appendice Concilii Romani: Volumus, statuimus et mandamus, quod causae omnes, tam civiles quam criminales, ad forum ecclesiasticum pertinentes, exceptis privilegiatis, quae ex eodem Concilio vel alias iuxta canonicas sanctiones apud Nos et Sedem Apostolicam tractari possunt aut debent, coram Ordinariis locorum dumtaxat in prima instantia cognoscantur neque a Metropolitanis, Patriarchis aut Primatibus aliisque Iudicibus ecclesiasticis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nunciis vel de latere Legatis aut Camerae Nostrae generali Auditore et caeteris quibuslibet Curiae Nostrae Iudicibus, ad se avocari vel aliis committi possint, nisi per viam legitimae appellationis, et in casibus ut supra non prohibitis, ad ipsorum Tribunalia deferantur.

§ 43. Appellationes autem non recipiantur, neque inhibitiones vigore illarum concedantur, nisi prius constiterit, quod nedum per legitimam personam et intra legitima tempora vere appellatum fuerit; sed etiam, quod appellatum fuerit a sententia definitiva vel habente vim definitivae aut a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari non possit: idque per publica documenta, quae realiter in actis exhibeantur; tunc enim et non antea iudici, ad quem appellatum fuerit, in causa se intromittere, citationes et

inhibitiones concedere liceat; dummodo tamen concedantur cum inscriptione tenoris sententiae aut decreti definitivi seu vim definitivae habentis vel damnum per definitivam irreparabile inferentis; alias citationes, processus et inde secuta quaecumque sint ipso iure nulla atque impune sperni possint.

§ 44. Quod si appellans asserat, sententiae aut decreti exemplum authenticum culpa iudicis a quo vel notarii sive actuarii habere non posse, tum saltem copiam simplicem sententiae seu decreti in actis producere teneatur, eiusque tenori in litteris inhibitorialibus inserto adiicienda erit, prout adiici volumus et mandamus, in earum corpore expressa conditio: „Quatenus tamen tenor insertus vere et in substantialibus cum originali concordet eodemque originali praesentes litterae sint in tempore posteriores, alioquin nullae et irritae censeantur“: Et si secus factum fuerit, inhibitiones aliter concessas nullatenus afficiant, et notarii sive actuarii, qui illas expediverint, incidant in poenas superius expressas.

§ 45. Cum vero a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, appellatum fuerit, si quidem res sit de carceratione iam secuta cum mandato verbali, non aliter expediri poterunt inhibitiones vigore appellationis, quam constito prius de ipsa carceratione per depositionem saltem duorum testium. Interim tamen appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, donec aliter ser. ser. iudicatum fuerit. Ubi vero agatur de censuris iam prolatis vel de comminatione carcerationis, torturae aut censurarum, observetur omnino dispositio dictorum decretorum Congregationis Episcoporum sub rec. mem. Clemente VIII., iuxta additiones et declarationes piae mem. Benedicti XIII.

§ 46. Ulterius in praedictis causis in prima instantia pendentibus vel aliis superius expressis, in quibus non admittitur appellatio in suspensivo, citationes, quae expediri solent coram Cardinali Signaturae Iustitiae Praefecto, vel effectum comparendi vel pro adeundo eamdem Signaturam, tametsi ab eius Auditore subscriptas, vim inhibendi nullatenus sortiri posse volumus easque ad praedictos alios dumtaxat effectus, comparendi scilicet vel adeundi Signaturam, expeditas censeri, non autem ad retardandam executionem vel suspendendum processum ad ulteriora.

§ 47. Denique quoad causas privilegiatas, quae, ut praefertur, in prima etiam instantia apud Nos et Sedem Apostolicam tractari possunt, nihil ex antiquo mutandum esse volumus, sed monitoria in illis coram Camerae Nostrae generali Auditore vel eius Locumtenentibus, prout hactenus laudabiliter observatum est, expedienda esse, iuxta praescriptum Apostolicarum constitutionum et praesertim fel. rec. Pauli V. Praedecessoris Nostri in constitutione, quae incipit *Universi*, necnon praedictarum additionum et declarationum Bene-

dicti XIII., exceptis tamen monitoriis intimandis ultra montes, in quibus ad evitanda scandala et litigantium incommoda volumus omnino renovari et observari stylum, qui olim in eo Tribunali vigebat, id est, quod ad eiusmodi monitoriorum expeditionem non aliter procedatur, quam oblato prius ipsi Auditori vel alteri ex eius Locumtenentibus, coram quo monitorium expediendum erit, supplici libello, universam facti speciem clare et dilucide continente, et praevio etiam eiusdem Iudicis rescripto, quod monitorium expediri possit, penes causae notarium vel actuarium diligenter custodiendo. Et si aliter, quam praefertur, et absque dicto supplici libello ac speciali iudicis rescripto dicta monitoria ultra montes intimanda expedita fuerint, notarius sive actuarius et substitutus, qui illa expediverit, ipso facto incidat in poenas superius expressas.

§ 48. Omnia et singula hactenus a Nobis disposita ad rectam iudiciorum methodum restituendam eo impensius ab omnibus exacte custodiri et observari mandamus, quo clarius constat, hac nostra constitutione non novas ferri, sed antiquas instaurari leges, provide sapienterque institutas et temporum iniuria ac hominum fraude obsoletas, et novo Pontificiae auctoritatis praesidio communiri ordinem procedendi in causis, iamdiu praescriptum superioribus et inferioribus Tribunalibus a sacra Tridentina Synodo, Congregationum decretis et Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus aliisque ordinationibus Apostolicis. Ideoque, si ipsi iudices, omni semoto, ut par est, humanae cupiditatis affectu, prae oculis solum habuerint, quae tam maturo tamque saluberrimo sunt constituta et ordinata consilio, facile eorum quilibet agnoscet, quae sui et quae alieni ministerii partes esse debeant in admittendis ac respective reiiciendis causarum appellationibus et inhibitionibus: Atque ita fiet, ut non solum unicuique in suo ordine debita iurisdictionis et auctoritatis praerogativa servetur; sed etiam ut, exstinctis prorsus ac radicitus avulsis omnium contentionum et discordiarum seminibus, mutuo caritatis vinculo tribunalia socientur, et inter illa recte agendi disciplina christiano populo utilis et necessaria restituatur.

§ 49. Demum ut, exemplo Nostro, omnes praemissorum executioni caute et pro viribus incumbant, et ut praesertim Notariis, Tabellionibus et eorum Actuariis et Substitutis omnis contraveniendi ansa praecidatur, volumus et expresse mandamus, processus et acta causarum, in Nostra Romana Curia coram quovis iudice pendentium, ac inhibitiones, appellationes, monitoria aliasque citatoriales et inhibitoriales litteras, quas ab iisdem notariis eorumque substitutis, scientibus vel insciis iudicibus vel alias quomodolibet in posterum expediri contigerit, sedulo recognosci et examinari per fide dignas personas a Nobis opportune deputandas, quae si deprehenderint, easdem inhibitiones contra huius constitutionis formam

et ad subterfugienda Ordinariorum et Episcoporum iudicia, quaesito gravaminis colore, fuisse perperam concessas et expeditas, in eosdem notarios et substitutos canonicis poenis aliisque a Nobis supra expressis severe pro modo culpae animadvertant.

§ 50. Decernentes has praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore; suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae praefatae Cardinales, etiam de latere Legatos, et eiusdem Sedis Nuncios aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 51. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis nec non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis, praefatis aliisque quibuslibet iudicibus, curiis, tribunalibus et personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissima mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus ac consistorialiter et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis: Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 52. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum nec non

Cancellariae Apostolicae Curiaeque Generalis in Monte Citatorio ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari sicque publicatas et affixas omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare ac afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent: ipsarum autem litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem, tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 53. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, constitutionis, declarationis, annullationis, admonitionis, et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, tertio Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno II. — P. Card. Pro-Datarius. D. Card. Passioneus. Visa de Curia. N. Antonellus. J. B. Eugenius. Registrata in Secretaria Brevium. Publicat. die 18. Aprilis eiusdem anni.[1]

In praeallegata constitutione salutares pro praxi proponuntur normae de appellationibus et inhibitionibus concedendis vel denegandis. Earum applicatio fiat omni oblata occasione, ne frustra adeantur tribunalia.

Si nocui aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori. Si vero nihil est eorum, quae hi accusant me, nemo potest me illis donare. Caesarem appello. (Act. apost. 25, 11).

Caput CLXXXXII.

De methodo servanda in ferenda sententia expulsionis vel dimissionis ab ordinibus et institutis religiosis (cum additamento de iure praecedentiae in tribus familiis minoriticis).

De monastica re Synodus dioecesana anni 1903 prolixiorem publicavit constitutionem, in quantum ista respicit ecclesiam Lavantinam, in qua varia exstant

[1] Franz Droste, Kirchliches Disziplinar- und Kriminal-Verfahren gegen Geistliche. Paderborn, 1882. Pagg. 192—206. Textus desumptus est ex Walter,

monasteria monachorum et monialium, dantur diversa instituta religiosorum et religiosarum.[1]

Prouti Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium pro ecclesiasticis Curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum brevem, concinnam et nitidam constitutionem *Sacra haec* die 11. Iunii 1880 Num. 13 promulgavit,[2] ita nunc Sacra Congregatio de Religiosis singulare decretum *Quam singulae praescriptiones* die 16. Maii 1911 edidit de methodo servanda in ferenda sententia eiectionis vel relegationis ab ordinibus et institutis religiosis.

In hoc processu hucusque praescriptiones ac sollemnitates, decreto S. Congregationis Concilii *Sacra Congregatio* de die 21. Septembris 1624 iussu Urbani VIII. et decreto *Instantibus* de die 24. Iulii 1694 iussu Innocentii XII. statutae, servabantur. Decursu temporis difficultates in his causis enatas minuebant *decreta* S. Congregationis Epp. et Regul. de die 22. Ianuarii 1886 et de die 4. Novembris 1892, item constitutio *Conditae* Leonis XIII. de die 8. Decembris 1900 et *normae* S. Congregationis Epp. et Regul. de die 28. Iunii 1900.

Quum adductae ordinationes ob temporum mutationes commodo observari nequeant, pro causis disciplinaribus et criminalibus regularium summarie actitandis habetur amodo dilaudata instructio, cuius textus sonat, ut sequitur.

Decretum
de methodo in ferenda sententia expulsionis vel dimissionis ab ordinibus et institutis religiosis.

Quum singulae praescriptiones ac sollemnitates a iure statutae, praesertim ab Urbano VIII. ad ferendam

Fontes. Pag. 517 sqq. (Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pagg. 343—357). — Angelus Lucidi, De visitatione sacrorum liminum instructio S. C. Concilii. Edit. P. Ioseph Schneider S. I. Vol. III. Romae, 1883. Pagg. 120—135.

[1] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Pagg. 816—839. — [2] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 peractae. Marburgi, 1901. Pagg. 539—545.

sententiam expulsionis vel dimissionis ab ordinibus et institutis religiosis commode servari nequeant, huic Sacrae Congregationi opportunum visum est alias statuere praescriptiones, magis expeditas et hodiernis temporum circumstantiis melius accommodatas.

Quare Emmi Patres Cardinales eiusdem Sacrae Congregationis in plenario coetu, die 3. Martii 1911 ad Vaticanum habito, sequentia statuere decreverunt, nempe:

1. Curiam competentem vel tribunal competens ad ferendam sententiam constituunt superior seu moderator generalis et definitores vel consiliarii seu adsistentes, non minus quattuor; si qui deficiant, eorum loco totidem religiosos eligat praeses Curiae vel tribunalis de consensu aliorum consiliariorum.

In congregationibus monachorum tribunal constituunt abbas generalis cum suo consilio. Si aliqua abbatia nulli adnexa sit congregationi, recurrendum ad Sanctam Sedem in singulis casibus.

2. In qualibet Curia seu tribunali constituatur a consilio generali promotor iustitiae pro iuris et legis tutela, qui sit religiosus eiusdem ordinis vel congregationis.

3. Processus dumtaxat summarius in posterum instituatur in expellendis vel dimittendis religiosis, qui vel vota sollemnia in ordinibus vel vota perpetua in congregationibus vel institutis professi sunt, vel, si vota tantum temporanea emiserint, tamen in Sacris sunt constituti; salvis specialibus privilegiis, quibus aliquis ordo vel institutum gaudeat.

4. Ad processum instruendum deveniri nequit, nisi postquam trina et data monitio et inflicta correctio incassum cesserint, salvis exceptionibus sub num. 17. et 18.

5. Monitio facienda est a legitimo superiore etiam locali de mandato tamen vel licentia superioris provincialis seu quasi-provincialis; qui postremae monitioni opportune adiunget expulsionis vel dimissionis commina-tionem. Ad effectum expulsionis vel dimissionis non valet monitio vel correctio, nisi ob grave aliquod delictum data fuerit.

6. Monitiones repeti nequeunt, nisi delictum repetitum fuerit, sed in delictis continuatis seu permanentibus intercedat necesse est inter unam et alteram monitionem spatium saltem duorum dierum integrorum. Post ultimam monitionem sex dies integros erit exspectandum, antequam ad ulteriora progressus fiat.

7. Ex processu constare debet de conventi reitate necnon de gravitate et numero delictorum, de facto triplicis monitionis et de defectu resipiscentiae post trinam monitionem.

8. Ut de conventi reitate constet, tales probationes afferendae sunt, quae animum viri prudentis moveant. Hae probationes desumi possunt ex rei confessione, ex depositione duorum saltem testium fide dignorum, iuramento firmata atque aliis adminiculis roborata, et ex authenticis documentis.

9. Gravitas delicti desumenda est non tantum a gravitate legis violatae, sed etiam a gravitate poenae a lege sancitae, a gravitate doli et a gravitate damni, sive moralis sive materialis, communitati illati.

10. Ad effectum, de quo agitur, requiruntur ad minus tria crimina gravia eiusdem speciei, vel, si diversae, talia, ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, vel unum tantum crimen permanens, quod triplici monitione virtualiter triplex fiat.

11. Ut constet de facto triplicis monitionis, regulariter de hoc afferri debet authenticum documentum. Proinde oportet:

a) ut haec fiat vel coram duobus testibus vel per epistolam, a publicis tabulariis inscriptam, exquisita fide receptionis vel repudii;

b) ut documentum redigatur de peracta monitione, a dictis testibus subscriptum et in regestis vel tabulario servandum: vel ut exemplar conficiatur supradictae epistolae, a duobus item testibus pro conformitatis testimonio ante expeditionem subscriptum et in regestis vel tabulario pariter asservandum.

12. Defectum resipiscentiae probant novum crimen, post trinam monitionem commissum, vel pervicax et obdurata agendi ratio delinquentis.

13. Superior provincialis vel quasi-provincialis religiosi delinquentis, postquam monitiones et correctiones incassum cesserint, omnia acta et documenta, quae de huius religiosi reitate exstant, diligenter colliget et ad superiorem generalem transmittet, qui ea tradere debet procuratori iustitiae, ut ea examinet et suas accusationes, si quas proponendas existimabit, proponat.

14. Accusationes a procuratore iustitiae propositae et processus resultantia accusato notificari debent eidemque tempus congruum, arbitrio iudicis determinandum, concedi, quo suas defensiones, sive per se sive per alium eiusdem ordinis vel instituti religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Curia vel tribunal defensorem alumnum respectivi ordinis vel instituti ex officio constituere debet.

15. Curia seu tribunal, diligenter perpensis allegationibus sive promotoris sive rei, si quidem eas adversari iudicaverit convento, sententiam expulsionis vel dimissionis pronunciare poterit, quae tamen, si condemnatus intra decem dies a sententiae notificatione rite ad Sacram Congregationem de Religiosis appellaverit, executioni demandari nequit, donec per eamdem Sacram Congregationem iudicium latum fuerit.

16. Non obstante autem appellatione, reus poterit ad saeculum statim remitti a moderatore supremo vel abbate generali cum consensu sui capituli vel consilii, si ex eius praesentia periculum vel gravissimi scandali vel damni item gravissimi communitati eorumque alumnis immineat. Interim habitum dimittat et maneat suspensus, si in Sacris constitutus sit.

17. Qui reus fuerit etiam unius tantum delicti, ex quo periculum gravis scandali publici vel gravissimum detrimentum toti communitati immineat, poterit etiam a superiore provinciali vel abbate ad saeculum item remitti, habitu religioso illico deposito; dummodo certo

constiterit de ipso delicto et de religiosi, cui illud imputatur, reitate; et interim instituatur processus ad sententiam expulsionis vel dimissionis ferendam. Qui in Sacris constituti sunt, pariter suspensi maneant.

18. Item contra quaedam delicta censetur veluti lata a iure poena expulsionis vel dimissionis. Quae delicta sunt: *a)* publica apostasia a fide catholica; *b)* apostasia ab ordine vel instituto, nisi intra tres menses religiosus redierit; *c)* fuga a monasterio, suscepta secum muliere; *d)* et multo magis contractus, ut aiunt, civilis vel attentatio aut celebratio matrimonii, etiam validi, seu quando vota non sint sollemnia vel non habeant sollemnium effectum.

Sufficit in istis casibus, ut superior generalis vel provincialis cum suo respectivo consilio emittat sententiam declaratoriam facti.

19. Sententia expulsionis vel dimissionis, quocumque modo lata, si agatur de religioso in Sacris, illico communicanda erit Ordinario originis et Ordinario loci, ubi ille moratur aut sedem suam statuere velle dignoscatur.

20. Omnes religiosi, de quibus agitur, in Sacris constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi manent, donec a competente auctoritate, post emendationem vitae, dispensationem obtinuerint. Religiosi vel clerici, non in Sacris, expulsi vel dimissi, prohibentur, quominus ad superiores ordines adscendant sine venia Sanctae Sedis. Omnes autem expulsi vel dimissi, etiamsi sese vere emendaverint, ad suum vel ad alium ordinem vel congregationem admitti non poterunt absque speciali licentia Sedis Apostolicae.

21. Ad expellendas moniales, vota sive sollemnia sive simplicia in ordine proprie dicto professas, et ad dimittendas sorores, quae vota perpetua emiserunt in institutis religiosis, exiguntur graves causae exteriores una cum incorrigibilitate, iudicio abbatissae vel superiorissae cum suo consilio, respective manifestando per secreta suffragia, experimento prius habito, ita ut

spes resipiscentiae evanuerit et ex continuis culpis monialis vel sororis incorrigibilis damna immineant monasterio vel instituto. Causae minus graves requiruntur ad dimittendas sorores votorum simplicium in ordinibus religiosis. Iustae et graves causae probari debent ab Ordinario loci et, si monasterium regularibus subiectum sit, etiam a superiore regulari. Insuper accedat necesse est confirmatio Sacrae Congregationis, ita ut expulsio vel dimissio ex parte ordinis vel instituti iuridicum effectum non sortiatur, antequam a Sacra Congregatione confirmata fuerit. Solummodo in casu gravis scandali exterioris, Episcopo loci approbante, monialis vel soror statim ad saeculum remitti possit, ita tamen, ut Sanctae Sedis confirmatio absque mora petatur.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae Decimo relatis ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario die octava Martii 1911, Sanctitas Sua decretum hoc approbare et confirmare dignata est; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 16. Maii 1911.

L. † S.

Fr. I. Card. **Vives,** Praefectus.
† Donatus Archiep. Ephesinus, Secretarius.[1]

Ad normam igitur praecedentis instructionis apud superiores regulares et occasione data — quae sese praesertim relate ad moniales et sorores haud raro offeret — apud Curiam Nostram iudicialia negotia circa ordines regulares et congregationes religiosas tractabuntur.

Ad rem spectat declaratio S. Congregationis de Religiosis, quam circa dubia de manuscriptis religiosorum typis edendis die 15. Ianuarii 1911 iuris publici fecit. Ad quaestiones nempe, an religiosi pertinentes ad instituta votorum simplicium iisdem teneantur legibus ac

[1] Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. Romae, die 31. Maii 1911. An. III. vol. III. Num. 7. pagg. 235—238. — Dr. F. Heiner, Auditor der röm. Rota, Das Prozessverfahren bezüglich der Ausstossung oder Entlassung der Religiosen aus den Orden und religiösen Instituten. (Archiv für katholisches Kirchenrecht. Mainz, 1911. Fasc. IV. pagg. 681—687).

regulares votorum sollemnium quoad *Imprimatur* seu beneplacitum a suis superioribus expostulandum, quoties aliquod suum manuscriptum in lucem edere cupiunt?

Porro an religiosi, quoties a suis moderatoribus publicatio alicuius manuscripti fuerit interdicta vel *Imprimatur* denegatum, possint idem manuscriptum alicui typographo tradere, qui illud publicet cum *Imprimatur* Ordinarii loci, suppresso auctoris nomine?

Responsum est ad primam quaestionem *affirmative* et ad alteram *negative.*[1]

Appendicis adinstar hicce allegantur Pii PP. X. litterae *Seraphici Patriarchae* de iure praecedentiae in processionibus sacrisque functionibus in tribus familiis minoriticis de die 15. Augusti 1910.

Pius Episcopus,
Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Seraphici Patriarchae universum ordinem quum Romani Pontifices Praedecessores Nostri singulari benevolentia semper fuerint prosecuti eiusque familias specialibus gratiis et privilegiis in bonum fidelium auxerint; Nos, qui pari amore impellimur erga praefatum ordinem, de Ecclesia Dei praeclare meritum, perfectiori religiosae observantiae ex parte singulorum religiosorum consulere summopere exoptantes, has litteras motu proprio et ex certa scientia conscribere opportunum duximus ad maiorem pacis et verae concordiae tutelam inter eosdem efficacius firmandam.

Humilitatis et mansuetudinis magister inclitus beatissimus Franciscus dilectos filios suos hortatur in regula cap. X: „ut caveant ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine huius saeculi, a detractione et murmuratione.“ De qua re ait seraphicus Doctor, in sermone super regulam fratrum minorum: „Ab omni superbia, quae est mater, vana gloria, invidia, quae sunt proles superbiae secundum Gregorium. Et signanter dicit: Ab omni superbia, quia superbia est respectu superioris, inferioris et paris. Unde super illud Iob: Parvulum occidit invidia, dicit Gregorius: Superbus invidet superioribus, quia non aequatur eis; paribus, quia aequantur ei; inferioribus, ne aequentur ei. — Tangit vitium principale quoad proximum, cum dicit: detractione et murmuratione. Ideo dicitur Ecclesiastae cap. X. v. 11: Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.

[1] Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. Romae, die 26. Iunii 1911. An. III. vol. III. Num. 8. pag. 270 et 271.

Morsus iste multum virus infundit ordini, quia turbat multos, pacem habentes; et ideo susurrones et detractores Deo sunt odibiles".

Unde in eadem reg. cap. III. praescribit institutor sanctissimus, ut fratres sui „non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent; sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles". Quae verba ita in citato sermone exponit Doctor seraphicus: „Mites, quoad animum; pacifici, quoad verbum; modesti, quoad factum; mansueti, quoad proximum; humiles, quoad Deum". Et in sermone V. de s. Francisco praefatus Doctor seraphicum Patrem filios ad mansuetudinem praesertim et humilitatem inducentem introducit et ait: „Non sit igitur oculus cuiusquam nequam, quia Deus bonus est; sed omnes doctrinam Christi, immo Francisci audiant et addiscant tamquam boni doctoris, qui docuit, quod didicit, sine deceptione, sine fictione, sine oblivione, sine dubitatione. Dicat igitur beatus Franciscus: Discite, alios excitando; dicat nihilominus alios informando: quia mitis sum et humilis corde. Addiscite, hoc est, ad meum exemplum sitis mites et humiles. Mitis est homo per affectum fraternitatis; humilis, per affectum inferioritatis sive minoritatis; unde esse mitem, hoc est esse omnium fratrem, esse humilem, hoc est esse omnibus minorem: esse ergo mitem et humilem corde, hoc est esse vere fratrem minorem; discite igitur a me esse mites et humiles, hoc est esse fratres minores".

In commentariis autem in evangelium s. Lucae cap. IX ait: „Quanto sumus humiliores, tanto sumus a tumore superbiae inaniores; et quanto inaniores a tumore superbiae, tanto pleniores dilectione; et quanto hac pleniores, tanto maiores.. ideo minor est maior, quia, quanto quis humilior, tanto Christo similior, et per hoc tanto ei proximior; Christus autem est maximus; sed quanto aliquis maximo propinquior, tanto maior: quanto ergo quis minor, tanto maior; et hoc est, quod ipse innuit infra vigesimo secundo.. Ergo inter viros spirituales non debet esse contentio de primo loco, sed de postremo, quia ille honorabilior est". Quapropter in sermone IV. de s. Francisco ita concludit: „Magnum pondus impositum est super nos, dico vobis, quod de hoc minores vocamur, quia debemus nos reputare omnibus inferiores et viliores. Displicet vobis aliquando de nobis, si videtis aliquando aliquem ex nobis superbum; certe multo magis displicet Deo".

Optandum igitur esset, ut inter Francisci filios numquam de primo loco esset contentio, sed unice de postremo; sed inimicus homo, sub specie boni, sub inani praetextu zeli decoris propriae sodalitatis, controversias plurimas inter tres familias minoriticas humillimi et mitissimi Patris suscitavit, quae innumeras crearunt lites, per S. Sedem diremptas, in quibus unaquaeque familia eas victorias, quas anteactis litibus reportaverat contra aliam partem litigantem, opportune et importune allegare consuevit. Nec hodi-

ernis temporibus cessarunt contentiones huiusmodi; nam a quattuor annis denuo disputare coeperunt inter se duae primae familiae minoriticae de iure praecedentiae in processionibus aliisque sacris functionibus.

Quapropter, ut a triplici familia fratrum minorum contentiones de praecedentia penitus eliminentur et vix natae excludantur, de plenitudine potestatis Nostrae Apostolicae (quidquid olim fuerit de iure vel de facto praecedentiae inter praefatas familias minoriticas), confirmatis prius omnibus et singulis, quae in Nostris Litteris Apostolicis *Septimo iam pleno saeculo* diei 4. Octobris 1909 et *Paucis ante diebus,* editis sub die 1. Novembris eiusdem anni 1909, continentur, praesertim de praecedentia trium ministrorum generalium inter se, firma semper lege, quod haberi debeant et sint dignitate pares et quod praedecessorum suorum perpetuam seriem ab ipso seraphico Patre omnes iure ducant; de praecedentia in singulis Conventibus, quae sequuntur, edicimus, declaramus, ordinamus et omnino servari iubemus, videlicet:

I. In omnibus et singulis tribus minoritici ordinis familiis haec norma praecedentiae observanda erit, scilicet: Illa familia minoritica, quae in civitate vel loco est antiquior, aliam vel alias familias minoriticas praecedat, nisi certo constet, familiam minoriticam in civitate vel loco recentiorem in possessione praecedentiae positam esse. Salvis tamen limitationibus infra praescriptis.

II. Quia tamen probatio possessionis seu quasi possessionis saepissime fit controversiarum occasio, probatio autem antiquitatis in civitate vel loco planior ac facilior evadere solet, regulam possessionis seu quasi possessionis quoad familias minoriticas ad novissimum decennium reducendam decernimus, hoc modo: Familia minoritica, quae saltem infra spatium temporis, a die 1. Ianuarii 1900 ad diem 15. Augusti 1910 inclusive computandum, in aliqua civitate vel loco realem et actualem possessionem praecedentiae super aliam vel alias familias minoriticas de facto habeat, aliam vel alias perpetuo praecedat, etiamsi possessio illa, dummodo realis sit et actualis, aliquo vitio infecta inveniatur; quo in casu, pro sanata et convalidata habenda erit, prouti ex nunc sanare et convalidare intendimus. — Quod si, hoc durante decennio, nulla ex tribus familiis minoriticis occasionem habuerit ponendi actus actualis praecedentiae, quia nullae processiones in civitate vel loco factae sint, vel ad nullam ex iisdem accesserint familiae illae minoriticae, tunc ad solam prioritatem fundationis conventus attendendum est. — Quoad futuras autem fundationes conventuum minoritarum, si lapsu temporis aliqua controversia inter ipsas familias minoriticas circa praecedentiam suscitetur in aliqua civitate vel loco, semper pariter ad solam prioritatem conventus, numquam vero ad possessionem attendatur.

III. Quia pariter vel ipsum principium antiquitatis unius conventus prae alio vel aliis in tanta, a saeculo et ultra, rerum perturbatione, iniqua praesertim conventuum suppressione et destructione, difficultatibus haud levibus aliquando obnoxium exsistit, praesertim, si post longam annorum seriem communitas in aliqua civitate vel loco primaeva fundatione antiquior instauretur et praecedentiam antiquam praetendat: Nos, ut etiam ex hoc capite futuris controversiis aditum occludamus, decernimus, ut a familiis minoriticis inter se principium antiquitatis conventus invocari amplius nequeat in futuris reassumptionibus veterum conventuum vel aedificationibus novorum loco veterum, a familia ob primaevam fundationem conventus antiquiori peractis, si haec familia per quinquaginta integros annos ab illa civitate vel loco quacumque de causa absens de facto fuerit. Ideoque, si communitas per quinquaginta saltem annos integros absens ad antiquum conventum redeat vel novum exstruat, antiquitas eius computanda erit a reditu tantum seu a canonicae familiae restauratione. — Quoad veteres autem conventus, ante datam huius motus proprii iam reassumptos vel de novo constructos, a familia minoritica, quae antiquiorem in civitate vel loco habuerat conventum, serventur praescripta in articulis I. et II.

IV. Salvis iis, quae de possessione dicta sunt, praecedentia quoad singulos conventus respiciat tantum civitatem cum suo suburbio vel locum cum suo suburbio, ideoque solum districtum, qui alibi communalis, alibi municipalis dici solet. Unde extra districtum proprium praecedant, qui in illo alio districtu conventum possident; quod si nulla ex familiis minoriticis in illo loco non proprio seu a proprio districtu communali seu municipali alieno conventum habeat, praecedentia hunc ordinem servet: praecedant primo loco fratres minores ab Unione Leoniana; secundo loco fratres minores conventuales; tertio loco fratres minores capuccini.

V. Tandem, si ob certum defectum documentorum authenticorum vel possessionis, articulo II. descriptae, dubium de antiquitate vel de ipsa possessione persistat, concedimus, ut praecedentia detur minoribus ab Unione Leoniana supra minores conventuales et minores capuccinos et conventualibus supra capuccinos.

VI. Quoad conventus triplicis familiae minoriticae Romae et Assisii nihil prorsus omnino immutetur.

VII. Si autem in posterum (quod Deus avertat) nova aliqua contentio de praecedentia inter tres familias minoriticas sit exoritura, rem auctoritate et nomine S. Sedis definiat *Ordinarius loci* iuxta praescripta harum Litterarum Apostolicarum; ad quem finem sola documenta authentica admittat et omni iudiciali sollemnitate praetermissa, per summariam, extraiudicialem et administrativam provisionem, gratis omnino brevique decreto, controversiae finem imponat. Sacra autem Congregatio, negotiis Religiosorum Sodalium praeposita,

omnes recursus circa praecedentiam inter tres familias minoriticas ad Ordinarium loci remittat cum monito, ut absque mora controversiam dirimat: quod si in casu aliquo extraordinario ipsa Sacra Congregatio gravissimis de causis iudicium sibi reservandum duxerit, eamdem normam teneat, quae Ordinariis praescribitur; ideoque disquisitiones, scripturas et omnia, quae uti authentica documenta haberi non possunt, omnino reiiciat et rem citissime definiat: quoties autem agatur de communitate minoritica vel temere litigante vel sub praetextu praecedentiae dissensiones inter minoriticas familias eiusdem civitatis vel loci promovente, sententiam contra eamdem pronunciet nec amplius causam admittat.

Praesentes vero Litteras et quaecumque in ipsis habentur, nullo umquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari, declarantes; contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali et specialissima mentione dignis; quibus omnibus ex plenitudine potestatis, certa scientia et motu proprio quoad praemissa expresse derogamus et derogatum esse declaramus.

Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis, XV. Augusti MCMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

Pius PP. X.[1]

Caput CLXXXXIII.

De trahentibus clericos ad tribunalia iudicum laicorum.

Privilegium fori pro personis ecclesiasticis impraesentiarum fere nullibi a moderatoribus rei publicae agnoscitur. Verumtamen a Summis Pontificibus

[1] Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. Romae, die 15. Septembris 1910. An. II. vol. II. Num. 18. pagg. 713—718.

indesinenter declaratum est, se ex ratione ecclesiastica agnoscere non posse, res civiles et criminales clericorum ad iudicia laicalia deferri. At respectu conditionis temporum per concordata iam variis civitatibus concessum est, ut iudicium laicale etiam pro clericis in causis mere civilibus et mere criminalibus sententiam ferret. Hisce vero concessionibus privilegium fori non omnino abrogatur neque se Ecclesia eo abdicat.

Tenore constitutionis *Apostolicae Sedis* de die 12. Octobris 1869 excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici speciali modo reservatam incurrunt impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes, edentes aut auxilium, consilium vel favorem praestantes. (Cap. 6). Item *cogentes* sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas sanctiones. (Cap. 7).

Quod attinet ad restrictionem *praeter canonicas dispositiones*, statuunt pro clericis articuli XI. XIII. et XIV. concordati austriaci dispositiones, ex quibus patet, pro clericis etiam nunc temporis officium constare, lites *suas* ad tribunal ecclesiasticum deferre et ius suum apud hocce iudicium quaerere. Sic agi debet in delictis mere ecclesiasticis v. gr. in apostasia a fide, haeresi formali, simonia aliisque.

Dispositiones concordati secuta est necessitas constituendi iudicium ecclesiasticum, ut fideles et clerici, quae ad hoc forum spectant ecclesiasticum, id appellare possint. Tale iudicium in dioecesi Lavantina iam dudum institutum est.

Nuperrime de capite 7. praecitatae bullae *Apostolicae Sedis* Pius PP. X. Motu proprio *Quantavis diligentia* de die 9. Octobris 1911 authenticam quoad verbum *cogentes* dedit interpretationem, quae sonat, ut sequitur.

Motu proprio

de trahentibus clericos ad tribunalia iudicum laicorum.

Quantavis diligentia adhibeatur in condendis legibus, saepe non licet dubitationem praecaveri omnem, quae deinceps ex earum callida interpretatione queat exsistere. Aliquando autem iurisperitorum, qui ad rimandam naturam vimque legis accesserint, tam diversae inter se sunt sententiae, ut, quid sit lege constitutum, non aliter constare nisi per authenticam declarationem possit.

Id quod videmus contigisse, postquam constitutio *Apostolicae Sedis* promulgata est, qua censurae latae sententiae limitantur. Etenim inter scriptores, qui in eam constitutionem commentaria confecerunt, magna orta est de ipsius capite VII. controversia; utrum verbo *cogentes* legislatores personaeque publicae tantummodo, an etiam homines privati significentur, qui iudicem laicum, ad eum provocando actionemve instituendo, cogant, ut ad suum tribunal clericum trahat.

Quid valeret quidem hoc caput, semel atque iterum Congregatio Sancti Officii declaravit. — Nunc vero in hac temporum iniquitate, cum ecclesiasticae immunitatis adeo nulla solet haberi ratio, ut non modo clerici et presbyteri, sed Episcopi etiam ipsique S. R. E. Cardinales in iudicium laicorum deducantur, omnino res postulat a Nobis, ut quos a tam sacrilego facinore non deterret culpae gravitas, eosdem poenae severitate in officio contineamus.

Itaque hoc Nos Motu Proprio statuimus atque edicimus: Quicumque privatorum, laici sacrive ordinis, mares feminaeve, personas quasvis ecclesiasticas, sive in criminali causa sive in civili, nullo potestatis ecclesiasticae permissu, ad tribunal laicorum vocent ibique adesse publice compellant, eos etiam omnes in excommunicationem latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatam incurrere.

Quod autem his litteris sancitum est, firmum ratumque esse volumus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die IX. mensis Octobris MCMXI, Pontificatus Nostri anno nono.

Pius PP. X.[1]

Verba decretoria sunt: »Itaque hoc Nos Motu proprio statuimus atque edicimus: Quicumque privatorum, laici sacrive ordinis, mares feminaeve, personas quasvis ecclesiasticas, sive in criminali causa sive in civili, *nullo potestatis ecclesiasticae permissu,* ad tribunal laicorum vocent ibique adesse publice compellant, eos etiam omnes in excommunicationem latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatam incurrere.«

Iuris peritissimus Petrus Avanzini in suo commentario de constitutione *Apostolicae Sedis* adnotat: »Per verba *praeter canonicas dispositiones* allusio fit ad concordata guberniorum cum Apostolica Sede, quae in vigore permaneant.« Cui clausulae *praeter canonicas dispositiones* correspondent in Motu proprio *Quantavis diligentia* verba *nullo potestatis ecclesiasticae permissu.*

Respectivi articuli conventionis austriacae de die 18. Augusti 1855 tenorem habent, ut sequitur: »Temporum ratione habita Sanctitas Sua consentit, ut clericorum causas mere civiles, prout contractuum, debitorum, haereditatum iudices saeculares cognoscant et definiant. (Art. XIII). — Eadem de causa Sancta Sedes haud impedit, quominus causae ecclesiasticorum pro criminibus seu delictis, quae poenalibus imperii legibus animadvertuntur, ad iudicem laicum deferantur.«[2] (Art. XIV).

[1] Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. Romae, die 10. Novembris 1911. An. III. vol. III. Num 15. pag. 555 et 556. — [2] Dr. F. Heiner, Das Motuproprio *Quantavis diligentia* Pius X. vom 9. Oktober 1911 und der deutsche Rechtsstaat. (Archiv für katholisches Kirchenrecht. Mainz, 1912. Fasc. II. pagg. 270—295). — Dr. Anton Perathoner, Auditor der römischen Rota, Das Motuproprio *Quantavis diligentia* Pius X. vom 9. Oktober 1911 betreffend die Gerichtsbarkeit der Geistlichen. (Theologisch-praktische Quartalschrift. Linz, 1912. Pagg. 247—256). — Bemerkungen zum Motuproprio *Quantavis diligentia.* (Priester-Konferenz-Blatt. Brixen, 1912. Num. 2. pag. 50 sq). — Dr. K. A. Geiger, Motuproprio vom 9. Oktober 1911 *Quantavis diligentia*

Per concordatum igitur et per consuetudinem rationabilem et legitime-canonice praescriptam potest derogari prohibitioni ecclesiasticae, quominus causae clericorum ad tribunal saeculare vocentur. At Nos dignum et salutare esse arbitramur, ut personae laicales — de clericis per se intelligitur — ad Ordinariatum episcopalem deferant actiones, quascumque contra personas ecclesiasticas movere intendunt, ut Nos eiusmodi res aut forma caritativa vel iuridica componamus aut consulta Sede Apostolica veniam demus ac permittamus, ut clerici delinquentes ad tribunal laicorum vocentur ibique adesse compellantur. *Clericos nonnisi apud Episcopos accusari convenit*, ita iam Honorius imperator anno 412 declaravit.[1]

Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos ... Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. (I. Cor. 6, 7. 12).

Caput CLXXXXIV.

Decisiones austriaci codicis poenalis, quae sacerdotes in munere boni promovendi et mali avertendi iuvant.

Ecclesia Christi, quum societas iure suo et genere perfecta sit, a nulla societate, quantumvis potenti et ampla, in fine suo prosequendo, salute scilicet fidelium aeterna curanda, impediri vel infestari debet, quin etiam ubi res humanae recto ordine disponuntur, quaelibet societas, nominatim respublica civilis, ei in favorem venire potest.

Nulli porro dubium est, quin Ecclesia rempublicam nedum in eius fine exercendo impediat, sed multis formis adiuvet. Etenim »amplissima bona, quibus mortalem quoque hominum vitam christiana religio sua sponte explet, communitati societatique civili omnia quaeruntur

über die Zitation der Geistlichen vor die Laienrichter. (Kirchlich-statistisches Jahrbuch für den katholischen Klerus. Regensburg, 1913. Pagg. 116—123).

[1] Cod. Theod. XVI. 2, 41.

ita, ut illud appareat verissime dictum: pendet a religione, qua Deus colitur, reipublicae status multaque inter hunc et illam cognatio et familiaritas intercedat.«[1]

Alibi iam emolumenta quaedam, quae ab Ecclesia in nationes statuum civilium redundant, tantisper proposuimus[2] et de obligatione quoque Cleri populique ad gubernandam summam rempublicam concurrendi brevi exhortati sumus.[3]

Ex altera vero parte ad leges etiam et praecepta provocavimus, quae in imperio austriaco in bonum religionis christianae eiusque ministrorum favorem haud parum conferre possunt.[4] Hoc autem loco, dilecti fidelium pastores, animos vestros ad codicem poenalem, die 27. Maii 1852 promulgatum,[5] advertere iuvat; eius namque sanctiones Nobis idoneae esse videntur, quae vestris quoque ovibus praecaveant, ne quas lupi forsan rapiant vel dispergant.

Ipsam tamen legem verbatim afferre vix necesse est, neque enim verba hic loci ad iudices reipublicae, sed ad sacerdotes Nostrae dioecesis diriguntur, et his sufficere videtur, ut eas legis sanctiones cognoscant, quae eos vel eorum munus proxime vel remote attingunt. Qui namque legem ignorat, neque eius tutela uti novit, etiam in casu, qui ei favet.

Lex ista autem respicit institutiones publicas, civium mores et bona eaque suo modo tuetur.[6]

1. Crimina et delicta in personas officiales et in dictamina publica commissa.

a) Criminis turbatae pacis publicae se reum facit, quisquis publice vel coram pluribus hominibus vel libris impressis vel divulgatis scripturis vel picturis, in despectum vel odium personae imperatoris, unitatis imperii, formae regiminis vel administrationis civitatis alios excitare

[1] Litterae encyclicae Leonis PP. XIII. *Immortale* Dei de die 1. Novembris 1880. — [2] Actiones et constitutiones Synodi dioecesanae anno 1900 peractae. Marburgi, 1901. Cap. XXXI. pagg. 242—249. — [3] Op. cit. Cap. L. pagg. 489—493. — [4] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. LXXXXV. pagg. 786—805. — [5] R.-G.-Bl. Nr. 117. — [6] Dr. Ernest K. Kortschak, Strafrechtliches Taschenbuch. Graz, 1907.

nititur. (§ 65. a). Poena gravi carcere ab uno anno ad quinque usque annos solvenda est.

b) Qui publice vel coram pluribus hominibus vel libris impressis, divulgatis picturis vel scripturis convicianando, despectando, falsando vel deformando ordinationes vel decreta magistratuum deminuere vel tali modo alios in odium, in despectum vel temerariam molestationem magistratuum civitatis vel communitatis vel singularum personarum gubernii in ordine ad earum functiones vel alicuius testis vel rei periti relate ad eorum depositiones in tribunali concitare nititur, seditionis reus est, et nisi forte in hac eius agendi ratione actio gravius punienda reperitur, in custodiam per unum ad sex usque menses tradendus est. (§ 300).

c) Qui alios ad diversas nationes, religiosas aliasve societates, singulas classes vel status civicae societatis vel legales corporationes vel generatim incolas civitatis infestandos vel ad hostiles ad invicem factiones excitat, cohortatur vel seducere nititur, delicti reus est, et nisi forte haec actio gravius punienda aestimatur, arcta custodia per unum ad sex usque menses damnandus est. (§ 302).

Ut crimen laesae maiestatis, ita etiam haec sub *b)* et *c)* posita delicta ad forum iudicum iuratorum pertinent.

2. Crimina et delicta in bona civium temporalia.

a) Crimen publicae violentiae committitur, si magistratu neglecto quieta possessio fundi vel alterius iurium illum respicientium, pluribus hominibus collectis, violento impetu turbatur vel si etiam sine adiutoribus in domum vel habitationem alterius cum armis irruitur ibique eius personae vel eius domesticis vel substantiae vis infertur, sive hoc fit, ut iniuriae putativae vindicta sumatur, ius praetensum acquiratur, promissio vel testimonium extorqueatur vel alias invidia sedetur. (§ 83).

Poena solvenda huiusmodi criminis est gravis carcer per unum ad sex usque menses. Competentia pertinet ad tribunal primae instantiae (Bezirksgericht).

b) Criminis publicae violentiae per extorsionem se reum efficit, qui personae cuidam actu vim infert, ut

eam fors ad praestandam, tolerandam vel omittendam aliquam rem cogat, nisi eius actio crimen gravius puniendum appareat. Sub eadem suppositione committit idem crimen, qui mediate vel immediate scripto vel ore vel alio modo, nomine suo vel addito vel omisso, alicui eo consilio minatur, ipsum corpore, libertate, honore vel possessione se esse laesurum, ut ab eo praestationem, tolerationem vel omissionem extorqueat, si minatio apta est, quae in eo, cui ille minatur, respectu circumstantiarum et personalis qualitatis eiusdem habito vel relate ad gravitatem mali, quod ei minatur, rationabilem formidinem producat. Neque quidquam refert, num memorata mala ipsi, an eius familiae vel cognationi vel aliis personis ipsius tutelae commissis, immineant, ac utrum minatio effectum habeat nec ne. (§ 98). Poena gravis carceris statuitur per sex menses et in aggravantibus circumstantiis per unum ad quinque usque annos. Competens est tribunal primae instantiae.

3. Crimina et delicta in religionem commissa.

Inter alias societates etiam societates religiosae sanctione paragraphi 302 sub tutela imperii generatim ponuntur, speciatim vero:

a) Crimen turbatae religionis committit, quisquis sermonibus, actionibus, libris impressis vel divulgatis scripturis Deum blasphemat, exercitium religionis in imperio exsistentis perturbat vel supellectilem cultui divino destinatam inhonestat vel alias actionibus, sermonibus, libris impressis vel divulgatis scripturis religionem despectat, et qui infidelitatem propagare nititur. (§ 122).

Religio in hac decisione non in abstracto, sed in concreto sumitur ideoque solae religiones in imperio receptae legis tutela fruuntur.[1]

b) Delicti offensae religionis reus est, qui publice vel coram pluribus hominibus vel in libris impressis, divulgatis picturis vel scriptis doctrinas, consuetudines vel

[1] Romano-catholica, graeco-catholica, armeno-catholica, palaiocatholica, evangelica utriusque professionis, herrenhuterica, graeconounita, unitaria, lipowana, iudaica (Dr. Ernest K. Kortschak, op. cit. pag. 45) atque recentissimo tempore (inde ab anno 1909) etiam muhammetana.

institutiones ecclesiae in civitate legitime receptae vel religiosae communitatis despectat vel dehonorare conatur, eius ministrum in cultu divino exercendo offendit vel in eius publica religiosa actione modo, ad scandalum aliis parandum apto, indecenter se gerit, nisi haec eius agendi ratio crimen turbatae religionis constituit (§ 122), et arcta custodia per unum ad sex usque menses puniendus est. (§ 303).

Hoc delictum frequentius, quam quidam opinantur, committitur atque ideo ad sanctionem huius paragraphi recurretur, quoties indicia delicti certa sunt.

c) Item delicti se reum facit et custodia per unum ad tres usque menses puniendus est, qui ad fundandam vel propagandam religiosam societatem, cuius receptio ab imperiali gubernio ut non admittenda declarata est, conventus facit, sermones habet vel tales publicat, asseclas quaerit vel qualemcumque actionem, in hunc finem ducentem, instituit. (§ 304).

4. Delicta in publicas institutiones commissa.

Praeter institutiones publicas et stricte religiosas lex poenalis alias quoque institutiones publicas, licet non ratione characteris religiosi consideratas, suae tutelae subdit.

a) Qui publice vel coram pluribus hominibus instutionem matrimonii, familiae vel conceptus iuris de proprietate dehonorat vel concutere nititur, vel alios ad actiones immorales vel per leges prohibitas cohortatur, incitat vel seducere conatur, nisi eius conamine actio gravius punienda constituitur, delicti reus est et custodia per unum ad sex usque menses puniendus est. (§ 305).

b) Qui sepulchra, humanis cadaveribus excipiendis destinata, ex malitia vel protervia violat, illicite sepulchra aperit, ex eis vel ex aliis locis, in quibus humana cadavera vel singulae eorum partes conservantur, sine licentia illa aufert vel humana cadavera male tractat, delicti se reum facit et arcta custodia per unum ad sex menses puniendus est. Ablationes vero, quae in locis sepulturae vel e sepulchris lucri cupidine fiunt, furta consideranda sunt. (§ 306).

5. Crimina et delicta, in moralitatem commissa.

Multa et varia delicta contra moralitatem lege poenae subiiciuntur et plura eiusmodi facinora etiam committuntur, quin lege civili perstringantur, et taedet animam ea vel brevissime meminisse.

a) Delicti enim is reus est, qui mulieri vim infert vel eius mentem obtundit, ne ipsi resistat, quando cum ea rem impudicam agere conatur (§ 125); item, qui mulieri, sine sua operatione mentis experti nec resistere valenti, coire conatur, etsi actu non ei coeat (§ 127); item, qui persona mentis experti vel puella, infra quattuordecim annos nata, impudice abutitur, crimen violationis committit. (§ 128). Impudicitia cum animali et cum persona homogena crimen est et gravi poenae subiacet. (§ 129). Crimen est etiam incestus, scilicet coitus cum persona consanguinea. (§ 131). Gravi poena afficiendus est, qui personam ipsi educandam vel erudiendam datam corrumpit, ut impudicam rem secum agat vel patiatur. (§ 132).

b) Crimen lenocinii committunt ii, qui meretrices illiciti quaestus causa in sua domo retinent vel aliter eis subsidia praestant; qui huiusmodi personas adducendo lucrum sibi comparant; qui in illicitis huiusmodi conspirationibus cooperantur. (§ 512).

Si caupones et tabernarii lenocinio occasionem praebent, transgressionis rei sunt, primo mulcta 50–400 coronarum puniendi, postea licentia cauponae vel tabernae ablata, ipsi ad talem habendam inhabiles declarabuntur. (§ 515).

Qui picturis vel obscoenis actionibus moralitatem vel pudicitiam graviter vel modo publicum scandalum causante laedit, transgressionis reus est, arcta custodia per octo dies et ultra puniendus. Si vero talis laesio typis facta est, delictum commissum censetur atque arcta custodia per sex menses et ad unum usque annum puniendum est. (§ 516).

6. Crimina et delicta in bona corporis, fortunae atque famae commissa.

Corporis quoque, fortunae famaeque bona frequentissime periclitantur eaque lex idcirco suae tutelae addicit.

a) Criminis reus efficitur, qui proprios parentes vel qui publicum officialem, sacerdotem, testem vel rei peritum, dum in officio suo exercendo versantur, vel eiusdem causa consulto in eorum corpore laedit, etsi laesio qualitatem paragraphi 152 non habeat. (§ 153). Poena est carcer per sex menses ad unum usque annum duraturus.

b) De furto in §§ 171—180 agitur et id pro diversitate rei, loci ac personae modo crimen, modo transgressio, modo etiam delictum declaratur et poena furti speciei respondente puniendum est. (§§ 460—466).

c) Bigamia est crimen et committitur a persona, matrimonio iuncta, dum cum alia persona matrimonium contrahere conatur. (§ 206). Pari crimine se inficit persona soluta, quae cum alia, quam matrimonio iunctam esse scivit, matrimonium contrahit. (§ 207).

Persona, matrimonio iuncta, quae adulterium, uti persona soluta, quacum adulterium committit, transgressionis rea evadit, custodia ab uno ad sex usque menses punienda. Uxor vero gravius punienda est, si ex adulterio commisso de legitima nativitate prolis dubium oriatur. (§ 502).

d) Crimen calumniae ab eo committitur, qui aliquem afficti criminis reum coram magistratu arguit vel eum tali ratione accusat, ut eius incriminatio magistratui ansam praebeat causae inquirendae vel saltem perquisitionis contra reum instituendae. (§ 209).

e) Honoris laesi delictum vel transgressionem is committit, qui aliquem criminis cuiusdam incusat, quin incriminatio eo perveniat, ut qualitatem calumniae attingat, quae § 209 crimen declaratur.

Eiusdem delicti porro reus est, qui res de aliquo affictas vel deformatas, sive eius nomen apponit sive apta eius indicia affert, false spargit, unde certae huiusmodi inhonestae vel immoralis actionis reus coram populo despectui exponatur. (§ 488).

Honoris item laesi delictum committit, quicumque foliis periodicis vel picturis vel generatim publice, quin necesse habeat, adversus aliquem contumeliosas, etsi

veras, res vitae privatae vel familiae manifestat. (§ 489). Neque minus honoris laesi reum se efficit, qui alium publice vel coram pluribus hominibus, in libris, foliis vel picturis sive nominatim sive per apta eiusdem indicia, quin certas actiones afferat, despectabilium proprietatum vel opinionum arguit vel publico ludibrio exponit. (§ 491). In hoc casu demonstratio coram iudice ut vocatur veritatis admittitur.

Qui publice vel coram pluribus hominibus aliquem male tractat vel eum etiam absentem conviciis afficit vel clara et elata voce contumelias ei minatur, transgressionem laesi honoris committit. (§ 496).

Ius denique disciplinae domesticae eousque extendi non potest, ut qui disciplinae subiicitur, in suo corpore laedatur. Unde huiusmodi laesiones, parentum in suos liberos, tutorum in clientes, coniugis in coniugem, praeceptoris in discipulos, magistri in tirones, heri in famulos commissae, transgressiones sunt ideoque carcere puniendae. (§ 413).

Hae et aliae codicis poenalis sanctiones, quamvis exteriores tantum actiones respiciant, sacerdotes tamen in cura animarum non una ex parte iuvant, et ubi rite adhibentur, multa hominum facinora praecavent. Qui enim malas actiones vitat, is voluntatem perpetrandi facinora discit deponere et ideo abs re non est, si sacerdos rudiori forsan homini, qui motiva supernaturalia, quibus a malefactis cohiberi possit, minus pensare valet, cum illis etiam sanctiones codicis poenalis proponit.

Praeterea sacerdotes scandala in suis parochiis hinc inde tollere non possunt, nisi praetorem civilem in auxilium vocant. Caveant tamen dilecti in vinea Domini cooperatores Nostri, ne qui frequentius, quam oportet, ad talem recurrant. Vix umquam in suo privato negotio, in ecclesiastico autem nonnisi in vera necessitate et Nostro permissu prius expetito et obtento ad iudices civiles recurrant. *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali.* (Rom. 13, 3).

Caput CLXXXXV.

De visitatione sacrorum liminum deque relatione super statu dioecesis ad Sacram Congregationem Consistorialem.

Indubitata venerandae antiquitatis monumenta contestantur, a Summis Pontificibus a primis Ecclesiae incunabulis exercitum fuisse ius, ut universi catholici orbis Antistites de pastoralis sui ministerii procuratione redderent rationem seseque Summo Pastori sistere ac sacra Apostolorum limina visitare tenerentur.

S. Paulus ad s. Petrum venit, ut eum de controversia circa legalia consuleret. Corinthii Clementem Pontificem per litteras ac per Fortunatum de statu suae ecclesiae certiorem fecerunt. Idem cum Eleutherio martyres Lugdunenses praestiterunt. S. Cyprianus ad Cornelium Pontificem renunciatum scribit seseque apud eum excusat. S. Hieronymus Damasum Papam in occidentis et orientis consultationibus sese iuvisse testatur. Concilium Sardicense sancivit, ut Episcopi de singulis provinciis ad Pontificem referrent. S. Augustinus de relationibus a Concilio Carthaginensi ac Milevitano nec non et a se ipso Pontifici missis fidem facit. Innumeris relationibus Apostolicam Sedem fuisse consultam, testimonium perhibet s. Leo Magnus. S. Gregorius Magnus Antistitibus Siciliensibus indulget, ut non amplius singulis trienniis, sed singulis quinquenniis Romam conveniant.

Posteriorum temporum testimonia de lege sacra Apostolorum limina visitandi plena manu reperiuntur in Corpore iuris canonici, apud auctores, qui hac de obligatione conscripserunt, apud scriptores historiae ecclesiasticae.[1] Sixtus V. sanctae memoriae veteri disciplinae seu legi formam sollemnem superaddidit celebrata sua constitutione *Romanus Pontifex* diei 20. Decembris 1585.

[1] Angelus Lucidi, De visitatione sacrorum liminum. Editio tertia procurata per Iosephum Schneider S. I. Vol. primum (pagg. 3—18), secundum et tertium. Romae, 1883.

In constitutione *Immensa aeterni Patris* anni 1587 praedictus Pontifex Sacrae Congregationi Concilii curam demandavit, rationem, quae dicitur *relatio status ecclesiae*, perpendendi et examinandi ac postulatis in eadem proponendis respondendi.

Quum vero nulla umquam edita fuerit instructio pro dictis relationibus exarandis, in Synodo Romana, anno 1725 a Benedicto XIII. piae memoriae habita, praescriptum est, ut instructio hactenus omissa ederetur. Idcirco instructio Sacrae Congregationis Concilii *Summus Pontifex Sixtus* super modo conficiendi relationes statuum ecclesiarum, quas Episcopi occasione visitationis sacrorum liminum eidem S. Congregationi exhibere tenentur, iussu piae mem. Benedicti XIII. anno 1725 edita est. Memoratae relationes ad quaedam distincta capita reductae sunt, quorum primum ad statum ecclesiae materialem, secundum ad personam ipsius referentis, tertium ad Clerum saecularem, quartum ad Clerum regularem, quintum ad moniales, sextum ad seminarium, septimum ad ecclesias, confraternitates et loca pia, octavum ad populum et ultimum tandem refertur ad postulata, quae ab ipso referente Sacrae Congregationi proponuntur.

Egregiae huius instructionis auctor fuit Lambertinius, Secretarius S. Congregationis Concilii et posterius divinae providentiae munere ad s. Petri cathedram assumptus Benedictus XIV., uti ipse in classico suo opere *de Synodo dioecesana* adnotat: »Nobis, qui tunc in minoribus constituti eramus, ea cura commissa est, ut *instructionem ipsam* efformaremus«. Benedictus XIV. legislationem de visitatione liminum promovit constitutionibus *Quod Sancta* et *Decet Romanum Pontificem* datis IX. cal. Dec. 1740. Consimiliter tractavit desuper in libro decimo tertio de Synodo dioecesana capite VI. usque ad caput XIII. de visitatione sacrorum liminum et relatione status ecclesiae.[1] Alias de hoc capite disciplinae ecclesiasticae emanatas et divulgatas sanctiones praetermittimus.

[1] Benedict. XIV., De Synodo dioecesana. Romae, 1755. Pagg. 483–567.

Recentius de mandato Papae Pii X. Sacra Congregatio Consistorialis decretum *A remotissima Ecclesiae aetate* die 31. Decembris 1909 edidit, complectens septem *canones* de relationibus dioecesanis et visitatione sacrorum liminum. Insimul sub idem datum praescriptus est ordo servandus de statu ecclesiarum, comprehendens sedecim *capita.* Ut Clerus Lavantinus spiritum horum decretorum cognoscat ac praecepta Capitis Ecclesiae sciat eaque pro parte virili exequi valeat, sequatur hicce loci textus insignis sanctionis.[1]

Decretum

servandum ab omnibus locorum Ordinariis, qui S. Congregationi de Propaganda Fide subiecti non sunt.

A remotissima Ecclesiae aetate repetenda lex et consuetudo est, qua singuli Episcopi statis temporibus Urbem petant, ut sanctorum apostolorum Petri et Pauli limina venerentur suaeque statum dioecesis exponant Apostolicae Sedi: cuius rei illustria monumenta veteres Ecclesiae annales suppeditant.

Eiusmodi autem facti ratio in ipsa Ecclesiae natura et constitutione nititur atque a sacro Petri primatu necessario fluit, cui christiani gregis universi commissa custodia est per divina illa praecipientis Domini verba: *pasce agnos, pasce oves!* In utroque autem munere, quum visitationis sacrorum liminum tum relationis de statu dioecesis, debitae Petro eiusque successori submissionis et reverentiae continetur officium.

Verum, quamvis unum et alterum huius legis caput tot antea saeculis viguerit, serius tamen hac de re certior invecta est disciplina. Est enim Xysto V. tribuendum, quod is, constitutione edita die 20. mensis Decembris 1585,

[1] Dr. Georg Schmid, Das neue Dekret über die bischöfliche visitatio liminum und den Diözesanbericht bei der römischen Konsistorial-Kongregation. (Theologisch-praktische Quartalschrift. Linz, 1911. Pagg. 97—104). — Felix M. Capello, De visitatione ss. liminum et dioeceseon ac de relatione S. Sedi exhibenda. Commentarium in decretum *A remotissima Ecclesiae aetate.* Vol. I. Pagg. XVI + 732.

cui initium *Romanus Pontifex*, congrua ratione determinaverit, quibus temporibus et qua lege visitanda sacra limina essent et reddenda ratio Summo Pontifici de pastoralis officii implemento a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis: quibus etiam prospexerunt encyclicae litterae Sacrae Congregationis Concilii, datae die 16. mensis Novembris 1673. Abbatibus autem *nullius dioecesis* cautum est per constitutionem Benedicti XIV, datam die 23. mensis Novembris 1740, quae incipit *Quod sancta.*

Haec obtinuit ad nostros usque dies disciplina. Verum, effectis hodie multo facilioribus ac tutioribus dioeceses inter et Sanctam Sedem commerciis, iam praesentis aevi conditionibus haud respondere visa sunt ea, quae in memoratis constitutionibus decreta fuerunt circa visitationes ad sacra limina ac dioecesum relationes ad Apostolicam Sedem.

Re mature agitata in coetu Em.orum Virorum, Pontificio iuri in unum corpus redigendo praepositorum, conclusa ab iisdem SS.mi D. N. Pii Papae X. iussu ad hanc S. Congregationem Consistorialem delata sunt, eidemque commissum iudicium, utrum et quomodo eius coetus consilia publici iuris fieri atque in usum deduci possent, etiam ante promulgandum ipsum codicem.

Nunc vero, omnibus diligenter perpensis iisque inhaerens, quae a memorato coetu PP. Cardinalium deliberata sunt, S. Congregatio Consistorialis, de mandato SS.mi Domini nostri Eoque adprobante, decernit quae sequuntur:

Can. I. Abrogata lege temporum, quibus hactenus visitanda fuerunt sacra limina et relatio Sanctae Sedi exhibenda de statu dioecesis, omnes locorum Ordinarii, quibus dioecesani regiminis onus incumbit, obligatione tenentur referendi singulis quinquenniis ad Summum Pontificem de statu sibi commissae dioecesis ad normam canonum infra positorum et novi *ordinis* praesenti decreto adiecti.

Can. II. § 1. Quinquennia sunt fixa et communia incipientque a die 1. mensis Ianuarii anno 1911.

§ 2. In primo quinquennii anno relationem exhibebunt Ordinarii Italiae et insularum Corsicae, Sardiniae, Siciliae, Melitae aliarumque minorum adiacentium.

§ 3. In altero, Ordinarii Hispaniae, Lusitaniae, Galliae, Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae cum insulis adiacentibus.

§ 4. In tertio, Ordinarii imperii Austro-Ungarici, Germanici et reliquae Europae cum insulis adiacentibus.

§ 5. In quarto, Ordinarii totius Americae et insularum adiacentium.

§ 6. In quinto, Ordinarii Africae, Asiae, Australiae et insularum his orbis partibus adiacentium.

§ 7. Et ita per vices continuas singulis, quae sequentur, quinquenniis.

Can. III. § 1. In prima cuiusque Ordinarii relatione ad singula quaesita, quae in adiecto *ordine* continentur, distincte responderi debet.

§ 2. In relationibus, quae sequentur, sufficit, ut Ordinarii ad quaesita in singulis articulis contenta dicant, utrum novi aliquod habeatur necne.

Adiicient vero, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerint monita et mandata, quae S. Congregatio in sua responsione ad relationem significaverit.

§ 3. Relatio latina lingua est conficienda.

§ 4. Subsignanda autem erit, praeter quam ab Ordinario, ab uno vel altero ex *convisitatoribus*, qui de statu dioecesis magis conscii sunt et de ea testificari possunt.

Ipsi vero circa ea, quae ex relatione noverint, si publici iuris non sunt, gravi secreti lege adstringuntur.

Can. IV. § 1. Omnibus et singulis pariter praecipitur, ut, quo anno debent relationem exhibere, beatorum apostolorum Petri et Pauli sepulchra veneraturi ad Urbem accedant et Romano Pontifici se sistant.

§ 2. Sed Ordinariis, qui extra Europam sunt, permittitur, ut alternis quinquenniis, id est singulis decenniis, Urbem petant.

§ 3. Huic obligationi Ordinarius, vel ipse per se vel per Coadiutorem aut auxiliarem Episcopum, si quem habeat, satisfaciet; vel iustis de causis a S. Sede probandis, per idoneum sacerdotem, qui in eadem dioecesi stabilem commorationem teneat.

Can. V. Si annus exhibendae relationi adsignatus, ex toto vel ex parte, inciderit in primum biennium ab inito dioecesis regimine, fas erit Ordinario ab exhibenda relatione et a visitatione sacrorum liminum peragenda pro ea vice abstinere.

Can. VI. § 1. Proximo anno 1910 Ordinarii, qui relationis et visitationis obligatione tenentur, ex benigna SS.mi D. N. venia eximuntur.

§ 2. Annis autem 1911 et 1912 a relatione et visitatione abstinere licebit Ordinariis, de quibus in §§ 2 et 3 *can. II*, qui anno 1909 iuxta veterem temporum periodum legi satisfecerunt.

Qui vero de statu suae dioecesis referent, hi ad normam novi *ordinis* a S. Sede statuti huic muneri satisfaciant.

Can. VII. Denique cum sacrorum liminum visitatio et relatio dioecesana ad Apostolicam Sedem non sint confundendae cum lege de visitatione pastorali dioecesis, idcirco vigere pergunt praescripta a Concilio Tridentino, sess. XXIV cap. III *de reform.*, his verbis expressa: *Propriam dioecesim* (Episcopi) *per se ipsos aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium aut Visitatorem, si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen ut tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant.*

SS.mus autem D. N. Pius Papa X., his canonibus et adiecti *ordinis* normis mature perpensis, iussit haec omnia promulgari et evulgari mandavitque, ut ab omnibus, ad quos spectat, integre serventur, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 31. mensis Decembris anno 1909.

L. † S. C. Card. **de Lai**, S. C. Consistorialis Secretarius.
S. Tecchi, Adsessor.

Ordo servandus in relatione de statu ecclesiarum. Normae communes.

Prooemium relationis.

1. Significetur nomen et cognomen, aetas et patria Ordinarii; eius institutum religiosum, si ad aliquod ipse pertinet; quando dioecesis regimen susceperit; et si Episcopus est, quando fuerit consecratus.

2. Iudicium aliquod generale praebeatur de conditione religiosa et morali dioecesis, et utrum aliquis ab ultimo quinquennio religionis progressus vel regressus habitus sit.

Cap. I. Generalia de statu materiali.

3. Indicetur paucis et perspicuis verbis:

a) origo dioecesis, eius titulus seu gradus hierarchicus cum privilegiis potioribus: sitne archiepiscopalis, quot et quas habeat suffraganeas sedes; si sit episcopalis, cui archiepiscopali suffragetur; si immediate subiecta, cui metropolitano debeat adhaerere pro Synodo;

b) extensio dioecesis, ditio civilis, caeli temperatio, lingua;

c) locus residentiae Ordinarii cum indicationibus necessariis, ut epistolae tuto mittantur;

d) summa incolarum et praecipua oppida; quot inter incolas sint catholici; et si varii adsint ritus, quot catholici in singulis; et si adsint acatholici, in quot et quales sectas dividantur;

e) numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum seminarii;

f) utrum et quot *capitula* canonicorum aliique sacerdotum coetus ad instar capitulorum sint in dioecesi;

g) quot sint paroeciae vel quasi-paroeciae, cum numero fidelium in iis, quae maximae vel minimae sunt; in quot vicariatus foraneos aliasve circumscriptiones paroeciae dividantur; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis;

h) utrum et quaenam instituta religiosa virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sive sacerdotum sive laicorum;

i) utrum et quaenam instituta religiosa mulierum, cum numero domorum et religiosarum.

Cap. II. De fide et de cultu divino.

4. Utrum divinus cultus libere in dioecesi exerceatur; sin minus, unde obstacula proveniant, a civilibusne legibus an ab hostilitate perversorum hominum vel acatholicorum (si adsint), vel ab alia causa; quaenam ratio suppetat ad ea amovenda vel sin minus imminuenda; et num adhibeatur.

5. Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis seu paroeciis fidelium necessitati sufficiat.

6. Utrum generatim ecclesiae et sacella publica satis instructa sint iis, quae ad fabricam ac supellectilem pertinent; et quaenam generatim cura habeatur, ut eadem munda sint et decenter ornata.

7. Utrum in singulis ecclesiis inventarium omnium bonorum et supellectilium habeatur, et quomodo custodiatur, ne morte rectoris aut alio quolibet eventu contingat, ut aliquid subtrahatur aut disperdatur.

8. Utrum sint ecclesiae, in quibus res vel supellectiles habeantur materia, arte, antiquitate pretiosae, praesertim codices vel libri, picturae, sculpturae, opera musiva arte vel antiquitate insignia; quomodo custodiantur; sintne haec recensita in inventariis, et an de iis speciale inventarium penes Curiam servetur.

Cautumne sit, ne quid etiam tenue, sed ratione materiae, artis vel antiquitatis pretiosum, sine licentia S. Sedis et iudicio peritorum venumdetur.

9. Utrum singulis diebus, mane et vespere horis opportunioribus, ecclesiae pateant fidelibus.

Utrum debita vigilantia custodiantur, ne sacrilegiis, profanationibus aliisve damnis obnoxiae sint.

10. Utrum, dum sacra peraguntur, ita omnibus fidelibus pateant, ut quilibet vel pauperrimus absque gravamine vel rubore libere ingredi ibique adstare valeat.

11. Utrum aliquando ecclesiae vel sacella adhibeantur ad aliquem profanum usum, ad academicos coetus, musicos concentus aliaque id genus.

12. Utrum in omnibus ecclesiis et sacellis, in quibus SS.ma Eucharistia asservari debet vel potest, conditiones a iure requisitae ad conservationem SS.mi Sacramenti accurate serventur; et an cura sit, ut altare SS.mi Sacramenti cultu, munditie et ornatu emineat.

13. Utrum poenitentiae tribunalia collocata sint in patenti ecclesiae loco et cratibus instructa iuxta canonicas leges.

14. Quomodo custodiantur sacrae reliquiae in ecclesiis et sacellis. Utrum ibidem adsint reliquiae sigillo vel documento authenticitatis destitutae vel plane suspectae. Et an idcirco in visitatione Ordinarius aliquid decreverit.

Utrum, quod sciatur, penes privatas personas reliquiae insignes serventur; quo iure et qua cum veneratione.

15. Utrum in cultu divino, sanctorum veneratione, administratione sacramentorum aliisque sacris functionibus liturgicae leges serventur.

Irrepserintne singulares consuetudines, et quaenam; num hae S. Sedis auctoritate aut vetustissimo usu rite approbatae dici queant

aut saltem toleratae; et si tales non sint, quid fiat, ut prudenter deleantur.

Speciatim vero, utrum lingua et cantus liturgicus iuxta S. Sedis decreta adhibeantur.

16. Utrum graves errores contra fidem serpant inter dioecesis fideles. Adsintne e Clero, qui eisdem infecti sint. Quaenam huius mali fuerit vel adhuc sit causa. Quid fiat, ut eidem malo occurratur.

17. Utrum consilium *vigilantiae* et officium *censorum* ad haec praecavenda institutum sit; quibus personis constet; et an diligenter munera sua ipsae adimpleant, et quo fructu.

Cap. III. Dei iis, quae ad Ordinarium pertinent.

18. Quibus bonis et reditibus mensa Ordinarii polleat. An et quali aere alieno gravetur.

Quomodo administratio geratur; utrum independenter ab auctoritate civili necne; an seorsim a caeteris dioecesis vel piorum operum bonis et proventibus vel cumulate; qua methodo et per quas personas.

19. Utrum adsit domus Ordinario dioecesis propria, vel privatam ipse conducere cogatur. In utroque casu num aedes ita instructae sint, ut Ordinarii dignitati congruant et luxum non redoleant.

20. Cum quibusnam personis Ordinarius habitet, et quaenam sit earum vitae ratio.

21. An, a quibus S. Sedis officiis et quibusnam specialibus facultatibus et privilegiis ipse qua Ordinarius instructus sit.

22. Quomodo residentiae legi satisfaciat.

23. Quoties consuescat in cathedrali templo vel alibi sacris functionibus interesse aut pontificalia peragere.

24. Qua frequentia sacris concionibus et pastoralibus litteris Clerum ac populum instruat. Et quatenus sit impeditus a praedicando, an per alios opportune suppleat.

25. Quot et quales adsint in dioecesi casus reservati; et quibus Ordinarius committat facultatem ab eisdem absolvendi.

26. Qua frequentia sacramentum confirmationis administret; et utrum pro dioecesis conditione petitionibus fidelium satisfacere ipse per se valeat; et, si ipse non valeat, quomodo et per quos suppleat.

Utrum in huius sacramenti collatione canonicae regulae de aetate confirmandorum ac de patrinis serventur.

27. Utrum ipse per se vel per alium Episcopum sacras ordinationes contulerit.

Et in hoc peragendo, dum studuit dioecesim locupletare idoneorum sacerdotum copia, utrum sartum tectum servaverit Tridentini Concilii praescriptum non promovendi, qui non essent necessarii vel utiles ecclesiae, pro qua assumuntur.

28. Utrum ipse per se vel per Vicarium generalem aut per alios viros a se deputatos totam dioecesim ita visitaverit, ut singulis annis vel saltem bienniis de statu singularum paroeciarum certam notitiam habere potuerit.

An visitando paroecias praeter ea, quae pertinent ad divinum cultum, populi mores, religiosam puerorum et adolescentium institutionem, legatorum satisfactionem aliaque, visitationem, quam vocant personalem, Cleri peregerit, singulos audiendo, ut cognoscat, quae sit eorum vitae ratio, qui spiritus precum, quod studium procurandae proximorum salutis aliaque.

29. Utrum curaverit, ut Conciliorum et S. Sedis leges et praeceptiones in dioecesi nota fierent et ab omnibus servarentur.

30. Utrum dioecesanam Synodum congregaverit; et si nullam coëgerit, an, quomodo et quanam potestate suppleverit.

31. Si sit metropolitanus, an provinciale Concilium aut saltem collationes seu *conferentias* episcopales habuerit, et quoties.

Exemplar eorum, quae in *conferentiis* communi consilio conclusa sunt, ad S. Sedem (si adhuc factum non fuerit) transmittat.

32. Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate; an episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam per servilitatem erga humanas potestates vel alio modo detrimentum libertati et immunitati Ecclesiae aut dedecus statui ecclesiastico obvenerit.

Cap. IV. De Curia dioecesana.

33. Utrum habeatur Vicarius generalis, qui tum virtutis ac doctrinae opinione tum gradus doctoralis auctoritate polleat; et quot aliis ministris constet dioecesana Curia.

34. Utrum et quot adsint examinatores et iudices synodales aut pro-synodales.

35. Utrum adsit tribunal ecclesiasticum cum suis administris rite constitutum; aut saltem possit constitui, si necesse sit.

36. Utrum Curia dioecesana aedes proprias convenienter instructas habeat cum tabulario, in quo pars secreta documentorum tuto ac seorsim ab aliis documentis custodiatur. An archivum ipsum sit bene ordinatum.

37. Quaenam taxa in usu sit pro actis Curiae rependendis; an et quando approbata; et an conformis caeteris, quae in provincia ecclesiastica aut regione vigent.

38. Utrum Ordinarius cognoscat querelas adesse ob Curiae taxas; et an in re praesertim matrimoniali concubinatus aut alia mala accidisse sciat ob earum gravitatem seu ob rigorem exactionis earumdem. Quomodo taxarum proventus erogetur.

39. Utrum ex multis aut ex aliis titulis speciales alii proventus Curiae sint; et quomodo erogentur.

Cap. V. De Clero generatim.

40. Referatur generatim, quinam sint Cleri mores, qui cultus ac doctrina, quod studium aeternae salutis proximorum, quae pietas; quaenam erga suum Ordinarium Summumque Pontificem obedientia et reverentia; quaenam inter sacerdotes concordia, coniunctio, caritas.

41. Utrum vestis talaris adhiberi possit et reapse adhibeatur a Clero; et in quolibet casu, an Clerus habitu proprio et decenti induatur, nec sint hac in re scandala vel dicteria.

42. Utrum sacerdotes in Missae celebratione praeparationem et gratiarum actionem debite peragant; an serotinae visitationi SSmi Sacramenti assueti sint; qua frequentia ad poenitentiae sacramentum accedere soleant.

43. Utrum ad spirituales exercitationes statis temporibus omnes et singuli per vices conveniant, qua frequentia et quibusnam in aedibus; an Ordinarius hac occasione salutaria monita sive in communi sive in particulari pro opportunitate Clero praebere non omittat.

44. Utrum collationes seu conferentiae ecclesiasticae de quaestionibus moralibus seu casibus conscientiae, itemque theologiae et liturgiae habeantur; qua frequentia, qua methodo, quo fructu.

45. Quae Ordinarii cura sit de iunioribus sacerdotibus, ut postquam sacerdotio initiati sunt, studia non deserant et pietate adhuc proficiant.

46. Pro emeritis sacerdotibus infirmis et pauperibus an domus aliqua habeatur, in qua recipiantur et debita caritate sustententur; an saltem reditus speciales constituti sint, quibus eisdem subveniatur.

47. Utrum adsint sacerdotes, qui quamvis viribus et iuvenili aetate polleant, otiosi tamen vivant, adeo ut inutiles vel etiam noxii dioecesi sint; quaenam huius rei sit causa, et an et quomodo huic malo occurri possit.

48. Utrum adsint de Clero, qui rebus politicis et factionibus civilibus immodice et indebite se immisceant cum offensione aliorum et spiritualis ministerii detrimento; et quid factum sit aut fieri possit, ut intra iustos limites contineantur.

Et in dioecesibus, ubi una vivunt catholici variorum rituum aut diversae linguae vel nationis, an idcirco adsint in Clero contentiones et aemulationes; quid fiat, ut exstinguantur, et spiritus Christi in omnibus inducatur.

49. Utrum, quod Deus avertat, aliquis habeatur sacerdos, qui vitam minus honestam agat aut agere publice videatur; vel cui imputetur aliquod aliud crimen post ultimam relationem dioecesanam patratum.

Nullane habeatur, quam Ordinarius sciat aut suspicetur in suo Clero, violatio legis de observandis et vitandis in satisfactione Missarum manualium.

Caveantne sacerdotes nedum a libris, sed etiam a diariis irreligiosis vel impiis legendis, nisi gravis et legitima causa intercedat.

50. Quid factum sit tum ad salutarem lapsorum correctionem, tum ad scandali (si adfuerit) reparationem.

Utrum et quoties suspensio *ex informata conscientia* in quinquennio irrogari debuerit; quo fructu; et quaenam sit regula, quae in hoc adhibetur.

51. Utrum generatim Clerus sive ex eleemosynis Missarum sive ex aliis ministerii spiritualis proventibus aut ex beneficiis ecclesiasticis habeat, quo honeste vivere possit.

Cap. VI. De capitulis.

52. Utrum adsit cathedrale canonicorum capitulum; quot canonicis et dignitatibus constet; et an adsint theologi et poenitentiarii officia.

53. Quomodo canonicorum, officiorum et dignitatum provisio locum habeat; utrum libere iuxta commune ius an alia aliqua speciali ratione.

54. Utrum et quali praebenda singuli fruantur; et an haec distincte administretur; an potius vigeat regimen communis *massae*. In quolibet casu an specialis alia communis *massa* habeatur pro distributionibus quotidianis, pro Missa conventuali, pro expensis fabricae et cultus.

55. Utrum et a quo tempore capitulum suas habeat constitutiones legitime approbatas, et an eas servet.

56. Quale sit chorale servitium tam pro recitatione divini officii quam pro Missae conventualis celebratione; quotidianumne iuxta commune ius, an potius intermissum; et quo indulto.

57. Utrum et quot adsint canonici honorarii; an excedant numerum a sacris canonibus statutum.

58. Deficiente cathedrali capitulo, an habeatur consultorum collegium; quot personis constet; quibus aliis ministeriis iidem vacent; et an ita proximi sint civitati episcopali, ut facile congregari possint.

59. Quanam canonici vel consultores existimatione gaudeant in dioecesi. Utrum ipsi concordes inter se et cum Ordinario sint; an potius aliquid Ordinarius habeat, quod eorum de agendi ratione doleat.

60. An Ordinarius eos rite convocet, ut in negotiis maioris momenti consilium vel consensum iuxta sacros canones requirat.

61 Utrum, sede vacante, capitulum libere procedere possit ad vicarii capitularis electionem; an potius, sede vacante, alia sit consuetudo providendi dioecesis regimini, quaenam sit et quonam iure vigeat.

62. Si alia habeantur in dioecesi canonicorum capitula, dicatur, quid de singulis obtineat quoad numerum, chorale servitium, praebendas et reditus capitulares bonamque existimationem.

Cap. VII. De paroeciis earumque rectoribus.

63. Utrum omnes paroeciae de suo proprio pastore sint provisae; an potius adsint, quae ab aliquo viciniore parocho vel ab aliquo canonico ad tempus regantur; quam ob causam; et an idcirco incommoda notabilia aut mala sequantur.

64. Utrum provisio paroeciarum fiat per concursum; et quomodo concursus ipse celebretur.

65. Utrum adsint paroeciarum seu animarum rectores ad nutum amovibiles.

66. Utrum, quibusnam sub conditionibus et quo iure adsint paroeciae Ordinibus seu Congregationibus religiosis addictae.

67. Utrum habeantur paroeciae, in quibus cura animarum habitualis penes capitula aliasve personas existat.

68. Utrum adsint paroeciae, obnoxiae iuri patronatus, ecclesiastico vel laico, sive familiari sive populari sive regio, quaenam praxis vigeat in earum provisione; an et quaenam incommoda hac de re acciderint.

69. Utrum emolumenta, quae occasione administrationis sacramentorum, funerum, celebrationis Missarum sollemnium, attestationum, publicationum a parochis percipi solent, recognita sint ab Ordinario vel diuturno usu probata.

Et an sive ob gravitatem parochialium taxarum, sive ob rigorem exactionis earumdem inconvenientia aliqua et querelae, praesertim in re matrimoniali et in funeribus, deploranda sint.

70. Utrum et qua dote certa parochi eorumque ecclesiae generatim honestentur; an potius ex solis stolae incertis et fidelium oblationibus vivere debeant.

Si bonis immobilibus parochus eiusque ecclesia fruantur, quomodo administratio geratur, et quomodo caveatur pro conservatione patrimonii sacri alterutrius vel utriusque.

In quolibet casu an parochi habeant, quo honeste sustententur et quo expensis occurrant pro animarum cura et pro parochialibus functionibus necessariis.

71. Utrum parochi domum canonicam habeant; et an ibi cum parocho eius adiutores una vivant. Et si ita non sit, an et quod studium habeatur, ut hoc regimen inducatur.

72. Utrum, qua lege et qua observantia caveatur, ne quolibet sub praetextu, etiam ratione servitii, iuniores mulieres (etiam consanguineae, si cum parocho adiutores simul vivant), parochiales domus inhabitent aut frequentent; et an cura sit, ne in parochialibus

aedibus familiae consanguineorum parochi cum filiis et nepotibus degant.

73. Utrum libri parochiales adsint in singulis paroeciis, et ibi iuxta canonicas praescriptiones adnotentur, quae pertinent ad baptismum, matrimonium ac mortem fidelium.

Speciatim circa matrimonium, an novissima lex servetur, qua iubetur de peracto matrimonio inscriptionem fieri in baptizatorum libro ad singulorum nomen.

An habeantur quoque libri confirmatorum et status animarum, itemque tabellae seu libri Missarum fundatarum et manualium iique diligenter redigantur ac serventur.

74. Utrum in singulis paroeciis tabularium aliquod adsit illudque in duas partes, publicam et secretam, divisum et utrumque naviter custoditum.

75. Utrum parochi aliique animarum curatores debitam residentiam servent.

76. Utrum diebus festis Missam pro populo applicent sacrasque functiones ad diei festi sanctificationem proprias cum zelo et fructu celebrent; potissimum vero an evangelium explicent et catechesim tam pueris quam adultis tradant, qua methodo, quo fructu.

An adsint hisce in rebus negligentes.

77. Utrum in audiendis confessionibus, sacra Eucharistia distribuenda, infirmorum adsistentia semper praesto sint, nihilque inconveniens vel nulla querela hac de re habeatur.

78. Utrum, nisi gravis et legitima causa in aliquo speciali casu obstet, baptismum administrent et matrimonio adsistant in ecclesia, servatis sollemnitatibus a Rituali Romano praescriptis.

79. Quomodo se gerant erga fideles, qui, sectis secretis notorie addicti vel alia quavis de causa extra Ecclesiae sinum viventes, sacramenta in extremis deposcunt; et erga eos, qui extra Ecclesiae sinum defuncti christiano more sepeliri a consanguineis velint.

80. Quaenam sit consuetudo in admittendis pueris ad primam communionem; et an sarta tecta servetur regula a Catechismo Concilii Tridentini tradita, ut pueri, qui sui confessarii et parentum iudicio discretionis sunt capaces, a sacra mensa non prohibeantur nec diu arceantur.

81. Utrum parochi pro viribus curent fideles suos in fide roborare, ad sacramentorum frequentiam, praesertim ad s. communionem etiam quotidianam excitare et in christianae vitae more et puritate continere. Et ad hunc finem, praeter consueta sui officii munera,

a) an aliquoties in anno, diebus praesertim sollemnioribus vel tempore adventus, quadragesimae vel mariani mensis, praeconem et confessarium extraordinarium advocent;

b) an identidem post aliquam annorum periodum sacras missiones in sua paroecia haberi curent;

c) an pias devotiones ab Ecclesia probatas, ut expositionem SSmi Sacramenti, viam crucis, rosarium, mensem marianum aliaque similia in sua ecclesia celebrent et fidelibus commendent; et quaenam magis in usu sint in dioecesi;

d) an studeant pueros, puellas et maioris aetatis fideles allicere, ut ad pias uniones, patronatus, sodalitates vel consociationes catholicas se adscribant;

e) an prudenter instituant vel saltem foveant opera socialia, quae Ecclesiae catholicae spiritu aluntur.

Cap. VIII. Art. I. De Seminario dioecesano.

82. Paucis dicatur quae sit Seminarii fabrica, novane an vetus, quot alumnis continendis capax, an disciplinaribus et hygienicis regulis respondens, an a servitutibus libera, hortis et atriis ad recreationem instructa.

Si vero dioecesanum Seminarium non unicum sit, sed in *maius et minus* vel in plura alia aedificia divisum, exponatur, quae sit materialis singulorum conditio.

83. Quinam sint Seminarii vel Seminariorum reditus, an et quali aere alieno graventur; quae pensio ab alumnis persolvatur; quomodo pauperibus subveniatur.

84. Dicatur, quinam sit rector, qualis eius aetas, qualesque sint eius qualitates; quot alii eum in regimine adiuvent; et utrum hi, et quidem omnes, muneri commisso digne satisfaciant et alumnos in disciplina et pietate instituant; an potius aliquid animadvertendum sit.

Si vero Seminarium a congregatione aliqua religiosa regatur, indicetur, quaenam sit haec congregatio, quando, quibusnam conditionibus et an ex S. Sedis venia curam pii instituti susceperit, et an praefatis conditionibus satisfaciat.

85. Utrum habeatur magister pietatis, vulgo *director spiritualis*, in Seminario degens et nullo alio officio implicatus; et an, praeter ipsum, sufficiens copia aliorum confessariorum detur.

86. Utrum adsint deputati pro disciplina et pro oeconomia a S. Concilio Tridentino praescripti; et an Ordinarius eorum consilium iuxta iuris praescripta requirat.

87. Utrum magistri in Seminario convivant necne; et an quoad eorum idoneitatem, pietatem, agendi rationem (praesertim si Seminarium incolant) aliquid animadvertendum sit.

88. Quot sint actu Seminarii alumni; et an inter eos admittantur, qui ad statum ecclesiasticum certe non aspirent.

An et quot externi alumni habeantur; qua de causa; et an fieri possit, ut et ipsi quam primum Seminarium ingrediantur; interim quomodo vigilentur; an saltem cura sit, ut ante sacram ordinationem per aliquod notabile tempus in Seminario degant.

An et quot alumni extra dioecesim instituantur, ubi et qua de causa.

Et vicissim an clerici alterius dioecesis in Seminarium dioecesanum recepti sint, quot, quarum dioecesum et quibusnam de causis.

89. Si unum sit Seminarium, et simul convivere debeant aetate iuniores cum maioribus, an debitae cautelae adhibeantur, ut seorsim hi ab illis et cum disciplina suae cuiusque aetatis propria instituantur.

90. Quomodo pietas et disciplina excolatur in Seminario; quaenam sit sacramentorum frequentia; an, quoties in anno et quomodo spirituales exercitationes fiant.

91. Quot annis, qua lingua, qua methodo, quorum auctorum textibus theologiae et philosophiae studia absolvantur; quot et quaenam disciplinae hisce accessoriae tradantur.

Quot annis et qua methodo humaniora studia perficiantur; et in his praeter linguas latinam, graecam et propriae nationis an et quaenam aliae disciplinae tradantur.

An clerici in sacris caeremoniis et cantu liturgico instituantur.

92. An prohibeantur alumni a lectione librorum ac diariorum, quae quamvis in se innoxia, eos tamen a studiis suis distrahere possunt.

93. Utrum Ordinarius saepe Seminarium invisat et alumnos pro viribus ipsemet audiat, ut cognoscat, quo spiritu educentur, quaenam sit eorum pietas, quinam in studiis profectus.

94. Quae regulae serventur in promotione alumnorum ad ordines; quale scrutinium habeatur et quale examen, ut constet, quinam pietate, scientia, vitae integritate aliisque requisitis sacra ordinatione digni et idonei censeantur; an spirituales exercitationes praemittantur; an interstitia serventur; quo titulo ordinentur.

95. Utrum ab ultimo quinquennio extraordinarium aliquid in Seminario acciderit sive bonum sive malum.

96. Utrum adsit rusticationis domus, et ibi alumni feriarum tempore adunentur. Ea si desit, an et quae spes sit, ut comparetur, et ibi alumni saltem maxima ex parte temporis agant ferias.

Interim dum ad suos revertuntur, an parochi naviter de iis curam habeant et Ordinarium certiorem reddant de eorumdem agendi ratione; quaenam hac de re normae praescriptae sint in dioecesi.

97. Utrum cura sit, ut maioris spei clerici, sive ante sive post susceptum sacrum presbyteratus ordinem, in aliqua pontificia studiorum universitate, sive Romae sive alibi, instituantur, ut academicos gradus assequantur.

98. Si qui vero cum Ordinarii venia vel eius mandato publicas civiles studiorum universitates frequentant, an pro iis regulae a S. Sede statutae serventur, ut ipsi a perversione custodiantur et a fide vel ab ecclesiasticae vitae institutis non deflectant.

99. Si clerici servitium militare obire cogantur, quae cautelae adhibeantur, ut ii in stipendiis honestam vitam agant, prout ecclesiasticos decet; et a stipendiis dimissi sine aliorum periculo utiliter ad Seminarium regredi et ad sacros ordines post debitam ac maturam probationem tute promoveri queant.

100. Utrum firma sit regula, non admittendi in Seminarium reiectos vel dimissos ab aliis Seminariis vel ab institutis religiosis.

Art. II. De Seminario interdioecesano seu regionali.

101. Si in dioecesi habeatur Seminarium, quo alumni plurium dioecesum vel totius alicuius regionis conveniant, et ipse loci Ordinarius huic Seminario praesideat, de eius statu fuse referat iuxta quaesita superius relata pro Seminario dioecesano.

Quod si huic Seminario ipse non praesit, indicet, cuius immediate directioni subsit, et exponat, quid de eo fama ferat.

Cap. IX. De institutis religiosis virorum.

102. Utrum vitam communem servent vel habitent soli aut in domibus privatis cum saecularibus; quo habitu incedant; quo modo sustententur; quae sit eorum fama; utrum aliqui in maioribus ordinibus constituti adsint in dioecesi a suis Praepositis electi vel dimissi; et quaenam sit eorum agendi ratio.

103. Quibusnam muneribus obeundis se addicant in dioecesi; quo fructu, qua fama; an eorum hospitalia, orphanotrophia, scholae etc. iuxta canonicas praescriptiones Ordinarii vigilantiae subsint.

Qui curam animarum in parochiis sibi addictis exercent, an in omnibus, quae ad istam curam spectant, ab Ordinario dependeant.

104. Si religiosi adsint quaestuantes, utrum opportuna S. Sedis decreta hac de re edita ab eis serventur, et an aliquid inconveniens in his acciderit.

105. Utrum aliquod habeat Episcopus cum regularibus offendiculum in exercitio iurisdictionis sive suae sive sibi a iure delegatae.

106. Si congregatio aliqua dioecesana adsit, dicatur, in quem finem fuerit instituta, an fini suo respondeat et quo fructu. An in alias dioeceses se diffuderit, et quo vinculo domus extradioecesanae cum dioecesanis nectantur.

Cap. X. De institutis religiosis mulierum.

107. Utrum generatim ita religiose vivant, ut fidelium exemplo sint; an forte aliqui abusus irrepserint, praesertim post ultimam relationem et quinam.

Utrum in monasteriis monialium, Praelatis regularibus subiectis, omnia prout de iure procedant an aliter; et hoc in casu quomodo provisum fuerit.

108. Utrum circa clausuram serventur leges canonicae.

109. Utrum monasteriorum reditus fideliter administrentur; an monialium dotes fuerint persolutae et investitae et quomodo administrentur.

An ipsae quoque moniales exemptae Ordinario rationem reddant de bonorum administratione iuxta canonicas leges.

110. Utrum pro confessione monialium constitutiones et decreta apostolica serventur.

111. Quae *vitae activae* addictae sunt, quibus operibus incumbant, quo spiritu, qua fidelium utilitate et Ecclesiae aedificatione.

112. Si adsint, quae infirmis in privatorum domiciliis inserviant aut rem domesticam in hospitalibus aliisque virorum domibus gerant, quomodo caveatur, ne quid inconveniens accidat; an cautelae ipsae rite custodiantur; an aliquid hac in re deplorandum sit.

Si religiosae adsint quaestuantes, utrum opportuna S. Sedis decreta hac de re edita ab eis serventur, et an aliquid inconveniens in his acciderit.

113. Si instituta mere dioecesana habeantur, an haec cohaerenter ad canonicas leges regantur, in quem finem fundata sint, quo fructu vivant, an etiam extra dioecesim diffusa sint, et an variae domus ab invicem independentes sint an non.

Cap. XI. De populo generatim.

114. Quinam in universum sint populi mores, et an specialia vitia in eo invalescant et quaenam.

115. Utrum Dominicis et festis diebus fideles generatim abstineant ab operibus servilibus, Missam audiant et hos dies, prout christianos decet, sanctificent.

Si inter varia dioecesis loca differentiae notabiles adsint, hae notentur.

116. Eodem modo referatur, quae sit observantia legum abstinentiae et ieiunii et paschalis praecepti.

117. Pariter indicetur, quae sit frequentia ad sacramentalem confessionem et ad s. communionem in variis dioecesis locis pro diverso personarum sexu, conditione, aetate.

118. Utrum parentes solliciti generatim sint, ut recens nati saltem intra hebdomadam baptismo abluantur; an sint, qui nimium differant aut forte negligant vel prohibeant baptismum ministrari.

119. Utrum matrimonia mere civilia sive concubinatus habeantur et qua frequentia. An alii speciales vigeant abusus contra sanctitatem matrimonii.

120. Utrum usus matrimoniorum mixtorum, ubi sunt acatholici, invaluerit, qua frequentia et an ex legitima venia. An conditio de universa prole in catholica religione educanda servetur. Quaenam catholicae fidei detrimenta ex his matrimoniis proveniant. An ab huiusmodi contrahendis nuptiis parochi studeant fideles avertere.

121. Utrum parentes generatim curent filios suos non solummodo in sinu familiae sed etiam extra, et maxime in scholis, christianis moribus instituere.

122. Utrum fideles, qui graviter decumbunt, generatim extrema sacramenta deposcant.

An, quo numero et quibusnam de causis funera civilia contingant.

123. Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium curent fideles ita agere vel tales eligere, quo religioni et libertati Ecclesiae plene consulatur.

124. Utrum adsint in dioecesi sectae secretae, praesertim massonicae.

An socialismus aliaeque societates ab Ecclesia damnatae in dioecesi radicem fixerint et propagentur.

An *spiritismi* praxis habeatur.

Quid fiat, ut fideles ab his omnibus avertantur, et quo profectu.

Cap. XII. De iuventutis institutione et educatione.

125. Referatur in primis ac generatim, quae sit ratio institutionis et educationis filiorum in dioecesi iuxta usum legesque civiles.

Utrum contra sacrum Ecclesiae et parentum catholicorum ius opponantur christianae iuventutis educationi obstacula; et quid fiat, ut haec amoveantur.

Utrum scholae distinctae iuxta sexum sint an utrique sexui communes; quae mala inde sequantur, et quaenam remedia adhibeantur.

126. Si agatur de dioecesi in catholica natione constituta, dicatur, utrum ibi scholae publicae primordiorum, vulgo *elementares,* bonae vel innoxiae generatim sint, et an ibidem per ecclesiasticos viros aut idoneos magistros christiana doctrina digne tradatur; an potius noxiae sint.

Et in hoc casu an scholae liberae habeantur; quomodo sustententur; a quot alumnis frequententur, an Ordinarii vigilantiae et inspectioni subsint.

127. Si agatur de dioecesi, ubi catholici cum acatholicis commixti sint, an catholici scholas proprias primordiorum habeant, et quinam sit earum status.

Et si scholas proprias non habeant et frequentare cogantur scholas publicas mixtas, an saltem catholica fides ibi non offendatur et catholicis alumnis iusta libertas relinquatur, ut in fide per ecclesiasticos viros vel idoneos magistros instituantur.

128. Quod si pueri et puellae scholas publicas primordiorum adire cogantur, quae noxiae sint, quid fiat, ut iuventus a perversione et corruptione immunis fiat.

129. Utrum scholae mediae vel superiores, quae in dioecesi habentur vel ad quas dioecesani confluere solent, hostiles sint vel non catholicis veritatibus et doctrinis.

Et si sint hostiles, quid fiat, ut adolescentes ab erroribus et vitiis praeserventur. An habeantur scholae mediae vel superiores catholicis propriae; et quinam sit earum status.

130. Utrum opera, quae *post-scholaria* dicuntur, ut recreatoria, circuli, scholae catecheticae, oratoria serotina et festiva ad sanam christianae iuventutis institutionem et praeservationem in dioecesi habeantur, quaenam et quo fructu.

Cap. XIII. De piis sodalitatibus aliisque religiosis consociationibus.

131. Utrum adsint piae sodalitates aliaeque religiosae consociationes rite institutae, quot et cuius nominis; an habeantur eae, quae a S. Sede potissimum commendatae sunt, ceu illae a SSmo Sacramento, a rosario, a christiana doctrina aliaeque pro pueris et puellis in fide, pietate morumque puritate excolendis.

132. Utrum erectae sint in ecclesiis paroecialibus et religiosorum vel habeantur etiam, quae in propriis et distinctis ecclesiis exsistant.

An in ecclesiis monialium sodalitates virorum adsint, et qua facultate.

133. Utrum ab auctoritate ecclesiastica iuxta canonicae legis praescripta dependeant; quem fructum afferant; an forte aliquod gignant incommodum.

134. Utrum adsint tertiarii in saeculo viventes, cuius ordinis, quo fructu; an saepe congregentur et an sint exemplo fidelibus.

135. Utrum in aliqua pia sodalitate vel tertio ordine adsint et in fratres seu sodales recipiantur, qui notorie addicti sint sectis ab Ecclesia damnatis, vel religioni adversi aut inhonestae vitae sint. Et quid fiat, ut hoc malum avertatur.

Cap. XIV. De piis legatis et eleemosynarum collectionibus.

136. Utrum habeantur in dioecesi pia legata Missarum aliorumve religiosorum onerum, et an de iisdem Curia dioecesana indicem habeat cum recensione onerum et indicatione reddituum.

137. A quibus generatim administrentur, an fideliter et fructuose.

138. Utrum Missis legatorum aliisque obligationibus intra praescriptum tempus regulariter satisfiat; et si hoc nequeat fieri, an reditus praesertim Missarum fundatarum Ordinario tradantur; an adsint, qui hac de re ad officium revocari mereantur aut revocati iam sint, et quo fructu.

139. Utrum et quo fructu fiant in dioecesi piae collectiones eleemosynarum a S. Sede praescriptae vel commendatae pro communi Ecclesiae bono, ut pro fidei propagatione, pro sancta Infantia, pro redemptione captivorum, pro obolo s. Petri, pro Terra sancta.

140. Utrum fiant collectiones speciales pro ipsius dioecesis necessitatibus, ut pro fidei conservatione, pro praeservatione ab erroribus et Cleri pro sustentatione, si opus sit.

141. An et quaenam aliae collectiones eleemosynarum in dioecesi usuveniant.

Si religiosi vel religiosae quaeritantes habeantur, an tot sint numero, ut nimium gravamen fidelibus afferri videatur.

Cap. XV. De operibus piis et socialibus.

142. Utrum hospitalia, orphanotrophia, brephotrophia aliaque similia caritatis instituta in dioecesi fundata sint; et an dependeant ab auctoritate ecclesiastica iuxta S. Concilii Tridentini praescripta. Et nisi dependeant, referatur, an in iis, quae a materna Ecclesiae protectione et directione subtracta sunt, catholici spirituali adsistentia frui saltem libere possint.

143. Utrum adsint in dioecesi opera illa quae *socialia* dicuntur, quibus dum consulitur bono morali et religioso fidelium, prospicitur etiam eorum temporali utilitati vel necessitati, ut asyli pro infantibus, patronatus pro iuvenibus utriusque sexus, circuli pro iuventute catholica aut pro studiis peragendis, consociationes operariorum, agricolarum, mulierum in hunc vel alium pium finem vel mutuum subsidium, arcae nummariae aliaque similia.

144. Utrum consociationes et opera haec socialia, et potissimum qui eis praesunt debitam in omnibus Ordinario et Summo Pontifici reverentiam praestent et in iis, quae fidem, mores et iustitiae leges attingunt, S. Sedis directioni et moderationi omnino subsint.

145. Cura ne sit, ut hisce consociationibus et operibus praeficiantur, qui non nomine tenus, sed corde et opere catholici sint. Et an caveatur, quatenus opus sit, ut qui hisce consociationibus et operibus adscripti sunt aut beneficia et subsidia ab iis nanciscuntur, a vitiis recedant, in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant.

146. Utrum caveatur, ne in hisce catholicis consociationibus connumerentur sectis secretis adscripti, increduli, impii vel religioni adversi, qui consociationes ipsas vel earum opera a recto fidei et iustitiae tramite deducere possint.

Cap. XVI. De editione et lectione librorum et diariorum.

147. Utrum in dioecesi edantur libri, ephemerides, illustrationes, diaria obscoena vel impia vel utcumque religioni noxia, a quibus et quali cum diffusione et detrimento.

148. Utrum libri et diaria impia vel obscoena aliarum civitatum dioecesim ingrediantur ibique diffusa sint, et quaenam potissimum sint.

149. Utrum strenue a catholicis agatur et praesertim a parochis et a sacerdotibus, ut libri et diaria obscoena vel impia a dioecesi removeantur, adhibita etiam, si fieri potest, civilis auctoritatis opera.

An Cleri et maxime confessariorum cura sit, ut libri et diaria obscoena vel impia a catholicis familiis arceantur et a fidelibus non legantur.

150. Utrum libris et diariis noxiis alia opponantur religiosa et honesta; quot sint, quomodo diffusa et quo fructu.

Datum Romae, die 31. mensis Decembris anno 1909.

C. Card. **de Lai**, S. C. Consistorialis Secretarius.
S. Tecchi, Adsessor.[1]

Praeterea Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X. in decreto *Sacra Tridentina Synodus* de quotidiana sanctissimae Eucharistiae sumptione, die 20. Decembris 1905 edito, mandavit locorum Ordinariis, ut de executione eorum, quae in eo statuta sunt, Sanctam Sedem edoceant in relationibus de dioecesis seu instituti statu.[2]

Item debebunt singuli Ordinarii unoquoque exacto quinquennio, una cum caeteris dioecesis negotiis, etiam de observantia decreti *Quam singulari Christus amore* de aetate admittendorum ad primam communionem eucharisticam, die 8. Augusti 1910 promulgati, ad Sanctam Sedem referre.[3]

Deinde Summus Pontifex Pius, divina providentia X., per decretum *Dubitantes* Sacrae Congregationis Consistorialis die 25. Ianuarii 1912 declarare et statuere dignatus est, locorum Ordinarios, quo anno relationem de statu suae ecclesiae peragunt, simul satisfacere posse obligationi, quae ex constitutione *Pascendi Dominici gregis* diei 8. Septembris 1907 et Motu proprio *Sacrorum Antistitum* diei 1. Septembris 1910 exoritur, atque id-

[1] Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. Romae, die 20. Ianuarii 1910. An. II. vol. II. Num. 1. pagg. 13—34. — [2] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 facta. Marburgi, 1907. Pag. 362. — [3] Operationes et constitutiones Synodi dioecesanae Lavantinae anno 1911 congregatae. Marburgi, 1912. Pag. 405.

circo relevari ab opere exhibendi triennalem relationem, super modernismo ibidem statutam.[1]

Denique praemissis addatur in favorem coadiuvandae memoriae sequens notatum. Episcopus relator praeter ea, quae in normis communibus statuta sunt, referre ne omittat, quae in peculiaribus normis, a Sacra Congregatione Consistoriali die 31. Decembris 1909 editis, decernuntur.

Si Paulus, praeco veritatis, tuba Spiritus Sancti, ad magnum Petrum se contulit, ut iis, qui Antiochiae de legali conversatione ambigebant, explicationem ab ipso referret, multo magis nos, humiles et pusilli, ad Apostolicam Sedem Vestram accurrimus, ut ecclesiarum ulceribus remedium a Vobis accipiamus.[2]

Caput CLXXXXVI.

De corporum crematione.

Ecclesia Christi inde a suis primordiis perpetuo persecutionibus affligitur, sicut ipse Salvator divinus praedixit: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur.* (Ioan. 15, 20).

Hodierni Ecclesiae adversarii inter varios eam oppugnandi modos ipsam impetunt nitendo, ut in regionibus catholicis instauretur ethnicorum usus cremandi hominum post mortem cadavera.

Quum una ex parte etiam inter catholicos occulti cremationis inveniantur fautores quumque non omnes cultores huius novitatis infesti sint sanctae nostrae religioni, dum adversarii propagatione cremationis corporum revera Ecclesiae catholicae influxum imminuere, immo Ecclesiae ruinam accelerare intendant, et quum ex altera parte pastoris vigilantis sit, custodire fidelium gregem

[1] Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. Romae, die 15. Februarii 1912. An. IV. vol. IV. Num. 3. pag. 101 et 102. — [2] Theodoreti epistola 113. ad s. Leonem. (Opera Theodoreti. Tom. 3. Edit. Paris. 1642. Pag. 984. — Angelus Lucidi, op. cit. vol. I. Pag. 4. alin. 4).

et providere de periculis eidem imminentibus avertendis, propterea Synodus praesens etiam de corporum crematione tractat, dilucidando momenta adversariorum rationesque ecclesiasticas circa hanc materiam.

Adversarii pro crematione corporum adducunt 1. *momentum oeconomicum.* Affirmant enim, expensas pro coemeteriis adaptandis et conservandis nec non pro sepulturis in eis peragendis iusto maiores esse. Attamen erectio crematoriorum et cadaverum crematio multo maiores sumptus postulant. Sic crematorii Gothensis exstructio 100.000 stabat coronarum et pro unius cadaveris crematione 200 coronae solvendae sunt.

Coemeteriis porro occupari extensos frugiferi territorii complexus in magnum agriculturae detrimentum asserunt. Sed coemeteria minimam singulorum districtuum partem, v. gr. totius Italiae, 296.305 km² complectentis, 20 km² tantum occupant. Crematoriis quoque et nemoribus iisdem adnexis, deinde publicis hortis aliisve institutionibus, delectationi et voluptati inservientibus, minores maioresve terrae frugiferae partes agriculturae subtrahuntur.

Humatione denique cremationis fautores dicunt plantas, herbas substantiasque nutrientes deleri, corporibus vero in cineres redactis humum stercorari sicque loca inculta in rura frugifera mutari posse. Quae ratio indigna est simulque repugnat veritati.

Cum dignitate corporis humani, quod instrumentum est animae immortalis quodque vel ab incredulis vita durante tanti aestimatur et tam sollerter colitur, componi non potest, ut illud post mortem qua stercus adhibeatur. Quantus esset clamor, si Ecclesia similis propositi esset auctrix!

Et certum est humatione corporum elementa utilia in terram redire et cum ea iterum coniungi, dum ipsa crematione materiae terrae maxime necessariae deleantur et destruantur. Insuper pro corporibus cremandis ingens lignorum vel carbonum copia (pro uno corpore 600 kg carbonum) consumitur, ita ut crematione tam sumptuosa

damnum oeconomiae illatum ne tunc quidem compensaretur, si integra cadavera, non vero cineres tantum, ad stercorationem adhiberentur.[1]

2. *Momentum aestheticum.* Secundum crematistarum sententiam corporis humani pulchritudini ac honori magis convenit destructio per ignem purum et purificantem, quam per terram sordidam et sordescentem, maiusque solatium vivis praebet persuasio, reliquias defunctorum contineri candida urna in habitaculo, quam caliginoso sepulchro inter vermes.

Ast naturae lex est, ut res paulatim gradatimque tabescant et evanescant. Tarda igitur corporis humani in sepulchro dissolutio conveniens est legibus naturae, repentina et violenta eius deletio per ignem repugnat illis, est praeter et contra naturam, est quoque contra caritatem et humanitatem.

Cadaveris per ignem destructio nihil habet in se pulchri vel poëtici, immo horribilis est et fastidiosa. Arca in fornacem ignis ardentis et ferventis missa statim una cum defuncti vestibus comburitur, corpus vero excitari et reviviscere videtur, os oculique aperiuntur, manus pedesque moventur et extolluntur. Quibus in convulsionibus ac curvationibus cadaver spectatoribus ostendit status formasque horribiles et inenarrabiles. Non immerito crematio altera mors nominatur.[2]

---

[1] Karl Herdach, Leichenbeerdigung oder Leichenverbrennung. Warnsdorf. Pagg. 9—13. — [2] Es mag wohl, wie in der Feuerbestattungshalle zu Karlsruhe, die Verbrennung des Leichnams unter einer mit Kränzen bedeckten Bahre stattfinden und es mögen dabei die weichen Mollakorde eines Harmoniums ertönen, all das kann aber die fühlenden Gemüter der anwesenden Leidtragenden mit jenem barbarischen Vorgange kaum versöhnen. Jedenfalls ist dieser eine sonderbare „letzte Ehre", die man dem Verstorbenen erweist. Freilich wird die Asche des abgeschiedenen Familienmitgliedes ehrfurchtsvoll in einer Urne aufbewahrt. Zunächst sei jedoch bemerkt, dass die Urnen vielerorts statutengemäss mehrere Jahre in den Urnenhallen oder -Plätzen verbleiben müssen. Wenn man sie aber auch zu Hause aufbewahrt, so werden sie entweder in einem Schranke verborgen oder in einem Wohngemache ersichtlich gemacht. Im ersteren Falle wird das Andenken der Verstorbenen kaum lebendig erhalten, im letzteren stumpft sich eben doch der Sinn dafür ab, wie für alles, was man alltäglich sieht und was nicht eine besondere Weihe besitzt. Ja, nicht selten bieten die Urnen sogar Gelegenheit zu bedeutender Entehrung der spärlichen irdischen Überreste unserer Lieben. Dienstboten befördern den Inhalt des Gefässes in den Kehricht. (M. E., Noch einmal die Leichenver-

Cadavera vero in terra arenea deposita, immo potius cadavera in arcis aëri non perviis inclusa, paulatim corrugantur et multos post annos adhuc formam quiete dormientis praebent. De praesentia vermium in tali et tanta profunditate sermo esse non potest.

3. *Momentum hygienicum.* Crematistae affirmant, persaepe semivivos sepeliri et ex coemeteriis publicae sanitati periculum contagionis imminere.

Medicorum iudicio probatum est, si corporum defunctorum inspectio diligenter et accurate exerceatur, neque humationem neque concremationem vivi hominis possibilem fore. Attamen multo probabilior est redemptio semivivi e sepulchro terrae, quam e sepulchro ignis. E crematorii igne nulla redemptio, sicut nulla ex inferni igne!

Quod ad publicam sanitatem pertinet, ex medicinalium congregationum congressuumque enunciationibus constat, coemeteria sanitati nullo modo nocere posse, si aptum locum occupant et si in sepeliendis corporibus cautelae praescriptae servantur.[1] Immo demonstratum est, terram recentem optimum purgationis medium esse, ita ut in ea et per eam omnia ex cadavere provenientia contagiosa et sanitati nociva elementa deleantur, antequam progrediuntur in fontes, flumina et in aërem. Experientia omnes has enunciationes confirmat; fossores sepulchrorum nempe plus minusve provectam aetatem assequuntur.[2]

brennung. — Der Sendbote des göttlichen Herzens Jesu. Innsbruck, 1911. Pag. 222).

[1] Die sanitären Nachteile, welche Friedhofsanlagen zugeschrieben werden, entbehren in der überwiegenden Mehrzahl aller Fälle jeder sachgemässen Prüfung und Begründung. Wirkliche Gefahren der Gesundheit durch Friedhofsanlagen sind nur bei recht ungeeigneter Auswahl des Bodens und bei abstellbar fehlerhaftem Betriebe zu erwarten. (IX. Kongress der Ärzte in Wien im Jahre 1881. — Dr. theol. Ludwig Ruland, Die Leichenverbrennung vom Standpunkte der christlichen Weltanschauung. Köln, 1910. Pag. 16). — [2] Wie leichtgläubig hat man nicht die Ursachen grosser Sterblichkeit in den Gräbern der Verstorbenen, in den Friedhöfen gesucht! Seit man aber Wasser, Luft und Boden an den Friedhöfen genauer untersucht und über die Morbidität (Erkrankungsfälle) und Mortalität (Sterblichkeit) in der Nähe derselben genaue Rechnung führt, ist man ganz anderer Ansicht geworden. Das Wasser aus Brunnen, welche auf Friedhöfen gegraben sind, findet man in

Caeterum ad amovendum hoc sanitatis periculum necesse esset, ut crematio omnium cadaverum, humanorum et animalium, introduceretur et quidem obligatorie. Et putamus, institutionem crematoriorum in maximo contagionis periculo, videlicet tempore belli et pestis, insufficientem fieri, quia cadaverum copia cum necessaria celeritate deleri non posset.[1]

Momenta ab adversariis pro crematione et contra humationem collata nequaquam apta esse possunt ad tollendum morem antiquitus cum cultura religioneque nationum intime coniunctum. Gravissimae sunt rationes, quae cremationi contradicunt et humationi favent.

1. *Ratio historica.* Historia sacra et profana testante crematio cadaverum nullibi usus primarius, numquam usus communis erat. Genus humanum verbo Dei obsecundans: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris* (Gen. 3, 19), a primordiis suis sepulturae morem observabat. Primum corpus, quod teste sacra Scriptura terrae demandatum est, fuit corpus Sarae, uxoris Abrahae. »Vixit autem Sara centum viginti septem annos. Et mortua est in civitate Arbee, quae est Hebron, in terra Chanaan; venitque Abraham, ut plangeret et fleret eam. Cumque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens: Advena sum et peregrinus apud vos; date mihi ius sepulchri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum. Responderunt filii Heth, dicentes: Audi nos, domine, princeps Dei es apud nos, in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum. Et locutus est ad Ephron, circumstante plebe: Quaeso, ut audias me. Dabo pecuniam pro agro, suscipe eam et sic sepeliam mortuum meum in eo. Responditque Ephron: Domine mi, audi me: Terra, quam postulas,

der Regel viel reiner als das aus Brunnen in der von Lebenden bewohnten, fast gleich beschaffenen Umgebung. (M. E., Noch einmal die Leichenverbrennung. — Der Sendbote des göttlichen Herzens Jesu. Innsbruck, 1911. Pag. 220).

[1] Dr. Ferdinand Schmidt, Die Leichenverbrennung. (Apologetische Rundschau. Köln, 1911. Pag. 240).

quadringentis siclis argenti valet, istud est pretium inter me et te, sed quantum est hoc? Sepeli mortuum tuum. Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatae monetae publicae.« (Gen. 23, 1—6. 13—16).

Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici, quae respiciebat Mambre, haec est Hebron in terra Chanaan. (Gen. 23, 19). Et hoc sepulchrum in spelunca agri duplici est sepulchrum gentilitium Abrahae; reposita sunt in eo corpora Sarae, Abrahae, Isaac, Rebeccae, Liae et Iacobi (Gen. 25, 10; 49, 31; 50, 13). Praeter hoc Abrahae sepulchrum plura alia sepulchra commemorat sacra Scriptura. *Eodem tempore mortua est Debora, nutrix Rebeccae, et sepulta est ad radices Bethel subter quercum.* (Gen. 35, 8). *Mortua est ergo Rachel et sepulta est in via, quae ducit Ephratam, haec est Bethlehem.* (Gen. 35, 19). *Veneruntque filii Israel et omnis multitudo in desertum Sin mense primo, et mansit populus in Cades. Mortuaque est ibi Maria et sepulta in eodem loco.* (Num. 20, 1).

Sepultus est Aaron (Deuter. 10, 6), Moses (Deuter. 34, 5. 6), Iosue (Iudic. 2, 9), David (II. Regg. 19, 38), Salomon (III. Regg. 11, 43), Iob (Iob 17, 1). Sepulturam habere congruentem est desiderium cuiuscumque (Exod. 14, 40; II. Esdr. 2, 3; Iob 3, 21. 22), et maxima contumelia affectus est ille, qui manebat sine sepulchro (Eccle. 6, 3), immo et capitis supplicio affecti sepeliebantur. (Deuter. 21, 23).

Cremationem utebantur Iudaei tempore Mosaico in casu necessitatis tantum (I. Regg. 31, 12), deinde tempore pestis (Amos 6, 10) denique ad poenam augendam. (Lev. 20, 14). Sed et his in casibus reliquiae combustorum sepeliebantur. (I. Regg. 31, 12. 13; II. Regg. 2, 5). In secundo libro Paralipomenon sermo quidem fit de sola combustione, attamen secundum exegetas non cadaver, sed aromata et unguenta meretricia, quae erant

pigmentariorum arte confecta, super mortuum combusta sunt.[1] (II. Par. 16, 14). In diaspora Iudaei mortuos suos plerumque sepeliebant; nonnulli tantum accommodabant se mori ethnico combustionis.

Assyrii et Aegyptii defunctorum corpora terrae mandabant, Graeci divites illa comburebant, pauperes sepeliebant.[2] Romani sequebantur Graecorum mores.[3] Germanis Synodus Paderbornensis anno 785 sub poena supplicii interdixit mortuorum combustionem.[4] Ita et Celti Slavique prae crematione humationi tantum favebant.

In Ecclesia Christi a primordiis eius usque ad praesentia tempora humationis mos observabatur. »Ubi religio christiana, ibi mos sepeliendi.«[5] Christianorum sepulchra per gloriosum Christi sepulchrum benedictionem et honorem acceperunt. *Et accepto corpore, Ioseph involvit illud in sindone munda et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra.* (Matth. 27, 59. 60; Marc. 15, 42; Luc. 23, 50). S. Ioannes relationi huic addit *Sicut mos est Iudaeis sepelire.* (Ioan. 19, 40).

Monumentum Lazari a mortuis resuscitati in sacra Scriptura ter nominatur. *Et invenit eum quattuor dies iam in monumento habentem.* (Ioan. 11, 17). *Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.* (Ioan. 11, 31). *Iesus ergo rursum fremens in semetipso venit ad monumentum.* (Ioan. 11, 38). Corpus Lazari non crematum, sed sepultum fuisse, sequitur ex verbis versus 44: *Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat ligata.* (Ioan. 11, 44).

De mortuis coniugibus Anania et Saphira s. Lucas expresse dicit: *Surgentes autem iuvenes amoverunt eum et*

---

[1] Dr. theol. Ludwig Ruland, Die Leichenverbrennung vom Standtpunkte der christlichen Weltanschauung. Köln, 1910. Pag. 10. — [2] Op. cit. Pag. 8. — [3] Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti; terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum. Et tamen multae familiae priscos servavere ritus, sicut in Cornellia nemo ante Sullam dictatorem traditur crematus idque voluisse veritum talionem eruto C. Marii cadavere. (Plinius, Nat. Hist. 7, 54). — [4] Dr. Karl Jos. Hefele, Conciliengeschichte. III. Band. Freiburg im Breisgau, 1858. Pag. 594. — [5] Dr. theol. Ludwig Ruland, op. cit. Pag. 12.

efferentes sepelierunt. (Act. apost. 5, 6). *Intrantes autem iuvenes invenerunt illam mortuam et extulerunt et sepelierunt ad virum suum.* (Act. apost. 5, 10).

Ecclesiam primaevam reiecisse usum comburendi cadavera, inter venerandae antiquitatis documenta probat Marci Minucii Felicis praeclara, circa annum 200 exarata apologia, cui titulus *Octavius*, ubi Caecilius ethnicus inducitur ita loquens de christianam religionem profitentibus: »Aniles fabulas adstruunt et annectunt; renasci se ferunt post mortem et cineres et favillas . . . Inde videlicet et exsecrantur rogos et *damnant ignium sepulturas;* quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen et aetatibus in terram resolvatur, nec intersit, utrum ferae diripiant an maria consumant an humus contegat an flamma subducat, cum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, poena sit; si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate medicina.«

Quam obiectionem Octavius christianus retundit, apposite ad rem respondendo: »Corpus omne, sive arescit in pulverem sive in humorem solvitur vel in cinerem comprimitur vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis; sed Deo elementorum custodia reservatur. Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturae timemus, sed *veterem et meliorem consuetudinem humandi frequentamus.*«[1]

Si nationes priscorum et recentiorum temporum mortuos suos combussissent, pauca tantum sciret ex earum vita scientia historica, geologica et archaeologica nec non historia naturalis. Arcae, mausolea, coemeteria, catacumbae patefaciunt illarum consuetudines, institutiones, culturam et religionem.

2. *Ratio iuridica.* Si servaretur crematio, impossibilis esset exhumatio corporum; hinc inde et impossibilis post sepulturam cognitio et exploratio personalium defuncti, eius aetatis, generis, praecipue rationis et causae mortis. Maximi momenti hac in re sunt casus veneficiorum. Venena organica et anorganica enim vehementi fornacis

[1] Marci Minucii Felicis Octavius. Cap. XI. et XXXIV. (I. P. Migne, Patrol. lat. tom. III. Parisiis. 1844. Col. 266 sq. et 347).

aestu totaliter delentur, itaque per ignem simul delentur omnia suicidii vel homicidii indicia. Et si non delerentur per ignem, procul dubio veneficus et sicarius curabunt, ut cineres una cum veneni reliquiis dissipentur aut in eorum locum cineres culinae surrogentur.

Cremationi favere hoc sub respectu nil aliud est nisi sceleri veneficiorum favere. Pestis et cholera essent sicut genti Hindus nostris quoque concivibus occasio pergrata, personam odiosam seu non gratam e medio tollendi. Quoad inspectionem cadaverum ex crematione magistratibus orirentur graves difficultates, in rebus iuridicis vero commutationes et errores, quibus ex causis summa instantia iudicialis Vindobonae anno 1901 petitionem societatis »Flamme«, ut construeretur Graecii crematorium, tamquam argumentis non confirmatam et praesentibus legibus contradicentem repulit.[1]

3. *Ratio theologica.* Crematio corporum ex se et directe non repugnat dogmati catholico. Tamen improbanda et proscribenda est, et quidem sequentibus ex rationibus.

Crematio est contra mores christianorum. Ab initiis Ecclesiae ad nostra usque tempora christiani in usu habebant corporum humationem; immo corporum sepeliendorum cura cum in vetere tum in novo Testamento inter opera misericordiae, Deo gratissima, numeratur.

Deinde benedictio sepulchri et verba concomitantia funeris in sepulchrum benedictum depositionem: »Sume terra, quod tuum est«, ac ritus proiiciendi terram super funus dicendo: »Memento homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris«,[2] haec omnia in ordine sepeliendi adultos praescripta in humatione tantum observari possunt, et hic in Ecclesia ritus sepulturae usitatus solus correspondet verbis Dei, poenam pro Adae peccato indicentis: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es et in pulverem reverteris.* (Gen. 3, 19).

[1] Archiv für kathol. Kirchenrecht. Mainz, 1911. Pag. 182 sq. — [2] Collectio rituum dioeceseos Lavantinae. Marburgi, 1896. Pars I. tit. VII. cap. 3. pag. 143.

Crematio non convenit christianae doctrinae professioni. Omni liturgico actu exprimitur aliqua religionis doctrina, ita ut sublato actu liturgico ex Ecclesiae ritibus etiam doctrina religiosa tolleretur ex fidelium cordibus. Venerabili et sollemni corporis christiani in terram benedictam depositione sancta mater Ecclesia significat et profitetur corporis humani dignitatem et excellentiam: hominis scilicet ad Dei imaginem et similitudinem creationem, corporis cum substantia rationali coniunctionem essentialem, eius a Filio Dei ad divinam suam naturam assumptionem, humani corporis per sacramenta, imprimis sanctissimae Eucharistiae sacramentum, in templum Dei, in membrum corporis Christi sanctificationem nec non corporis futuram de terra resurrectionem eiusque cum anima in vitam aeternam unionem. Quas omnes praeclaras et consolatorias doctrinas crematio obscurat et ex fidelium mente removet.

Adversarii quidem affirmant, destructione corporis per ignem item significari corporis purificationem et purificati corporis resurrectionem. Attamen Ecclesia, cuius est signa religiosa eaque publica statuere, hoc signum numquam elegit, econtra corporis violentam per ignem destructionem prohibuit et vult, ut hominis christiani corpus in sepulchro sicut Christi sanctissimum corpus reponatur et ita per gloriosum Christi sepulchrum corporis dignitas in morte quoque augeatur.

Ex adiunctis denique, quae crematione corporum hodiedum comitantur, crematio dicenda est moraliter mala et propterea ab Ecclesia prohibita est. Qui enim cremationis morem promovent, hoc faciunt cum intentione, ecclesiasticam disciplinam et Ecclesiam Christi et Christum ipsum negligendi et morem a vera religione omnino alienum, morem ethnicum, repristinandi. Crematistae ipsi enunciant, crematione sibi signum esse annihilationis totius hominis eaque se negare velle immortalitatem et aeternitatem. Propterea crematio corporum humanorum ex adiunctis fit professio infidelitatis et materialismi, quod est gravissimum peccatum.

Haec mala et peccaminosa crematistarum intentio patet ex eorum verbis, scriptis et factis. Usus sepulturam ecclesiasticam cum crematione compensandi initium cepit tempore revolutionis gallicae anno 1797, ergo diebus rebellionis contra Christum eiusque Ecclesiam. Anno 1848, iterum anno rebellionis, fautores cremationis Galliam, Germaniam, Angliam, Italiam et Austriam inundabant scriptis suis et consociationibus.

Praecipue vero pessimam suam intentionem manifestaverunt anno 1869. Eadem die et hora, qua Pius IX. Concilium Vaticanum incepit, die 8. Decembris, Neapoli internationalis habebatur massonicae sectae congressus, in quo omnes adsentes iureiurando obstricti sunt, omnibus cum mediis, revolutionari vi non exclusa, illuc tendere, ut catholicismus quam primum et radicitus destrueretur. Introductio corporum combustionis tamquam medium ad hoc aptissimum consalutata est. Combustione corporis nempe, ita dixerunt, fides vitae aeternae in extrema sua et ultima enunciatione deletur.

Et inimici Christi statim opus detestabile adierunt. Ad propagandam crematiónis ideam plures celebrabantur congressus, ita Romae 1871, Dresdae 1876, Mediolani 1877, 1880, 1887, Florentiae 1885; eundem in finem societates constitutae sunt Mediolani, Romae, Cremonae, Boloniae, Patavii, Senae, in San Remo, Berolini, Bremae, Vratislaviae, Dresdae, Gothae, Hamburgi, Londini, Lutetiae Parisiorum, Vindobonae, Tiguri; crematoria exstructa sunt Mediolani, Romae, Liburni, Laudi, Brixiae (Brescia), Patavii, Gothae, Dresdae.

Et quum S. C. Inquisitionis ad quaestionem, an licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera, et an licitum sit mandare, ut sua aliorumve corpora comburantur, die 19. Maii 1886 negative respondisset, a massonistis corporum crematio tamquam lex promulgata est.

Novissimis temporibus senatus nonnullarum urbium, etiam viginti quattuor urbium imperii austriaci, petitionibus a gubernio facultativam corporum crematiónem

postulaverunt, quibus in petitionibus et scriptis ad hoc editis sole clarius malae et antireligiosae crematistarum intentiones manifestatae sunt, ex. gr.: »Religioni crucis opponenda est religio urnae.« »Matrimonium civile rapit Ecclesiae familiam, schola irreligiosa rapit ei iuventutem, sepulturae civiles et crematoria vero ultimas in mortuos praetensiones. Qua in via progredientes mox Ecclesiam Papamque vincemus.« »Catacumbae erant praesepium, crematoria erunt sepulchrum Ecclesiae Christi.«[1]

Decisiones ecclesiasticae.

Ab auctoritate ecclesiastica per Sacram Inquisitionis Congregationem relate ad corporum crematione adhucdum sequentes emanarunt decisiones.

I. *Decretum de feria IV. die 19. Maii 1886.* Non pauci sacrorum Antistites cordatique christifideles animadvertentes ab hominibus vel dubiae fidei vel massonicae sectae addictis magno nisu hodie contendi, ut ethnicorum usus de hominum cadaveribus comburendis instauretur, atque in hunc finem speciales etiam societates ab iisdem institui: veriti, ne eorum artibus et cavillationibus fidelium mentes capiantur, et sensim in iis imminuatur existimatio et reverentia erga christianam constantem et sollemnibus ritibus ab Ecclesia conservatam consuetudinem fidelium corpora humandi, ut aliqua certa norma iisdem fidelibus praesto sit, qua sibi a memoratis insidiis caveant, a suprema S. Rom. et universalis Inquisitionis Congregatione declarari postularunt:

1. An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est, promovere usum comburendi hominum cadavera?

2. An licitum sit mandare, ut sua aliorumve cadavera comburantur?

Eminentissimi et reverendissimi Patres Card. in rebus fidei gen. Inquisitores suprascriptis dubiis serio ac mature perpensis praehabitoque DD. Consultorum voto respondendum censuerunt: Ad 1. *Negative,* et si agatur

[1] Apologetische Rundschau. Köln, 1910. Pag. 53; 1911. Pag. 234.

de societatibus massonicae sectae et filiabus, incurri poenas contra has latas. — Ad 2. *Negative.*

Factaque de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni PP. XIII. relatione, Sanctitas Sua resolutiones eminentissimorum Patrum approbavit et confirmavit et cum locorum Ordinariis communicandas mandavit, ut opportune instruendos curent christifideles circa *detestabilem abusum* humana corpora cremandi, utque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant.[1]

II. *Decretum de feria IV. die 15. Decembris 1886.* Eminentissimi et reverendissimi Domini Cardinales et Inquisitores generales decreverunt: Quoties agatur de iis, quorum corpora non propria ipsorum, sed aliena voluntate cremationi subiiciuntur, Ecclesiae ritus et suffragia adhiberi posse tum domi tum in ecclesia, non autem usque ad crematonis locum, remoto scandalo. Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat, cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse.

At ubi agatur de iis, qui propria voluntate cremationem elegerunt et in hac voluntate certe et notorie usque ad mortem perseverarunt, attento decreto feriae IV. 19. Maii 1886 agendum cum iis iuxta normas Ritualis Romani Tit. *Quibus non liceat dare ecclesiasticam sepulturam.*

In casibus autem particularibus, in quibus dubium vel difficultas oriatur, consulendus est Ordinarius, qui accurate perpensis omnibus adiunctis id decernet, quod magis expedire in Domino iudicaverit.

III. *Decretum de feria IV. die 27. Iulii 1892.* Beatissime Pater! Archiepiscopus Friburgensis ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime petit sequentium dubiorum resolutionem:

1. Utrum liceat sacramenta morientium ministrare fidelibus, qui massonicae quidem sectae non adhaerent nec eius ducti principiis, sed aliis rationibus moti, corpora sua post mortem cremanda mandarunt, si hoc mandatum retractare nolint?

[1] Acta S. Sedis. Vol. XIX. pag. 46.

2. Utrum liceat pro fidelibus, quorum corpora non sine ipsorum culpa cremata sunt, Missae sacrificium publice offerre vel etiam privatim applicare itemque fundationes ad hunc finem acceptare?

3. Utrum liceat cadaverum cremationi cooperari, sive mandato ac consilio sive praestita opera, ut medicis, officialibus, operariis in crematorio inservientibus, et utrum hoc liceat saltem, si fiat in quadam necessitate aut ad evitandum magnum damnum?

4. Utrum liceat taliter cooperantibus ministrare sacramenta, si ab hac cooperatione desistere nolunt aut desistere non posse affirmant?

Feria IV. die 27. Iulii 1892 in congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque reverendissimorum Dominorum Consultorum voto, eminentissimi ac reverendissimi Domini Cardinales in rebus fidei et morum generales Inquisitores respondendum mandarunt:

Ad 1. Si moniti renuant, *negative.* Ut vero fiat aut omittatur monitio, serventur regulae a probatis auctoribus traditae, habita praesertim ratione scandali vitandi.

Ad 2. Circa publicam sacrae Missae applicationem, *negative;* circa privatam, *affirmative.*

Ad 3. Numquam licere formaliter cooperari mandato vel consilio. Tolerari autem aliquando posse materialem cooperationem, dummodo *a)* crematio non habeatur pro signo protestativo massonicae sectae, *b)* non aliquid in ipsa contineatur, quod per se directe atque unice exprimat reprobationem catholicae doctrinae et approbationem sectae, *c)* neque constet, officiales et operarios catholicos ad opus adstringi vel vocari in contemptum catholicae religionis. Caeterum quamvis in hisce casibus relinquendi sunt in bona fide, semper tamen monendi sunt, ne cremationi cooperari intendant.

Ad 4. Provisum in praecedenti. Et detur decretum feriae IV. 15. Decembris 1886.[1]

---

[1] Analecta eccles. Vol. III. pag. 98 et 99.

Normae pro curatoribus animarum.

Ut morem ethnicum, praeallatis Ecclesiae decisionibus reprobatum, a grege Nobis concredito amoveamus, mandamus animarum pastoribus, ut data occasione fideles instruant vel instruendos curent his de veritatibus:

1. *De corporis humani praestantia et dignitate.* Constructio corporis ipsa facit hominem prae cunctis animantibus insignem eumque dominum et regem reliquarum rerum creatarum praedicat. Corporis organici cum anima rationali et immortali coniunctio facit ipsum animae instrumentum itemque omnium animae actionum sive bonarum sive malarum particeps, denique et sortis animae, vitae vel interitus; in cuiuscumque hominis sinu reposita est spes corporis de terra resurrectionis in vitam aeternam. Haec corporis viventis dignitas postulat etiam corporis exanimati reverentiam et aestimationem. Non debet proiici ut animalium cadaver neque violenter destrui ignis flamma.

2. *De hominis fine.* Vita hominis super terram non est hominis finis, sed est via ad finem; est igitur tempus laboris ac sudoris et quidem per totum diem usque ad vesperam. Viatori et operario competit quies. Quae quies praestatur corpori, tot sacramentis sanctificato, in loco sacro, in terra benedicta, in umbra sanctae Crucis, in »agro Domini«.

3. *De Christo ut fidelium exemplo.* Christianus sit imitator Christi non solum in terris degentis, sed et mortui et sepulti et resurgentis. Sicut Christi corpus in sindone munda involutum positum est in monumento, in petra exciso, et post tres dies ex corde terrae immortale et gloriosum resurrexit, ita christiani corpus ut frumenti granum in sepulchrum terrae cadere debet, ut surgat in incorruptione, in immortalitate et in gloria.

4. *De mala et perniciosa crematistarum intentione.* Principes infidelitatis propagando morem cremandi corpora mortuorum convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius, non in hominum salutem,

sicut dicunt, sed in eorum ruinam spiritualem aeternamque, ut nempe Christi ovibus auferant fidem supernaturalem et ut separent pastores ab ovibus praeprimis in gravissimo vitae momento, in casu morbi ictuque mortis.

5. *De decisionibus Ecclesiae contra crematistas,* superius allatis, videlicet: *a)* Catholicis numquam licet nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera.

b) Catholicis, qui corpora sua aliorumve post mortem cremanda mandarunt et moniti hoc mandatum retractare noluerunt, sed hac in voluntate certe et notorie usque ad mortem perseveraverunt, non licet ministrare morientium sacramenta nec dare sepulturam ecclesiasticam.

Non tamen videntur necessario privandi sepultura ecclesiastica et morientium sacramentis, qui bona fide ignorantes prohibitionem Ecclesiae corpus suum cremandum mandarunt, nec illi, qui mandatum, quod serio retractare volebant, ob qualemcumque rationem retractare non poterant.

Item Ecclesiae sacramenta ministrari et ritus et suffragia adhiberi possunt tum domi tum in ecclesia, non autem usque ad crematorii locum, potest quoque Missae sacrificium publice offerri possuntque fundationes ad hunc finem acceptari, quoties agatur de iis, quorum corpora non propria ipsorum, sed aliena voluntate crematori subiiciuntur. Ut talibus in casibus scandalum removeatur, notum fiat, crematorium non propria defuncti voluntate electam fuisse.

Quorum corpora non sine ipsorum culpa, id est propria voluntate cremata sunt, pro his Ecclesiae ritus et suffragia neque domi neque in ecclesia adhiberi possunt, Missae sacrificium vero privatim tantum applicandum erit.

c) Cooperari corporum crematori mandato vel consilio vel praestita opera, ut medicis, officialibus et operariis in crematoriis inservientibus, et quidem formaliter cooperari non licet.

Materialis cooperatio toleranda est, α) si crematio non habetur pro signo protestativo massonicae sectae; β) si nil in ipsa continetur, quod per se directe atque unice exprimit reprobationem catholicae doctrinae et approbationem sectae massonicae; γ) si constat, officiales et operarios catholicos ad opus non adstringi et vocari in contemptum catholicae religionis. Omnes materialiter cooperantes in hisce casibus relinquendi sunt in bona fide, sunt tamen semper monendi, ne crematione cooperari intendant. Crematione materialiter cooperantibus sacramentorum administratio generatim denegari non potest.

d) Morem cremationis positive et formaliter promovere, publice introducere vel permittere, viro catholico nullo modo licet. Licebit vero ex causa proportionate gravi cremationis morem negative permittere, id est non impedire, quominus alii eum exerceant, atque etiam declarare vel ut declaretur consentire, publicis legibus istum cremationis ritum relinqui impunem, dummodo talis impunitatis declaratio ex circumstantiis non evadat commendatio cremationis positiva.

e) In casibus particularibus, in quibus dubium vel difficultas exoriatur, animarum curatores consulant sacrorum Antistitem, qui accurate perpensis omnibus adiunctis id decernet, quod magis expedire in Domino iudicaverit.

Christi sepulchrum gloriosum effectum est per subsequentem resurrectionem. *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus.* (Rom. 6, 5).

Caput CLXXXXVII.

De collationibus in ecclesia faciendis.

In vetere Testamento oblationes pro sanctuario et sacerdotibus praeceptas fuisse, enarrant nobis sacra Biblia. (Exod. 22, 29; 30, 14; IV. Regg. 12, 4—15). Similiter contestantibus sacra Scriptura et historia eccle-

siastica a primis aerae christianae temporibus oblationes ecclesiasticae tam ad ministros Ecclesiae sustentandos et ad cultus divini sumptus tolerandos quam ad caritatem erga proximum exercendam fieri solebant.

Ecclesia catholica, postquam diversas gentes paganas in suum gremium suscepit et necessitates multiformes exortae sunt, etiam oblationes ecclesiasticas regulavit. Oblationes obligatoriae distinguuntur sive ordinariae sive extraordinariae.

Praeter oblationes praeceptas viguerunt et adhuc vigent *piae collectae* in ecclesia, quae a fidelibus spontanee et sive in adiutorium Summi Pontificis sive ad Dei cultum et fabricam ecclesiae sive ad adiuvandum vel redimendum proximum quoad animam et corpus impenduntur. In dioecesi Lavantina sequentes oblationes spontaneae in ecclesiis colligi consueverunt.

Collectae ad sustentandas necessitates Sanctae Sedis.

a) Obolus s. Petri. Collatio, quae obolus s. Petri nominatur, a gentibus paganis ad fidem conversis titulo gratitudinis initium cepit[1] et novissimis temporibus, rapto *Patrimonio s. Petri*, modo universali et legali regulata est.

Haec collectio in quavis ecclesia parochiali et quovis anno facienda est, scilicet in festo s. Ioseph (die 19. Martii), in festo ss. apostolorum Petri et Pauli (die 29. Iunii) et Dominica immediate festum s. Michaelis archangeli sequente.[2]

b) Collecta sodalitatis s. Michaelis archangeli. Quum anno 1860 Vicarius Christi, sanctae memoriae Pius PP. IX., seditionibus exortis et bello cum rebellibus infeliciter gesto a Garibaldinis gravissime vexaretur, a praeclaris viris Vindobonae ad auxilium inopiae Summi Pontificis ferendum confraternitas a s. Michaele die 27. Novembris 1860 constituta est.[3]

[1] Dr. Karl Josef Hefele, Konziliengeschichte. 5. Band. Freiburg im Breisgau, 1862. Pag. 17. — [2] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXXXI. pagg. 501—508. — [3] Sub praeside Carolo

Collectae huius confraternitatis consistunt ex collationibus sodalium, singulis mensibus saltem quattuor hellerorum, et ex donationibus fidelium, missis in scrinia, quae in ecclesiis parochialibus quavis prima Dominica mensis eriguntur cum inscriptione: Pro Papa. — Opferstock der St. Michaels-Bruderschaft für den Hl. Vater. — Miloščina za svetega očeta.[1]

Reditus ex hac collecta una cum stipe Petrina ab officiis parochialibus mittantur ad officia decanalia pro primo quartali usque ad diem 25. Martii, pro secundo usque ad diem 10. Iulii, pro tertio usque ad diem 10. Octobris et pro quarto usque ad diem 25. Decembris; ab officiis decanalibus ad Cancellariam Nostri Consistorii pro primo quartali usque ad diem 31. Martii, pro secundo usque ad diem 20. Iulii, pro tertio usque ad diem 20. Octobris et pro ultimo usque ad diem 31. Decembris.

Collectae pro Terra sancta.

a) Collecta pro custodia sacri Sepulchri Hierosolymis. Palaestina cum suis civitatibus et locis, praecipue cum urbe hierosolymitana, merito *Terra sancta* nominatur, quia vita, doctrina et morte Domini nostri sanctificata est. Non ergo mirum est, si fideles a primis saeculis aerae christianae ex omnibus regionibus ad sacra loca visitanda peregrinabantur. Postquam autem infideles *Terra sancta* potiti sunt, ad illam liberandam copiosus sanguis a christianis effusus est, sed sine fructu durante.

Desiderium recuperandi *Terram sanctam* paulatim decrescebat et temporibus reformatorum et Iansenistarum fere evanuit. Praeterito saeculo demum tres viri austriaci[2] pristinam pietatem erga Terram sanctam ita excitaverunt, ut sub imperatore Ferdinando *Benigno* anno 1842 anni-

principe Iablanowski et pluribus delectis, inter quos Dr. Sebastianus Brunner, Iosephus eques de Führich, professor Dr. Georgius Philipps et praedicator ecclesiae cathedralis Dr. Antonius Gruscha eminent. (Josef Wolny, Fünfzig Jahre für Kirche und Papst. Chronik der Erzbruderschaft vom heiligen Erzengel Michael in Wien. Wien, 1911. Pagg. 7—13).

[1] Synodus dioecesana Lavantina anno 1906 concita. Marburgi, 1907. Cap. CXXXI. pag. 504. — [2] Canonicus Dr. Salzbacher, P. Matzek O. S. Fr. et praelatus Mislin.

versaria collecta ecclesiastica pro Terra sancta introduceretur et Commissariatus generalis erigeretur. Franciscani austriaci in Palaestinam missi sunt, ut hospitium austriacum pro peregrinantibus conderent et peregrinationes ad loca sacra organisarent.[1]

Patres Franciscani iura catholicorum Palaestinensium et sanctuaria ad illos pertinentia custodiunt et defendunt, peregrinantibus sacramenta ministrant et ad visitanda explicandaque loca sancta illis ducatum praestant. Victum suum eleemosynis tantum ex Austria missis nanciscuntur.

Collecta pro illis in ecclesiis dioecesis Nostrae fiat sub titulo: Pro custodia sacri Sepulchri hierosolymitani. Die Parasceves et Sabbato sancto in sancto sepulchro scrinium aut discus erigatur cum inscriptione: Pro sacro Sepulchro. — Für das heilige Grab. — Za božji grob. Dona per officia decanalia ad princ.-episc. Ordinariatum usque ad festum Paschatis mittantur, unde ad princ.-archiepisc. Consistorium Vindobonense dirigentur.

b) Collecta pro hospitio austriaco-hungarico Hierosolymis erecto. Anno 1863 Hierosolymis hospitium austriaco-hungaricum conditum est, in quo peregrinatores ex imperio austriaco-hungarico cuiusvis nationis hospitaliter excipiuntur et sustentantur.

Quum autem conservatio magni huius hospitii ob frequentem annonae caritatem et propter expensas pro sartis tectis magnam pecuniarum copiam requirat, illud, omnibus facultatibus propriis carens, eleemosynis tantum ex Austria missis exsistere potest. Cuius rei ratione habita Episcopi mense Martio 1902 Vindobonae congregati statuerunt, ut feria sexta hebdomadae maioris in sancto sepulchro pyxis pro colligendis eleemosynis in bonum hospitii austriaco-hungarici hierosolymitani poneretur.

Pro Nostra dioecesi ordinavimus, ut ab incipiente anno 1904 in omnibus ecclesiis parochialibus iuxta eleemosynarium pro custodia sacri Sepulchri adhuc discus aut alia

[1] Friedrich Schwager, Katholische Heidenmission der Gegenwart im Zusammenhang mit ihrer grossen Vergangenheit. I. Das heimatliche Missionswesen. Steyl, 1907. Pag. 54 et 55.

pyxis cum inscriptione: Für das österreichisch-ungarische Pilgerhaus in Jerusalem. — Za avstrijsko-ogrsko romarsko hišo v Jeruzalemu — erigeretur.[1]

Collectae eleemosynae statim, usque ad festum Paschatis, ad princ.-episc. Cancellariam consistorialem transmittantur, unde princ.-archiepisc. Consistorio Vindobonam demandabuntur.

Collectae pro missionibus.

a) Collecta pro servitute tollenda et fide propaganda in Africae regionibus. Numerosi incolae Africae interioris ad nostra usque tempora pecudum adinstar promercalium catenis vincti ac verberibus caesi nullo aetatis et sexus discrimine ad fora trahuntur et veneunt; insuper, quod maxime dolendum, coeca superstitione offusi, divinae veritatis luce fere omnino carent. Idcirco immortalis memoriae Leo PP. XIII. litteris encyclicis *Catholicae Ecclesiae* diei 20. Novembris 1890 constituit, ut in festo Epiphaniae, quando Filius Dei Magis primitus se revelavit, stipis instar pecunia corrogaretur.

Iuxta hanc constitutionem Summi Pontificis omnibus ecclesiarum praepositis mandavimus, ut in festo Epiphaniae (die 6. Ianuarii) quotannis usque ad revocationem in ecclesiis parochialibus collectiones ad captivos in libertatem vindicandos et ad missiones in Africae regionibus sustentandas instituerentur.

Oboli collecti confestim per officia decanalia ad Nostrum Ordinariatum transmittantur, qui illos ad princ.-achiepisc. Consistorium Vindobonense diriget.[2]

b) Collecta pro sodalitate B. V. Mariae ad adiuvandas missiones catholicas in Africa.[3] Gregorius PP. XVI. die 3. Aprilis 1846 Vicariatum apostolicum pro Africa centrali erexit et insimul duos piissimos viros Ryllonem et Knoblecherum missionarios pro illa destinavit. Ryllone

[1] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese, 1903. Num. V. alin. 38. pag. 73 et 74. — [2] Dr. Michael Napotnik, Send- und Lehrschreiben. Marburg, 1911. Pagg. 66—73. — [3] Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. XI. pag. 312.

anno 1850 defuncto, Knoblecher, Abuna Soliman ab Arabis nominatus, huic missioni praepositus est.

Omni subsidio orbatus iter in Austriam, patriam suam, fecit, ut sibi operarios et opes acquireret. Studio eius contigit, ut augustissimus Austriae imperator Franciscus Iosephus I. protectionem missionis Africae interioris susciperet et sodalitas B. V. Mariae fundaretur.

Ipso imperatore instigante c. r. Ministerium pro cultu et institutione, litteris die 22. Februarii 1851 emissis, collectionem quotannis faciendam pro hac exclusive austriaca missione Africae centralis intime commendavit.

Antonius Martinus, piae memoriae decessor Noster, statuit, ut sacerdotes de hac collectione fideles edocerent et ad liberalitatem monerent.[1]

Quanti momenti c. r. Ministerium pro cultu et institutione hanc missionem aestimaverit, ex illius litteris die 13. Martii 1853 promulgatis elucet, quibus, Episcopo Antonio Martino consentiente, sacerdotes invitavit, ut, qui missionarii vocationem sentirent, in Africam centralem ad opus missionis se conferrent.

Sodalitas B. V. Mariae, Cardinali et Archiepiscopo Pragensi Friderico principe de Schwarzenberg, protectore sodalitatis, intercedente, a Pio PP. IX. per Breve de die 5. Decembris 1852 iisdem indulgentiis ditata est, quibus sodalitas Lugdunensis *ad propagandam fidem* gaudet.[2]

Filii sacratissimi cordis Iesu Tridenti anno 1895 et in vico Milland (Mühland) prope a Brixino 1896 instituta ad excolendos missionarios pro Africa centrali et pro Sudan fundaverunt. De progressu huius missionis in folio suo »Stern der Neger« referunt. Quum hi missionarii eorumque instituta collectis sodalitatis B. V. Mariae sustententur, huic sodalitati cooperari, opus patrioticum est.

---

[1] Lav. Ord. Erlass de die 25. Iulii 1851. Num. $\frac{1052}{2}$ alin. 3. — [2] Lav. Ord. Erlass de die 2. Maii 1853. Num. $\frac{766}{3}$ alin. 5.

Collectae pecuniae pro primo semestri usque ad diem 10. Iulii, pro secundo usque ad diem 25. Decembris ad officia decanalia et inde pro primo dimidio anni usque ad diem 20. Iulii et pro secundo usque ad diem 31. Decembris ad Cancellariam princ.-episc. Ordinariatus dirigantur, a quo ad princ.-archiepisc. Consistorium Vindobonense transmittentur.

c) Collecta pro sodalitate immaculatae conceptionis B. V. Mariae ad sustentandas missiones catholicas in imperio Turcarum et in Oriente.[1] In festo immaculatae conceptionis B. V. Mariae anno 1857 sub praeside Friderico de Hurter, consiliario aulico et historiographo imperiali, sodalitas immaculatae conceptionis B. V. Mariae pro universo imperio austriaco fundata est in finem adiuvandi incolas catholicos et missiones in imperio Turcarum et in Oriente, excepta Sinesia, cui a sodalitate *a sancta Infantia* cura impenditur.

Sodales praescriptas orationes recitant et eleemosynam duarum coronarum semel per annum vel vero viginti hellerorum singulis mensibus offerunt.

Sodalitas Vindobonae sedem suam habet et Ordinarius Vindobonensis protectoris munere fungitur. Pius PP. IX. per Breve de die 25. Iunii 1858 sodalitatem approbavit et multis indulgentiis exornavit.

Pecuniae collectae pro primo semestri usque ad diem 10. Iulii et pro secundo usque ad diem 25. Decembris ad officia decanalia et ab his pro primo semestri usque ad diem 20. Iulii et pro secundo usque ad diem 31. Decembris ad Ordinariatum Nostrum transmittantur, unde ad princ.-archiepisc. Consistorium Vindobonense deferentur.

d) Collecta pro sodalitate a sanctanfantia Iesu.[2] Anno 1843 Episcopus Nanceyensis Carolus de Forbin-Ianson, instigante Maria Paulina Iaricot († die 9. Ianuarii 1862), sodalitatem *a sancta Infantia Iesu* vel *Opus san-*

[1] Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. XI. pag. 312. — [2] Op. et loc. cit.

ctae Infantiae nominatum in subsidium missionariorum catholicorum in regionibus orientalibus, praeprimis in Sinesia, pro redimendis infantibus, ab infidelibus parentibus abiectis, erexit.

Haec sodalitas tam pro iuventute pagana salvanda quam pro iuventute catholica sanctificanda constituta est, idcirco ab initio secundum statuta pueri et iuvenes usque ad annum vigesimum primum tantum sodales fieri et esse potuerunt.

In Austria[1] laudata sodalitas tali modo organisata est, ut fideles cuiuscumque aetatis, tam infantes, si alii pro iis orationes praescriptas persolvunt, quam adulti annum vigesimum primum transgressi, sodales fieri seu esse possunt. Adulti tamen, ut indulgentias lucrentur, simul confraternitati *Pro propagatione fidei* adscripti esse orationesque praeceptas persolvere atque eleemosynam quattuor hellerorum singulis mensibus erogare debent.

Pro imperio austriaco directorium generale huius sodalitatis, centrali Consilio generali Parisiensi subordinatum, sedem suam Salisburgi tenet. Hoc directorium generale in singulis dioecesibus consentiente Ordinario directorium dioecesanum erigere potest.

In Nostra dioecesi sacerdos ordinis s. Francisci in monasterio Marburgensi directoris munere fungitur. Directoris officium consistit in hoc, ut quater in anno pastoribus animarum folium sodalitatis *Annales*, dein imagines et numismata transmittat et libellos typis impressos, ad sodalitatem pertinentes (v. gr. schedulas receptionis), in deposito servet vel pro necessitate illos procuret.[2]

Haec sodalitas ab Ecclesia multis indulgentiis ditata est.[3] Praeterea Leo PP. XIII. sacerdotibus in sodalitatem adscitis plurima privilegia in perpetuum concessit.[4]

[1] C. r. Ministerium pro cultu et institutione sodalitatem a sancta Infantia Iesu rescripto de die 25. Octobris 1885 Nr. 7454 etiam pro scholis cum restrictione, ne collectae in scholis instituerentur, permisit. — [2] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese, 1878. Num. IV. alin. 5. pag. 5 et 6. — [3] Jahrbücher des Werkes der hl. Kindheit Jesu (Kindheit-Jesu-Vereines) für Österreich-Ungarn. Innsbruck, 1912. — Letno poročilo o „Dejanju svetega Detinstva". Ljubljana, 1912. — [4] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese, 1893. Num. II. alin. 2. pag. 3 et 4.

Eleemosynae collectae pro primo semestri ad officia decanalia usque ad diem 10. Iulii, pro secundo usque ad diem 25. Decembris et ab his pro primo dimidio anni usque ad diem 20. Iulii et pro secundo usque ad diem 31. Decembris ad Cancellariam Nostri Consistorii mittantur, quod illas in manus princ.-archiepisc. Consistorii Salisburgensis tradet.

e) Collectio pro associatione Leopoldina in subsidium missionum Americae septentrionalis.[1]

Anno 1828 associatio Leopoldina in memoriam imperatricis Brasiliensis Leopoldinae, natae archiducis austriacae († die 11. Decembris 1826), in Austria erecta est.

Associatio Leopoldina, nominata *Fundatio Leopoldinae*, proposuit sibi sublimem finem, promovendi cum maiori effectu opus missionum catholicarum in America septentrionali; deinde fovendi animum fidelium pro propagatione et dilatatione Ecclesiae Christi in regionibus remotis orbis terrarum; demum colendi perpetuam memoriam Leopoldinae, defunctae imperatricis Brasiliensis.

Media ad optatum finem consequendum orationes et eleemosynae sunt. Singuli sodales praescriptas orationes quotidie recitant et quavis hebdomada eleemosynam duorum hellerorum erogant. Leo PP. XII. hanc sodalitatem approbavit et sodalibus plenarias indulgentias concessit.[2]

Pro colligendis eleemosynis deni et deni se coniungant et eleemosynas hebdomadales collectori de suo medio electo tradant, qui illas quovis mense fideliter proprio parocho deferat.

Parochi vero pro prima parte anni collectas usque ad diem 10. Iulii, pro secunda usque ad diem 25. Decembris ad officia decanalia transmittant. Deinde decani illas pro primo dimidio anni usque ad diem 20. Iulii, pro secundo usque ad diem 31. Decembris ad Nostrum

[1] Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. XI. pag. 313. — [2] Statuten des zur Unterstützung der katholischen Missionen in Nordamerika gebildeten Vereines unter dem Namen Leopoldinen-Stiftung. (Berichte der Leopoldinen-Stiftung im Kaisertume Österreich. 72. Heft. Wien, 1911).

Ordinariatum deferant, qui totam collectam princ.-archiepisc. Consistorio Vindobonensi demandabit.

Concilium Baltimorense litteris die 3. Novembris 1852 ad Archiepiscopum Vindobonensem directis, quas et hic sodalibus communicavit, pro uberrimis eleemosynis intimas gratias egit.[1]

f) Collecta pro sodalitate s. Bonifatii in subsidium missionum catholicarum in regionibus acatholicorum in Germania.[2]

Sodalitas s. Bonifatii Ratisbonae in tertia congregatione generali societatum catholicarum anno 1849 ad adiuvandos catholicos in diaspora degentes fundata est.

Singularis finis huius sodalitatis ad curam animarum et scholam catholicam in regionibus protestanticis et mixtis Germaniae, inclusa Helvetia, oratione et eleemosynis fovendam tendit.

Statuta sodalitatis sub primo praeside comite Iosepho de Stolberg († 1859) in quarta generali congregatione societatum catholicarum anno 1850 Linciae definita sunt. Pius PP. IX. sodalitatem anno 1852 approbavit et indulgentiis exornavit. Eximia huius sodalitatis idea folio sodalitio sub titulo »Bonifatiusblatt« propagatur.[3]

Invitatio nomen dandi huic sodalitati, a praesidio generali Paderbornensi emissa, in folio officiali dioecesis Lavantinae anno 1852 publicata est.[4] Ad petitionem generalis congregationis octavae, Linciae anno 1857 celebratae, praedecessor Noster, Antonius Martinus, sacerdotibus animarum curam gerentibus commendavit, ut quotannis, praevia monitione, collectae pro sodalitate s. Bonifatii instituerentur.[5]

---

[1] Lav. Ord. Erlass de die 25. Novembris 1852. Num. $\frac{1896}{6}$ alin. 5. — [2] Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno 1896 constitutae. Marburgi, 1897. Cap. XI. pag. 313. — [3] Dr. Ant. Ign. Kleffner und Dr. Fr. Wilh. Woker, Der Bonifatius-Verein. Seine Geschichte, seine Arbeit und sein Arbeitsfeld 1849—1899. Paderborn, 1899. Pagg. 11—40. — Dr. Michael Napotnik, Fastenhirtenschreiben über das Leben und Wirken des hl. Bonifatius. (Send- und Lehrschreiben. Marburg, 1911. Pagg. 843—865). — [4] Lav. Ord. Erlass de die 25. Novembris 1852. Num. $\frac{1896}{6}$ alin. 1. — [5] Lav. Ord. Erlass de die 28. Ianuarii 1857. Num. $\frac{254}{1}$ alin. 1.

Leo PP. XIII. per Breve de die 15. Martii 1901 sacerdotibus in associationem s. Bonifatii legitime adlectis plurima privilegia concessit. Petente generali praeside sodalitatis s. Bonifatii Paderbornae litteris supplicibus de die 26. Iulii 1901 ab Ordinariatu Lavantino consensus datus est, ut sacerdotes dioecesis Lavantinae, dictae sodalitati legitime adscripti, concessis privilegiis uti possent.[1]

Collectae eleemosynae pro primo semestri usque ad diem 10. Iulii et pro secundo usque ad diem 25. Decembris ad officia decanalia et ab his pro prima parte anni usque ad diem 20. Iulii et pro secunda usque ad diem 31. Decembris ad Cancellariam Nostri Consistorii transmittantur, unde ad princ.-archiepisc. Consistorium Salisburgense deferentur.

Praemissus conspectus valde necessarius apparet. Nam iuxta numerum 139 *ordinis* servandi in relatione de statu ecclesiarum, superius allati, Episcopi referre tenentur Summo Pontifici, »utrum et quo fructu fiant in dioecesi piae collectiones eleemosynarum a Sancta Sede praescriptae vel commendatae pro communi Ecclesiae bono, ut pro fidei propagatione, pro sancta Infantia, pro redemptione captivorum, pro obolo s. Petri, pro Terra sancta«.

Collectae pro eis, qui variis affliguntur calamitatibus.

Egentibus et miseris auxilium ferre, in Ecclesia catholica omni tempore primaria cura pastorum erat. S. apostolus Paulus ecclesiis Corinthi et Galatiae collectas pro egentibus fratribus, Hierosolymis versantibus, ordinavit.

Tertullianus in suo Apologetico adfert contra paganos, christianos eleemosynas colligere, istas distribuere in usum sepulturae, aut ad alendos egenos, orphanos, senes emeritos, aut ad refocillandos naufragos vel ob fidem in metalla, insulas et carceres relegatos.[2]

[1] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese, 1901. Num. XI. alin. 61. pag. 141 et 142. — [2] Tertullian. Apolog. adversus gentes c. 39. (Migne, Patr. lat. tom. I. Parisiis, 1844. Col. 470).

Secundum apostolorum exemplum et usum veteris Ecclesiae Episcopi nostris temporibus collectas pro afflictis, quos res adversae tetigerunt, ordinare solent.

Propterea parochi animo prompto fidelibus eleemosynas commendent et illas libenter colligant, quotiescumque ad collectas pro miseris et infortunatis instituendas invitati fuerint.

De collectis sodalium religiosorum.

Praeter collationes in ecclesia faciendas collectae religiosorum sodalium, qui mendicantes vocantur, extra ecclesiam exsistunt.

Mendicantes religiosi quaestuationes instituere valent, si de vera domus religiosae vel pii operis necessitate constat, cui alio modo occurri nequit.

Ne indigni aut religiosos sodales simulantes liberalitate fidelium abuterentur, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium per decretum *Singulari quidem* de die 27. Martii 1896,[1] quod mulierum respicit sodalitates, et Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita per decretum *De eleemosynis colligendis* de die 21. Novembris 1908,[2] quo virorum institutis religiosis providetur, normas quaestuationis determinaverunt.

Iuxta praeallata decreta religiosi mendicantes cum licentia tantum superiorum suorum eleemosynas quaerere valent in dioecesi, ubi erectus est conventus; si vero extra dioecesim stipem colligere volunt, Ordinarii illius dioecesis licentia, per superiores suos in scriptis obtenta, indigent.

Litteras authenticas, quibus de debita facultate et de officio quaestuationis sibi commisso constat, semper secum habere debent, quas et parochis exhibere tenentur, quoties ab ipsis requirantur.

Mendicantes religiosi, eleemosynam collecturi, ne pergant soli sed bini, seclusa gravis necessitatis causa, quo

[1] Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese, 1896. Num. VI. alin. 5. pag. 21 et 22. — [2] Folium officiale dioecesis Lavantinae, 1909. Num. V. alin. 30. pag. 61 et 62.

in casu quaestuarius publice notus sit oportet atque aetate, virtute ac fidelium aestimatione commendatus.

Extra locum conventus quaestuantes religiosi apud parochos vel apud alios clericos saeculares vel regulares et tantummodo iis deficientibus apud aliquem pium benefactorem, christiana honestate et virtute conspicuum, divertant.

Religiosi, qui sunt iuris dioecesani, opus colligendi eleemosynas nonnisi licentia ab Ordinario loci, in quo resident, obtenta aggredi possunt; si autem extra dioecesim propriae residentiae abituri sunt, etiam ab Ordinario, in cuius dioecesi stipem quaerere desiderant, facultatem quaestuandi habere debent.

Sorores praeterea litteras commendatitias ad parochos vel ad alias personas directas, si in dioecesi residentiae collectas faciunt, secum ferant; si vero extra dioecesim propriam quaestuare volunt, litteris commendatitiis ad Ordinarium illius dioecesis indigent, »ut eas protegat ac adiuvet ac si sibi subditas haberet«.

Licentia colligendi eleemosynas in scriptis datur, notatis semper tum nominibus religiosorum, qui ad colligendas eleemosynas designati sunt, tum nomine ordinis et instituti, ad quod pertinent, tum loco et tempore, pro quibus licentia valet.

Quaerentes subsidia pro missionibus exteris, praeter litteras commendatitias Vicarii vel Praefecti Apostolici respectivae missionis et litteras obedientiales Moderatoris generalis proprii instituti, habeant quoque facultatem a sacra Congregatione de Propaganda Fide in forma authentica recentem datam opus est.[1]

Collectores vero pecuniae orientales cuiusvis Ordinis vel dignitatis ecclesiasticae, etiamsi habeant authentica documenta quolibet idiomate exarata et sigillis munita, nisi authenticum ac recens rescriptum sacrae Congregationis de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orien-

[1] Dr. F. Heiner, Das Kollektieren seitens der Ordensleute. (Archiv für katholisches Kirchenrecht. Mainz, 1911. Pagg. 95—110).

talis, quo facultas eisdem fit, tum a propria dioecesi discedendi tum eleemosynas colligendi, exhibeant, nec ad Missae celebrationem et ad aliorum ecclesiasticorum munerum exercitium nec ad eleemosynas colligendas admittantur.

Si se autem pervicaces prodant, per publicas ephemerides Clerus et fideles moneantur, huiusmodi pecuniae quaestus ut illicitos et reprobatos habendos esse.[1]

Mandamus ergo, ut pastores animarum has pro sodalibus religiosis statutas quaestuationum normas rite observent, ne bona fides et pietas catholicorum decipiatur et frauduletur.

Caeterum oblivisci nolint, religiosos reliquisse omnia et secutos esse Dominum. (Matth. 19, 27). *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum . . non perdet mercedem suam.* (Matth. 10, 41. 42). *Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce et metet. Unusquisque (det), prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus . . . Quoniam ministerium huius officii non solum supplet ea, quae desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino.* (II. Cor. 9, 6. 7. 12).

Caput CLXXXXVIII.

De taxa dioecesana.

In Synodo dioecesana anni 1903 promulgata est specialis constitutio de taxa dioecesana.[2]

Ex notissimo Sacrae Congregationis Concilii decreto *Ut norma* de die 10. Iunii 1896, in constitutione ista per totum allegato, taxae imponi possunt iuxta prudentiae et iustitiae regulas in materia sacramentali ac speciatim

[1] Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis die 1. Ianuarii 1912. (Folium officiale dioecesis Lavantinae, 1912. Num. VIII. alin. 59. pag. 139 et 140). — [2] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. CII. pagg. 865–872.

in matrimoniali itemque in materia beneficiali, ita tamen, ut libere conferantur sacramenta et piae consuetudines observentur.

Quod vero ad reliquos actus, qui directe non respiciunt administrationem sacramentorum, uti sunt dispensationes a denunciationibus matrimonii, venia conferendi baptisma in privatis domibus et caetera huiusmodi, eadem Sacra Congregatio Concilii statuit:

1. servandas laudabiles consuetudines et rationem prudenter habendam locorum, temporum ac personarum;

2. vere pauperes eximendos esse a quibusvis expensis;

3. taxas non adeo graves esse debere, ut arceant fideles a receptione sacramentorum;

4. quoad matrimonium in specie remittendas esse taxas ipsas in casibus, in quibus adsit periculum, ne fideles in concubinatum proruant;

5. tandem quoad beneficia ecclesiastica, taxas esse non debere proportionaliter inadaequatas reditibus beneficiorum.

Praelaudata Sacra Congregatio Concilii ulterius decrevit, specificam definitionem taxarum pro certis actibus et pro documentis, per cancellariam episcopalem expeditis, in singulis dioecesibus non Ordinariorum arbitrio esse relinquendam, sed in Synodo provinciali, et quatenus Synodi haberi nequeant, in conventibus Episcoporum statuendam et Sacrae Congregationi Concilii pro approbatione subiiciendam esse, quae tantum conceditur ad instar experimenti pro dioecesibus Europae ad quinquennium, pro reliquis vero ad decennium.

Respectu habito ad hoc decretum litteris Nostris de die 17. Decembris 1897 Num. 4314 Reverendissimo Metropolitae Salisburgensi notula taxarum transmissa est ad procurandam approbationem Sacrae Congregationis Concilii.

Item in relatione super statu dioecesis facta a Nobis die 30. Septembris 1901 Num. 39/Praes. supplicatum est, ut supra memorata notula taxarum, Reverendissimo Archiepiscopo Salisburgensium die 17. Decembris 1897 proposita, quoquo modo approbaretur. Ad quam suppli-

cationem Sacra Concilii Congregatio respondit: »Super postulatis seorsim responsum accipies.«

Interim in Synodo dioecesana, anno 1903 habita, nota taxarum in dioecesi Lavantina solvendarum provisorie stabilita est, attamen ratione habita praeallatae decisionis Sacrae Congregationis Concilii eius stricta observatio non urgebatur.

Iam vero Concilium provinciale Salisburgense, anno Domini 1906 celebratum, decreto Sacrae Concilii Congregationis *Ut norma* insistens communem pro tota provincia ecclesiastica Salisburgensi taxarum normam constituit, quae, constitutionibus eiusdem Concilii provincialis a Sacra Congregatione Concilii rescripto de die 2. Septembris 1909 approbatis, pro dioecesi Nostra Lavantina promulgatur et observanda praescribitur. —

Ordo taxarum,

Curiae princ.-episc. Lavantinae solvendarum, a Concilio provinciali Salisburgensi approbatus.

I. Pro rescriptis gratiosis, ergo:

1. *a)*	in causa abstinentiae	1 K
b)	in causa benedictionis sollemnis cuiuscumque loci vel rei (e. gr. capellae, crucis publicae, paramentorum, viae crucis, campanae etc)	1 »
c)	pro Celebret	1 »
d)	pro legalisatione documenti	1 »
e)	pro copia documenti in commodum personae privatae, et quidem pro singulis paginis	1 »

II. Pro litteris dispensationis in re matrimoniali, et quidem

2.	a tempore clauso	1 K
	ab una proclamatione	1 »
	a duabus proclamationibus	2 »
	a tribus proclamationibus	3 »

3.	Ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis in IV. gradu	2 K
4.	Ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis in IV. gradu cum III.	3 »
5.	Ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis in III. gradu	4 »
6.	Ab impedimento cansanguinitatis vel affinitatis in III. gradu cum II.	5 »
7.	Ab alio impedimento	2 »

III. Pro variis testimoniis et documentis.

8.	Pro litteris commendatitiis	2 K — h
9.	Pro litteris dispensationis a Sede Apostolica commissae	2 » — »
10.	Pro testimonio de erecta confraternitate	2 » — »
11.	Pro documento erectionis confraternitatis	2 » — »
12.	Pro documento cuiuscumque suscepti ordinis	2 » — »
13.	Pro testimonio de examine concursus parochialis facto	2 » — »
	Pro decreto dispensationis ab examine concursus parochialis	2 » — »
14.	Pro documento collationis beneficii simplicis (sine investitura)	2 » — »
15.	Pro litteris testimonialibus de consecratione altaris	6 » — »
16.	Pro documento missionis canonicae catechetis et professoribus religionis impertitae	2 » — »
17.	Pro documento de collatione beneficii.	6 » 30 »
	Pro documento de investitura beneficiati, parochi etc.	6 » 30 »
18.	Pro litteris dimissionis e dioecesi . .	6 » 30 »
19.	Pro ratificatione fundationis e. gr. Missae, beneficii etc.	6 » 30 »
20.	Pro documento consecrationis ecclesiae	10 » — »
	Pro theca reliquiarum	4 » — »
	Pro portatili altaris	8 » — »

	Pro documento licentiae Missas celebrandi in capellis etc taxa minima .	2 K — h
21.	Pro documento collationis professurae theologicae	15 » — »
22.	Pro documento collationis canonicatus collegialis	12 » 60 »
23.	Pro litteris nominationis consiliarii episcopalis	25 » 20 »
24.	Pro litteris nominationis consiliarii consistorialis honoris causa	25 » 20 »
25.	Pro documento de collatione canonicatus ecclesiae cathedralis et aliarum dignitatum	25 » 20 »
26.	Pro documento investiturae in canonicatum ecclesiae cathedralis vel in alias dignitates	25 » 20 »

Vere pauperes supplices a solvenda taxa dispensantur.[1] —

Episcopum singulis annis, quamdiu necessarium fuerit — hucusque in dioecesi Nostra non opus fuit — iuxta tramites a sacrosancto Concilio Tridentino statutos a beneficiariis aliisque personis ecclesiasticis in iure expressis *seminaristicum* seu *alumnaticum* postulare posse neque prohiberi, quominus *cathedraticum* in forma legitima expetat, dummodo iustam mensuram non excedat, iam in Synodo dioecesana anni 1903 commemoratum est, in qua et de procurationibus, quas Episcopi in sacra pastorali visitatione exigere possunt, sermo institutus est.[2]

Item caetera, quae in praefata Synodo dioecesana proferuntur utpote longaeva consuetudine introducta aut iure civili stabilita, etiam pro futuro in valore permaneant volumus — quemadmodum Concilium provinciale Salisburgense habet, »ut singulae normae in singulis dioecesibus usque adhuc sine difficultate vigentes a Synodo commendatae in vigore permanere queant.«[3]

[1] Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno Domini 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 293 et 294. — [2] Ecclesiae Lavantinae Synodus dioecesana anno 1903 coadunata. Marburgi, 1904. Cap. CII. pag. 865 et 871. — [3] Concil. cit. pag. 293.

Itaque ex perantiqua consuetudine decani occasione visitationis canonicae pro quavis parochia ex reditibus ecclesiasticis percipiunt taxam 6 K 30 h ad compensationem expensarum, quas sustinent visitantes parochias. Quae praxis in tota provincia ecclesiastica Salisburgensi viget et ius particulare constituit, quod semper pacifice observatum est.[1]

Reddite ergo omnibus debita! (Rom. 13, 7).

Caput CLXXXXIX.

De regulatione iuris stolae pro tota dioecesi.

Animarum curiones Lavantini iam anno 1850 in conferentiis pastoralibus quaestionem de regulatione stolae pro dioecesi Nostra ventilaverunt ac sequentia quattuor principia generalia proposuerunt.

1. Taxae pro extraordinariis caeremoniis seu sollemnitatibus sunt ampliandae, pro omnino necessariis functionibus vero restringendae.

2. Census iuxta novum calculum est ita statuendus, ut hucusque usitatum discrimen inter parochianos cives et rusticos de medio tollatur.

3. Pro bannis seu promulgationibus sponsorum est taxa statuenda et pro singulis promulgationibus exigenda.

4. Proventus stolae e pulsatione campanarum redundantes pertinent ad peculium ecclesiae ipsique sunt servandi.[2]

Anno Domini 1877 propositae sunt conferentiis pastoralibus succedentes quaestiones solvendae:

1. Revisio ordinis stolaris, per *litteras patentes* de die 13. Decembris 1774 in Styria introducti,[3] praesenti-

[1] Synod. cit. Cap. CII. pag. 871. — [2] IV. Schlussprotokoll über die im Jahre 1850 in der Diözese Lavant bei den Pastoral-Conferenzen besprochenen Gegenstände und darüber für die Seelsorge gemachten Beschlüsse vom 24. September 1850. A. IV. — [3] Patent de dato 13 ten December 1774 für das Erbherzogthum Steyermark, die Stollordnung betreffend. Gegeben in Unserer Hauptstadt Grätz den 13 ten Christmon. 1774. Aloysius Graf v. Podstatsky-Lichtenstein, Praesident. Cajetan Graf von Sauer. (L. S.) Ex Consilio Sac. Caes. Re-

bus vero conditionibus non amplius respondentis, est exspectanda. Quaenam functiones spirituales in novo schemate essent taxandae?

2. Utrum distributio stolae iuxta statum et aetatem retinenda, an magis sit commendanda aequalis taxa stolaris pro omnibus absque discrimine aetatis et conditionis?

3. Sintne usitatae taxae stolares augendae vel restringendae?

4. Quomodo remunerationes pro officiis et caeremoniis a partibus expetitis, ad actum religionis non stricte pertinentibus, determinandae, an potius liberae conventioni relinquendae sunt?[1]

In solvendis hisce quaestionibus conferentistae dissenserunt et varias propositiones protulerunt.

Anno 1897 proposita est conferentiis pastoralibus haecce quaestio: Quinam usus relate ad taxam stolarem usque ad praesens tempus in singulis decanatibus respective parochiis vigebat, et quae principia observanda erunt in taxa stolari pro futuro regulanda?

E relationibus de conferentiis pastoralibus princ.-episc. Ordinariatui persuasum est, Clerum tum in eis functionibus, pro quibus in supra citatis litteris patentibus taxa statuitur, tum in eis, pro quibus e beneplacito vel consuetudine a fidelibus dona offeruntur, iustitiae et aequitatis limites non transgredi, et non solum vere pauperes sed homines quoque Ecclesiae infensos ab expensis eximere itaque materiali emolumento renunciare velle, sequendo sublime exemplum Doctoris gentium, dicentis: *Quae est ergo merces mea? Ut Evangelium praedicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea.* (I. Cor. 9, 18).[2]

giaeq. Majest. Gubernii Int. Austr. Karl von Haibe. (Decem folia in 8°). — Julius Schockherr, Kirchenpatronat und Kirchenconcurrenz mit Besprechung der Vogtei und des Schulpatronates. 2. Auflage. Wien, 1892. Pagg. 287—296.

[1] XXX. Schlussprotokoll über die im Jahre 1877 in der Lavanter Diözese abgehaltenen Pastoral-Konferenzen vom 5. Dezember 1877. A. III. Pag. 6—8. — [2] XLIX. Schlussprotokoll über die im Jahre 1897 in der Lavanter Diözese abgehaltenen Pastoralkonferenzen. A. (Kirchl. Verordnungs-Blatt, 1898. Nr. I. alin. 1).

Recentius vero insurrexerunt homines (democratici sociales), qui strictissimam observationem legis stolaris anno 1774 die 13. Decembris latae urgebant et saepius ad c. r. Locumtenentem Graecii, immo ad c. r. Ministerium pro cultu et institutione appellabant.

Nuperrime in actis de causa taxae pro sepulchris in foro *Središče*, quae taxa per rescriptum c. r. Ministerii pro cultu et institutione de die 28. Februarii 1909 Num. 5833 et a princ.-episc. Lavantino Consistorio die 23. Martii 1909 Num. 1298 approbata est,[1] invenimus decretum praelaudati Ministerii de die 26. Februarii 1907 Num. 6792, quo c. r. Vicesgerens pro ducatu Styriae invitatus est, ut regulationem ordinis stolae pro tota provincia aggrederetur.

Concilium provinciale anno 1906 Salisburgi celebratum circa hanc materiam statuit, quod sequitur: »Parochos omnesque sacerdotes hortamur, ut diligenter caveant, ne quid in sacramentorum administratione quavis de causa vel occasione directe vel indirecte exigant, sed illud Christi adamussim servent: *Gratis accepistis, gratis date!* (Matth. 10, 8). Excipiuntur illi

[1] Gebühren für Gräber und Grüfte. I. für ein Reihengrab *a)* Erwachsener 2 K 10 h, *b)* Kinder bis 10 Jahren 1 K. II. Für ein Familiengrab 4 K. III. Für einen Gruftplatz 20 K. Für Erneuerung des Benützungsrechtes eines Reihengrabes ist zu entrichten auf 10 Jahre 2 K. Als Beilagegebühr in ein Familiengrab ist für die Beisetzung der Leiche einer erwachsenen Person zu entrichten 4 K, der Leiche eines Kindes bis 10 Jahren 2 K, für Grüfte beträgt die Beilagegebühr 4 K. Die Totengräbergebühren sind: I. Für ein Reihengrab *a)* Erwachsener 4 K, *b)* Kinder bis 10 Jahren 3 K. II. Für ein Familiengrab 5 K. III. Für die Beisetzung einer Leiche in einer Gruft 4 K. IV. Für Hilfeleistung bei einer Obduktion 2 K 40 h. V. Für Hilfeleistung bei Exhumierung einer Leiche 3 K. — Z. 1298. Vorstehende Grabstellen- und Totengräbertarifansätze werden im Sinne des h.-ä. Erlasses vom 1. Juni 1903 Z. 1922 (Kirchl. Verord.-Blatt Nr. VII. ex 1903. Absatz 45. S. 90) als den Zeit- und Ortsverhältnissen angemessen, genehmigt. F.-B. Lavanter Konsistorium in Marburg am 23. März 1909. (L. S.) Josef Majcen m. p. Konsistorialrat. — 6 $\frac{323}{15}$ 1909. Das k. k. Ministerium für Kultus und Unterricht hat mit dem Erlasse vom 28. Februar 1909 Z. 5833 die in dem vorstehenden Gebührentarife für den röm. kathol. Friedhof der Pfarre heilg. Geist in Polstrau festgesetzten Grabstellengebühren in Gemässheit der §§ 23 und 24 des Gesetzes vom 7. Mai 1874 R.-G.-Bl. Nr. 50 genehmigt. Ein Exemplar dieses Tarifes wird h.-a. zurückbehalten und ein Exemplar der k. k. Bezirkshauptmannschaft in Pettau zur Veranlassung der ortsüblichen Verlautbarung übermittelt. Graz am 30. März 1909. (L. S.) Der k. k. Statthalter: Clary m. p.

fructus, qui redeunt ex iure stolae et qui occasione quarundam functionum sacrarum parochis ex more vetusto solvuntur.«[1]

Pro tribus parochiis urbis Nostrae residentialis anno 1909 collatis consiliis statutum est pro funeribus schema stolare, quod princ.-episc. Ordinariatus Lavantinus die 6. Aprilis 1909 Num. 1546 approbavit, c. r. Ministerium pro cultu et institutione edicto diei 14. Octobris 1909 Num. 40.523 ratum habuit et municipium Marburgense die 4. Novembris 1909 Num. 31.603 publicavit. Quod schema ad urbem Celeiensem et Petoviensem nec non ad archidiaconiam Gonobitiensem extendendum desideramus; pro reliquis vero oppidis, foris, vicis pagisque dioecesis Nostrae Lavantinae annuente potestate civili inferius sequentem normam stolarem ut legem dioecesanam promulgare intendimus.

Ordo de regulatione stolae, in Synodo dioecesana anno praeterito 1911 propositus et discussus, a princ.-episc. Consistorio Lavantino per decretum de die 11. Septembris 1911 Num. 4166 singulis officiis decanalibus cum mandato distributus est, ut parochi nec non provisores paroeciarum, qui ad decanatus sedem invitandi essent, ad rem, de qua agitur, mentem suam panderent. Protocollum de discussione confectum usque ad finem mensis Octobris 1911 princ.-episc. Consistorio deferendum erat.[2]

Peracto mandato ex parte invitatorum transmisit princ.-episc. Ordinariatus litteris de die 18. Ianuarii 1912 Num. 5088 ex 1911 quinque exemplaria praedicti schematis ad c. r. Locumtenentiam styriacam una cum prece,

---

[1] Acta et constitutiones Concilii provinciae Salisburgensis anno 1906 celebrati. Salisburgi, 1910. Pag. 129. alin. 136 et 137. — [2] Decretum sic sonat: „Kakor je bilo določeno v četrti generalni kongregaciji letošnje škofijske sinode dne 31. avgusta 1911, se dopošlje v prigibu ·/. en iztis novega štolarnega reda za manjša mesta (izvzeta so mesta Maribor, Celje in Ptuj), trge (izvzete so Konjice) in kraje Lavantinske škofije Vam, mnogočastiti gospod dekan, z naročilom, da povabite vse čč. gg. župnike oziroma provizorje Svoje dekanije k sebi, da se med seboj pogovorite o novem štolarnem redu.

O pogovoru se naj sestavi natančen zapisnik ter ga naj vsi pričujoči gospodje podpišejo. Semkaj se naj *vsaj do konca meseca oktobra* predloži, da se more potem tukaj stvar še enkrat presoditi za tisek knjige o škofijski sinodi.“

ut istud c. r. Ministerio pro cultu et institutione approbationis causa substerneret.[1]

Ad litteras urgentes princ.-episc. Ordinariatus de die 2. Octobris 1912 ad Num. 5088 ex 1911 c. r. Locumtenentia sub die 31. Octobris 1912 Num. 6 $\frac{3625}{16}$ 12 respondit, se actum stolarem eadem die c. r. Ministerio pro cultu et institutione detulisse, ut illum ratum haberet et approbaret.[2]

---

